COMMENTARIA CVM QVÆSTIONIBVS, ET DVBIIS;

In octo Libros de Physico auditu Aristotelis.

F. MICHAELIS ZANARDI BERGOMATIS, EX VRGNANO;

Sacræ Theologiæ Lectoris, Sacri Ordinis Prædicatorum.

Superiorum permissu, & Priuilegijs.



VENETIIS, M DC XVII.

Ex Typographia Ambrosij Dei.

ILLVSTRISSIMO,


ET REVERENDISS. D.D.

ANTONIO ZARA

EPISCOPO PETINENSI.

D. Gollegoritiæ, & Serenissimi Archiducis Austriæ Ferdinandi Consiliario D. suo clementissimo.





VM sæpe sæpius mecum ipse reputans, Illustriss. ac Reuerendiss. Præsul; excelsi tui præter, cælestisq. magnitudinem animi, exemplaris integritatem vitæ, & Sanctitatem, ac innumeras quæ in te fulgent alias virtutes eximias; tui præsertim acris diuiniq. acumen, ac solertiam ingenij, & singularem doctrinæ, atque sapientiæ præstantiam (quibus auxiliantibus in Hebraico, Græco, Latino, Italicoq. sermone scientiam quamque tenes) sedulò & accuratè perpendo: in maximam nempe pari cum beneuolentia coniunctam tui semper admirationem traducor. Cùm etenim felici admodum faustoq. à Dei benignitate profecto, superioribus annis meo mihi contigerit fato, vt præclarissimum illud, & immortale opus tuum, Anotomia ingeniorum, & scientiarum iure merito inscriptum (quod mundo gratissimum, atque iucundissimum, ab omnibus fuit amplexatum, ac obuijs vlnis acceptum) meis ego typis emittere possem; tunc temporis præstantissimarum tuarum dotum, & virtutum ornamenta insignia, ac penè diuina, quæ te ad cælum vsque extollunt, & maximè amabilem omnibus efficiunt, perspecta mihi planeq. cognita fuerunt, ac incredibilem meum in te amorem, obseruantiam, & pietatem excitarunt. Quamobrem secunda fortuna maximè votis visa est aspiraße meis, quæ hac occasione; arte impressoria mea tibi operam nauandi, facultatem mihi obtulit oportunam, tibi tanto viro, ac Heroi, omnigenæ virtutis alumno, qua maiori possem sedulitate, ac fidelitate inseruiendi, meq. famulum in perpetuum addicendi. Vt autem huiusce mei tanti, & ardentissimi erga te studij scintillam, ac vestigium tibi aliquod indicarem, ac etiam maximorum officiorum quibus tibi deuinctus teneor, minima tantum modo parte leuarer; dicaui tibi, post Annuale dum hic esses, primum Reuer. Bessai

A 2 San-

Sanctuarium, confestim illud ad te mittens, quo primum tempore bellorum turbæ in Foro Iulij commoueri cœperant. Sed quoniam (fortasse propterea) nullum abs te responsum acceperam, cum tamen magis magisq. in dies sperarem, fore, vt secundus gratiæ muneris gradus tuæ præclarissimæ virtutis mihi obtingeret; vt nempe secundum abs te mihi promissum, & à me expectatum opus tuum, Apotomia rerum diuinarum inscriptum eisdem typis meis edere mihi liceret, nec, ob idem forsan impedimentum, pro meo voto hoc secundum negotium euenire potuerit; me parum fortunatum existimaui. Attamen cum numquam cupiditas qua flagrabar seruiendi tibi, extincta, sed potius magis magisq. inflammata fuerit; statui denuò me tibi mancipare per dicationem tuoq. glorioso nomini nuncupationem præsentis voluminis, Vniuersum Cœleste inscripti, quæ quidem scientia est felicissimo iudicio digna, cuius tu es, vt cuiusque alius perfectus possessor. Itaque confido, me quod priori ratione non sum adeptus, posteriore assecuturum, cum præsertim, Diuino munere, superiores commotiones bellorum videantur iam sedatæ. Quamuis autem operę pretium, ac rationi consentaneum esse non ignorem, vt iuxta communem, & peruulgatam omnium consuetudinem, qui egregio cuipiam viro, ac Heroi opus aliquod dicant, nunc ego, in vastissimum tuarum laudum pelagus ingrediens, recenserem commemorarem prius generosæ, ac nobilissimæ familiæ tuæ splendorem, & gloriam, deinde alias quibus ipse excellis, dotes amplissimas: quia tamen non ea sum ego doctrina, & eloquentia præditus, vt oratione mea minimam quamque illarum partem attingere valeam, cum tuba Homerica, tubicine Homerus, vel Demosthenis, Tullij, atque Hortensij eloquio hoc dignum sit argumentum; idcirco quæcumque in te sunt, animi, corporis, fortunæq. Heroica bona silentio mihi inuoluenda esse decreui. Nam si imperitissimus, atque infantissimus ego auderem hanc prouinciam suscipere, cum sit onus longe meis viribus impar, in maximum profectò arrogantiæ temeritatisq. crimen incurrerem, tuas enim virtutes magis obscurarem, quam quicquam laude dignum efficerem, præstarem, & sic tacere satius esse mihi, quam parum ineptèq. loqui existimaui. Sed antequam finem facio, te vehementer etiam, atque etiam oro, vt non tam munus quod tibi largitur, quam largientem ipsum qui se tibi deuouit, accipere non graueris. Vale.

NOS F. SERAPHINVS SICCVS

S. Theologiæ Magiſter, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Generalis, & ſeruus.





CVm certi facti fuerimus te R.P.Fr.Michaelem Zanardum de Vrgnano, Sacræ Theologię Lectorem, Ordinis noſtri, multa Commentaria edidiſſe, ac Quęſtiones quamplures in Philoſophiam Ariſtot. ac in plura D. Thomæ opera compoſuiſſe, quæ ſi typis mandentur non parum legentibus proficient, ſupplicatumque nobis fuerit, vt tibi licentiam imprimendi concedere vellemus. Petitionibus tuis annuere volentes, harum ſerie noſtri auctoritate officij, facultatem tibi Reuer.P.Fr. Michaeli Zanardo de Vrgnano, Sacræ Theologiæ Lectori concedimus, vt ſupradicta Commentaria, & Quæſtiones typis mandare valeas, ſeruatis tamen prius omnibus ſeruandis, quæ à Sacro Concilio Tridentino decernuntur, & quæ ab omnibus noſtris conſtitutionibus, & ordinationibus Capitulorum generalium ſtatuuntur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. Amen. Datum Venetijs die 29. Iulij 1615.

Fr. Seraphinus Siccus, qui ſupra.

Regiſtr. fol. 25.

Fr. Io. Baptiſta Boſſius de Capriata, Magiſter, & Socius.

EGo Fr.Remigius Scrofa Lector Ord.Prædicatorum, ac Magister Studij in Conuentu S.Augustini de Padua, ex commissione Reuerend. P.Generalis Fr.Seraphini Sicci Papiensis, opus vere aureum in octo Libros Aristot. de Physico auditu Fr.Michaelis Zanardi Lectoris eiusdem Ord. satis attente perlegi, quod mihi opus Catholicum, pium, lectuque dignissimum visum est, ob facilitatem, ac profunditatem, dignumque censeo, quod in communé vtilitatem typis excussum in lucem prodeat.
Dat. Patauij die 7. Aprilis 1617.

Fr.Remigius Scrofa Lector, & Magister Studij, qui supra.

EGo F.Io.Petrus Astorius Venetus, Sacræ Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum vidi, ac diligenter examinaui Commentaria cum Quæstionibus in octo Libros Physic. Arist. R.P. Fr. Michaelis Zanardi de Vrgnano, Lect. Theol. ex commissione Reuerendiss. P.Fr.Seraphini Sicci Papiensis, totius Ord. Prædicatorum Generalis Magistri, & Adm.R.P.F. Io. Dominici Vignutij, Sacræ Theol. Magistri, Inqu. Generalis Venetiarum, cumque in eis nihil fidei contrarium, aut bonis moribus dissonum repererim, digna impressione censui.
Dat. in Conu.SS. Io. & Pauli Venetiarum, die 7. Aprilis 1617.

Fr.Io.Petrus, qui supra.

EXaminaui Commentaria, ac Quæstiones in octo Libros de Physic. auditu Arist. R.P.F.Michaelis Zanardi, Lectoris Theologi, ego F. Hippolytus di Cignano, Sacræ Theologiæ Lector, & Prior Conu.S. Dominici Venetiarum, cumque in eis nihil fidei, vel bonis moribus contrarium repererim, immo facilitatem, ac securitatem Doctrinæ Angelicæ ea redolere cognouerim, digna impressione esse censui.
Dat. Venetijs die 7. Aprilis 1617.

Ita est, Ego F.Hippolytus Prior, & Lector, vt supra.

VIsa supradicta approbatione, admitto supradicta Commentaria impressioni.

Fr.Io.Dominicus Vignutius, Magister, Generalis Inquisitor.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM ET DVBIORVM

Primi Libri Physic.

Dubia 28.

Dubia 39.

Dubia 45.

11 An

Index Quæstionum Secundi Libri.

Index Quæstionum, & dubiorum tertij Libri.

INDEX QVAESTIONVM.

& dubiorum quarti libri.

INDEX QVAESTIONVM, & dubiorum quinti libri.

INDEX QVAESTIONVM, & dubiorum septimi libri.

7 An


INDEX QVAESTIONVM, & dubiorum octaui libri.

COMMENTARIA CVM QVÆSTIONIBVS In Primum Physicorum.

F. MICHAELIS ZANARDI ORDINIS PRÆDICATORVM.

PRIMI PHYSICORVM.

LECTIO I. & II.



Octo (dixit Auerroes) in initio cuiuslibet scientiæ tanquam præambula sunt explicanda, scilicet intētio sciētiæ, vtilitas, ordo, diuisio, proportio, via doctrinæ, nomen libri, & nomen Auctoris. Sed antequam octo ista explicentur, prius aliqua generalia oportet annotare.

Philosophia qd sit. Primo ergo venit notandum quid nominis, & quid rei Philosophiæ, esto quod Physica sit ianua realis Philosophiæ, cū sit prima scientia, quę his temporibus nostris post Logicam addiscatur. Placuit igitur Aegyptijs vocare Philosophiā amorem sapientiæ. Hæc autem diffinitio, scilicet quod Philosophia sit amor sapientię potest bifariam intelligi. Primo formaliter, ita, vt sit amor sapientiæ formaliter, & ita est falsa, propterea quod Philosophia cum sit scientia, in intellectu sedet, & amor in voluntate collocatur. Secundo causaliter, quia scilicet Philosophia causat desiderium in homine, vt de imperfecta rerum cognitione, ad perfectā quæ sapientia dicitur ascendat. Stoici vero, & Platonici voluerunt Philosophiam esse diuinarum humanarumq. rerum cognitionem. Sed hæc diffinitio non stat pro partibus Philosophiæ nisi distributiue, & pro tota Philosophia collectiue, nam de diuinis rebus Metaphysica agit; de humanis vero Moralis, & Physica, Moralis quo ad mores, & Physica quo ad naturalia, cui etiam adiungimus Mathematicam, quæ secundum rem non abstrahit a materia; Pythagoras autem apud D. Hieronimum in apologia contra Ruffinum affirmauit Philosophiam esse mortis contemplationem. Quam diffinitionem aliqui interpratantur, vt per mortis contemplationem intellexerit separationem à rerum caducarum consideratione; Sed hæc interpratatio stare non potest, cum Philosophia res perscrutetur, vt sunt; multæ autem sunt caducæ, & fluxibiles; Possumus igitur dicere voluisse Pythagoram, quod vera cognitio rerum non tantum sistat in eas scire, sed potius in eas ordinare ad finem totius humanæ vitæ. Vera tamen diffinitio Philosophiæ est illa Aris. 10. Metaph. vbi sic eam videtur diffinire. Philosophia est cognitio rerum, vt sunt, idest est cognitio rerum per suas causas, & per sua principia, vsq. ad elemēta, prout explicuit primo Physicorum, & sexto Metaphysices.

Diuisi scientiarum. Secundo notandum venit, quod scientia sic est diuidenda. Scientia quædam est infinita, & quædam finita; Infinita est illa, quę est de obiecto infinito, vt est Theologia, & hæc non est dicenda nec præcise practica, nec præcise speculatiua, sed eminenter vtrunq. & etiam formaliter, sed causaliter, & tamen magis est speculatiua, quam practica, vt docet S. D. pri ma parte quæstione prima art. 4. Finita vero est illa, quæ est de obiecto finito, idest de

ente creato. Hæc autem vel est realis, quia scilicet est de ente reali, vel est rationalis, quia scilicet est de ente rationis. Rationalis est triplex, scilicet grammatica, quæ agit de sermone congruo, vel incongruo Rethorica quæ tractat de sermone ornato, vel inornato; & Logica quæ considerat sermonem prout est verus, vel falsus; Realis autem vel est speculatiua, vel practica; Si speculatiua est triplex, scilicet Physica, Math. & Metaphysica, de qua diuisione vide, quæ diximus sexto Metaphysica. Si practica, erit moralis.

Intentio scientiæ. Accedentes ergo ad octo illa examinanda vt supra: Tertio noto circa intentionem, quod duplex est intentio huius scientiæ secundum quod dupliciter diuiditur; Nam quædam est intentio generalis totius Physicæ, & hæc est tractare de ente mobili, quod est obiectum totius naturalis Philosoph. enim intētio ad obiectum fertur. Alia est intentio particularis scilicet huius, vel illius partis scientiæ naturalis, prout agit de ente mobili sub tali, vel tali ratione contracta, verbi gratia in libris de coelo, & mundo, de ente mobili ad vbi.

Vtilitas Physicæ. Quarto notandum venit circa vtilitatem huius scientiæ, quod vtile dupliciter sumitur. Primo proprie, prout illud dicitur vtile, quod non propter se queritur, sed gratia alterius, ad quod seruiliter, & instrumentaliter ordinatur, & hoc vtile proprie reperitur in practicis; Secundo sumitur communiter, pro ea re, quę propter se quęritur, & si alteri auxilium pręstat, hoc est vel dirigendo, vel imperando, & hoc vtile quod & laudabile dicitur reperitur in scientijs speculatiuis, inter quas est Physica. Hæc autem scientia ad multa vtilis est. Primo enim est vtilis ratione nostri ad Metaph. propterea quod ex motu de quo est hæc scientia, venamur cognitionem primi Motoris, & numerum omnium intelligentiarum. Secundo est vtilis ad medicinam, vt infra ostendemus. Nam vnico verbo dicere possumus eam esse vtilem ad omnes scientias effectiue, quia agit de intellectu, quo aliæ scientiæ comparantur.

Hinc dicimus primo, quod Physica præfertur omnibus practicis scientijs. Primo quia speculatiua præfertur practicis, per Arist. sexto Metaph. cap. primo, & secundo, & 10. Ethicorum cap. 6. 7. & 8. & secundo, quia cognitio, vt cognitio, præfertur operi. Verum est tamen quod morales possunt esse vtiliores, & data corruptione morum, necessariores, sed non erunt honorabiliores speculatiuis; nam per Arist. primo Metaph. honorabilius est speculari, quam ditari, & si vtilius sit ditari quam speculari. Secundo dicimus, quod si Physica cum speculatiuis comparetur indubiè cedit locum Metaph. quæ cum sit de rebus diuinis, diuina scientia nuncupatur; Mathematicam vero præit dignitate, quia circa substantiā versatur, & Mathematica circa quantā, quæ sunt accidentia. Sed tamen distinguendum venit, quod nobilitas scientiæ ex duobus potest pensari. Primo ex nobilitate obiecti, quia scilicet est de nobiliori obiecto, & sic diximus primam esse Metaph. secundam Physicam, & tertiam Mathematicam. Secundo ex certitudine demonstrationis, quia scilicet procedit per certiorem demonstrationem, & ita Mathematica videtur esse prima, ex eo quod demonstrationes Mathematicæ sūt in primo gradu certitudinis, ex Aristo. primo Ethicorum cap. 3. & secundo Metaphisicæ cap. 3. & ex S. D. opusc. 70. in Boetium, quæstione vltima, artic. primo. Sed mihi distinguendum venit, quod duplex est certitudo. Prima se tenet ex parte rei, prout ipsa apta nata est patere sui cognitionem, & si non patiat per accidens est idest respectu non penetrantis naturam illius rei. Secunda se tenet ex parte nostri, quia res illa a nobis facilius, & firmius cognoscitur. Primo modo certior est Metaph. quoniam quanto magis scientia est de ente magis in actu, tanto magis est certa, separata autem a materia, de quibus est Metaph. maxime sunt in actu. Secunda erit Physica, quia est de substantia, quæ est magis in actu, quam accidens de quo est Mathematica, vnde non dicitur certior nisi ratione nostri.

Ordo scientiarum. Quinto notanda sunt duo circa ordinem. Primo enim ad notandus est ordo inter partes Philosophiæ speculatiuæ, vt nunc secludamus scientias morales. Secundo adnotandus est ordo repertus inter libros naturalis Philosophiæ. Circa primum autem non est immorandum,

quo-

quoniam de hoc ordine supra diximus quo ad dignitatem, i. de ordine naturæ, sed de ordine doctrinæ, qui à facilioribus originem ducit agendum est. Ammonius igitur in præfatione prædicabilium Porphyrij & Alb. hic autumant quod primo discenda sit Physica, secundo Mathematica, & tertio Metaph. ratio autem Ammonij est. Quia Physica agit de non separatis a materia neq. secundum rem, neq; secundum rationem, at Mathematica agit de separatis secundum rationem, sed non secundum rem, sicut Metaphisica considerat separata a materia secundum rem, & secundum rationem. Modo à minus abstracto procedimus ad magis abstractũ, & per medium peruenimus ad summũ; Ergo Physica quæ minus abstrahit erit prima, Mathematica secunda, & Metaphysica tertia.

Ratio vero Alb. fuit, quoniam à vicinioribus sensibus vt à notioribus ordine doctrinæ incipiendum est. At Physica viciniora sunt sensibus, cum sint maxime sensata. Ergo ab his tanquam à notioribus exordiendum est.

Sed alijs placuit, quod Mathematica prima esset in addiscendo, secunda Physica, & tertia Metaphysica. Hoc probabant primo per Arist. 6. Ethicorum cap. 6. vbi dicit, quod pueri possunt esse Mathematici, sed non Physici, quia Physica longam experientiam rerum postulat, Mathematica non.

Secundo quia Mathematica est de sensibilibus per se, i. de quantitate, quę cadit sub sensibus, Physica vero est de sensibilibus per accidens, i. de substantia, quæ sentitur per aliud. Et quia in hanc sententiam inclinat S. D. opus cap. 70. quæst. 5. art. p. & 6. Ethic. cap. 8. ideo rationibus factis pro prima opinione respondeo.

Ad primum ergo dicendum est, quòd maior abstractio, vel minor prioritatem naturæ, arguit, de qua non loquimur, sed de prioritate doctrinæ, secundum quam a notioribus incipimus. Secundo dicitur ad minorem, quod de extremo ad extremum transimus per medium, si illa sint eiusdem generis, modo illæ scientiæ sunt diuersorum generum. Tertio dicemus, quod etiam Mathematica concernunt materiam secundum rem, & si ab ea abstrahant secundum rationem.

Ad secundum primo absolute negamus maiorem loquẽdo de cognitione intellectiua, quæ ex principijs complexis exoritur, eam autem admittimus de cognitione sensitiua; Secundo melius respõdetur negando minorem: nam Mathematica secũdum rem maxime sunt in promptu sensibus, & maxime facillima ad cognitionem, cum non indigeant penetratione essentiæ, & proprietatum sicut indigent naturalia. Habeas tamen hic, quod naturalis Philosophia prior est morali ex S. D. 6. Ethicorum cap. 8. Lect. 7. quia prius oportet scire rerum naturas, & proprietates, naturamq. animæ, eiusq. potentias, antequam de moribus qui ad eas pertinent, sit agendum. dum Nec obstat ratio Themistij tenentis contrarium in initio huius operis, dum arguit, quod nullus redditur aptus ad studia Philosophiæ, qui prius per virtutes ab affectibus terrenis animã non seiunxit. Dicitur enim, quod etsi morum probitas multum iuuet ad faciendum perfectum Philosophum, scilicet intellectu, & affectu, non tamen obstat, quod sine moralibus virtutibus quis non possit esse subtilissimus Philosophus, speculatiuè saltem.

Sexto notandum venit circa diuisionẽ, quod vt annuit D. Th. hic, diuisio scientiarum dessumenda venit à diuersis abstractionibus, quia abstractio est ratio sub qua ens in diuersis scientijs consideratur, vel realiter, vel applicatè. Sciendum est ergo, quod scientia speculatiua, vel considerat ens vt est abstractum a motu, & à materia secundum rem, & secundum rationem, vel vt est abstractum tantum secundum rationem, & non secundum rem; vel vt non est abstractum neq. secundum rem, neq. secundum rationem; Si primo modo, talis erit scientia Metaphysica, quæ est de entibus separatis à materia secundum rem, & secundum rationem, vt patet de intelligentijs; Si secundo modo talis erit Mathematica, quæ considerat quantum, verbi gratia lineam vt est longitudo sine latitudine, abstrahendo. i. non considerando illam lineam esse ligneam, vel ferream; Si tertio modo erit Physica, quæ est de rebus materialibus, & mobilibus, & ideo non abstrahit à motu, & à materia, neq. secundum rem, neq; secundum rationem. Si quis autem *Diuisio scientiarum.*

quarat diuisionem partium Philosophiæ naturalis, respondemus omittendo multa non admodum necessaria, quod Arist. in principio primi Meteororum sex partes principales Philosophiæ naturali assignat. Prima dicitur de motu, & principijs rerũ naturalium, & hæc absoluitur in octo libris Physicorum. Secunda dicitur de cęlo, & mundo, in quatuor libros diuisa, & in hac de cœlo & mundo agit. Tertia dicitur de transmutatione, mixtione elementorum, de generatione, & corruptione, & hæc duos libros de generatione, & corruptione comprehendit. Quarta pars dicitur Meteorologica, in qua de impressionibus Meteorologicis fit sermo, & hæc habet quatuor libros. Quinta dicitur de animalibus, de partibus animalium, & de natura eorum, quæ multos libros ambit. Sexta dicitur de plantis, de qua pollicetur se scripturum esse, sed hæc scripta adhuc non extant. Parua autem naturalia superioribus libris adiunguntur; Si quis autem cupit videre longiorem tractationem de his partibus legat D Th in proemio de cęlo, & mundo, & Pererium in secundo lib de Philosophia naturali.

Proportio scien tiæ. Septimo notandum circa proportionem, quod secundum Stoicos tres partes sunt Philosophię, scilicet Logica, Ethica, & Physica. Comparabant autem Physicam cuidam animali, in quo principem locum ei dabant, dicendo, eam esse ossa huius animalis, Logicam neruos, & Ethicam carnes. Insuper dixerunt Physicam posse dici animam huius animalis, quia ipsa est veluti anima totius Philosophię. Alij vero totam Philosophiam ouo assimilabant dicendo, corticem esse Logicã, album Ethicam, & rubeum Physicam. Insuper alij fecerunt Philosophiam viridarium pulcherrimum, cuius sepes dixerunt esse Logicalia pręcepta, quia sicut sepibus custoditur viridarium, ita argumentationibus, & disputationibus tuetur Philosophiam, Arbores huius dixerunt esse Physicam, & fructus Ethicam, quia res naturales & præcipue homines, qui sunt fines naturalium, sunt illi qui producunt fructus bonos, vel malos. Sed his metaphoris omissis, dicimus Physicam habere proportionem cum Philosophia, partis ad totum, quia Physica est pars Philosophiæ.

Via doctrinæ. Octauo notandum circa viam doctrinæ, quòd Arist. in hac scientia quandoque vtitur diuisione, quandoq; diffinitione, sed vt plurimum demonstratione; Demonstratio autem vt nouimus ex libris Post: duplex est Prima dicitur a priori, quæ procedit a causa ad effectum. Secunda dicitur a posteriori, quia procedit ab effectu ad causam, & hac secunda demonstratione vt plurimum vtitur Philosophus, quia hæc apta inuenitur ad penetrandam qualitatem, & naturam rerum naturalium, & ad ascendendum ad cognitionem primi motoris, & primi motoris.

Nomē libri. Nono notandum circa titulum libri, quod hi libri sunt octo, & vocantur de Physico auditu, circa quam æthimologiam tripliciter immorabor. Primo adducendo opiniones multorum circa interpretationem tituli. Secundo eas improbando, & tertio veritatem aperiendo. Auerroes igitur fuit in sententia, quod hi libri vocentur de naturali auditione non per se, sed per accidens; nã p se sunt de naturali sermone, sed quia accidit sermoni audiri, ideo p accidens dicũtur de naturali auditione. Albertus vero dixit eos vocari de naturali auditione, quia quæ in Physicis tractantur, magis auditione quam demonstratione sciũtur. At opinio S.D. est, quòd vocentur de Physico auditu, quia per modum doctrinæ discipulis traditi sunt. Nam Arist. consueuit hos libros oretenus discipulis legere.

Alij vero sunt in sententia, quòd apud Gręcos scripta Arist. in duplici differentia fuerunt; Nam quædam eorum dicta sunt exoterica, i. vulgaria, nulla subtilitate, vel diligenti perscrutatione tradita, vt sunt Rethorica, Istorica, & Poetica, ad quorum intelligentiam etiam rudes admittebantur. Alia vero dicta sunt acromatica, i. auscultatoria, quæ cum magnis difficultatibus sint obuoluta, non sine Magistro concedebantur, & inter hos libros cõnumerantur qui sunt de natura, de anima, de intelligẽtijs, & de alijs, quæ cõtinẽtur in Metaph. & Physica, quæ propterea dicuntur de Physico auditu. Benedictus

Ubi vero Pererius lib. secundo de naturali Philosophia talis opinionis fuit, quod hi libri intitulati sint de Physico auditu, non ab Arist. sed ab aliquo eius discipulo, qui ab Arist. eos audiuit, & ducitur hac ratione, quia nullibi in Commentarijs Arist. hoc titulo reperiuntur nominati. Tandem Ioannes Sepulueda negat partitionem factam in libros exotericos, & acromaticos, & eam nullam esse probat. Primo quia Arist. libros omnino difficilimos exotericos vocat, vt patet primo Eth. vbi citat libros de Anima, & eos vocat exotericos ad Nicomacum, & in primo libro de moribus ad Eudemum, similiter libros Metaphisicos vocat exotericos; Secundo quia a Laertio acuratissimo inuestigatore doctrinæ Arist. omissa fuit hæc diuisio. Tertio quia si libri Physici vocantur acromatici, quia difficultatibus sunt pleni; cur libri de Anima, & Metaphisici non dicuntur de auditu, cum difficilioribus quæstionibus sint implicati?

Quo ad secundum Pererius vt supra cap. 10. omnes adductas intepretationes reprehendit prȩter illam Grecorum. Contra Auerroem instat, quia Arist. reijcit omnem modum dicendi Metaphoricum, qualis est iste. Contra Alb. pugnat, quia Arif. firmissimis rationibus, & validissimis demonstrationibus doctrinam Physicam confirmauit; Contra D. Th. insurgit, quia quod ipse pro ratione assignauit, commune est Logicæ, & Metaphysicæ. Contra Sepuluedam arguit, quod non sine magna ratione discedendum est à communi sententia D. D. At contra eum arguere possumus, quod in re tam graui, & publica non est immaginandum, quod aliquis discipulus Arist. voluerit titulum eius libris imponere, quod magis esse incredibile confirmatur, cum non sit existimandum Arist. hos libros sine titulo exponere voluisse, stando maxima eius necessitate.

Opinio ergo amplexanda sit illa Græcorum, & D. Th. scilicet, quod quia libri acromatici magnȩ erant difficultatis, ideo mos fuit Aristotili eos per modum doctrinæ tradere discipulis; Vnde ad ratione Pererij occurrimus dicendo, quòd quamuis pluribus scientijs fuerit communis difficultas, tamen hoc peculiare Physicæ attributum est, aut quia Physica est fere ianua aliarum sciẽtiarũ realium, aut quia Arist. voluit ostendere necessitatem magistri habendi in initio Phylosophiæ naturalis, aut quia eos legit Alexandro Magno, vnde legimus, quod cum Alexander conquæreretur cum ipso Arist. quod hos libros, quos sibi secreto legerat, postea diuulgasset, respondisse fatetur Aristotelem, quod & si hos diuulgasset, nullus tamen sine ipso intellexisset.

Ad primam autem rationem Sepuluedæ dicendum est, quod de anima, & ceteris difficilioribus dupliciter egit Arist. primo per rationes communes, & ex suppositis aliorum desumptas, secundo per propria rationes, & secundum propriam mentem adductas. Primo modo vocat scientiam de anima &c. exotericas. secundo autem modo Acromaticas.

Ad secundum dicimus, quod nostra sententia fundata est in peritissimis Græcis, & Latinis, de quibus vide Pererium loco supra citato. Ad tertium patet ex supradictis.

Decimo notandum venit circa nomen auctoris, quod auctor horum librorum fuit Arist. Stagiryta, Peripateticorum Pater, magni Alexandri Magister, & inter Phylosophos Princeps. Hic teste Laertio in eius vita quadringentos libros cõscripsit, sed iniuria temporum multi ex his perierunt, ita vt modo apud nos non extent nisi centum viginti. *Nomen auctoris.*

LECTIO III. & IIII.

QVAESTIO I.

Vtrum de rebus naturalibus detur scientia.

VIdetur quod non. Nam de ente per accidens non est scientia per Arist. primo Post. Sed entia naturalia sunt entia per accidens. Ergo. Minor probatur. Quia aggregatum ex rebus diuersorum generum est ens per accidens sed entia naturalia constant ex rebus diuersorum generum scilicet ex substantia, & accidentibus sensibilibus. Ergo.

Secundo. Corruptibilium non est sciẽtia. Sed entia naturalia sunt corruptibilia; Ergo. Maior est Arist. primo Post.

cap.

cap. 9. Minor probatur, quia entia naturalia materiam includunt. Materia autem est principium corruptionis. Ergo.

Tertio. Scientia est de abstractis à materia, At entia naturalia non abstrahunt à materia, nec secundum rem, nec secundum rationem, vt patet. Ergo.

Quarto. Infinitum non est scibile, per Arist. in hoc primo. At res naturales sunt infinitæ, cum dicant singularia infinita. Ergo.

Quinto. Sensibilium non est scientia; Sed res naturales sunt sensibiles. Ergo. Maior est Arist. primo Posteriorum, & secundo Ethycorum. Minor est eiusdem in secundo de Anima.

Sexto. De illo est scientia, quod potest mouere intellectum ad intelligendum. Sed entia naturalia non possunt mouere intellectum. Ergo. Maior est nota. Minor probatur, quia mouens est nobilius re mota, & res naturales non sunt nobiliores intellectu. Ergo.

Septimo. Scientia est habitus omnino certus, ex primo Post. cap. secundo. Sed res naturales de quibus est Physica non sunt omnino certæ, cum subijciantur incertitudini mutabilitatis. Ergo.

Octauo. Physica agit de motu, de materia, de Tempore, de gen. & corr. & de similibus, non solum prout intelliguntur, verum etiam, vt sunt. Sed prout sunt, mutabilia, & incerta sunt, vt experientia docet. Ergo.

Nono. Scientia essentiam rerum scibilium cognoscit. At Physica non cognoscit essentiam rerum naturalium. Ergo. Maiorem nota. Minor est Arist. 6. Metaph. cap. 1. tex. 1. & in 4. cap. 2. tex. 5. vbi dicit solum. Metaphysicam essentiam omnium rerum, etiam naturalium considerare, & perlustrare, considerando eorum quod quid est.

Decimo. Physica agit de materia accidentibus affecta. Sed materia talis est ens per accidens de quo non est scientia. Ergo. Maior est nota. Minor probatur, quia accidentia adsunt, & absunt subiecto, cum non habeant esse fixum substantiæ.

Vndecimo. Magia est pars Physicæ, sed Magia non est scientia. Ergo nec Physica. Maior probatur ex diffinitione magiæ apud Cęlium lib. 6. lec. antiq cap. 12. quæ est talis. Magia est pars Phys. naturalis, quæ ex mutua, & opportuna naturalium virium copulatione, docet opera extra omnem admirationis captum. Minor probatur ex Arist. primo Magnorum mor. cap. 1. & 1. Ethic. cap. 1. & 4. vbi docet omnem doctrinam esse adinuentam gratia alicuius boni. Magia autem ad pernitiem hominum transit.

Duodecimo. Quæ fidei repugnāt vere scibilia non sunt, sed tantum deceptoria cēsentur. Sed Physica multis erroribus contra catholicā fidem pugnantibus scatet. Nam per Tertulianum lib. de Hæret. perscrip. hæres à Phyl. suboriuntur, & per D. Hyer. aduersus Pelag. Omnia hæreticorum venena de Phylosophorum fontibus emanarunt. Ergo.

Tertiodecimo. Causa fallax certam notitiam parere non potest, Sed causa radicalis cognitionis rerum naturalium est fallax enim sensus, qui sæpe decipitur. Ergo.

Quartodecimo. Quod repugnat communi fere conceptioni sapientum, illud non est affirmādum vt verum, per Arist. primo Post. Sed quod de reb. naturalibus sit sci entia repugnat fere omni scholæ Phyl. (vna excepta Peripat.) Ergo. Probatur minor. Nam Pythagorici apud Laertium in vita Pythagoræ fuerunt in sententia, quod de rebus naturalidus sit tantum opinio, ita Socratici, ex Socrate affirmauerunt nil certi de rebus naturalibus esse. Hoc idem dixerunt Academici apud D. Aug. lib. 3. contra Academicos. Ita Platonici ex Arist. 4. Metaph. cap. 4 ex quo Plato posuit tantum veritatem in mundo intelligibili, in sensibili vero solum secundum verisimilitudinem.

Pro enodatione huius quæstionis tria facio. Primo pono aliquas obseruationes pro fundamentis veritatis. Secundo eis addam duas conclusiones, quas rationibus firmabo. Tertio diluam argumenta.

Quo ad primum ergo primo obseruandum est, quod de scientia rerum naturalium tres apud Antiquos fuerunt opiniones. Prima fuit Heracliti, & Cratili negantium omnem scientiam de rebus naturalibus. Secunda fuit Platonis, qui scientiam harum rerum concessit, sed nō *Opiniones.*

per

per proprias species, sed per Ideas, de quibus satis in Metaphysica. Tertia est opinio Arist. fere communiter recepta scilicet, quod de rebus naturalibus datur scientia, & hanc sequimur.

Res naturales sunt scibiles. Secundo ergo sciendum, quod per res naturales intelligimus res in sui diffinitione materiam includentes, quia vt superius diximus, Physica quæ est de rebus naturalibus non abstrahit a materia, neq. secundum rem, neq. secundum rationem. Volumus ergo dicere, quod res naturales indiuiduatæ ex materia sunt scibiles, & diffinibiles, nam materia abstracta a principijs indiuiduantibus non dicitur materia sensibilis, sed intelligibilis, quæ potius dicenda est materia Metaphorice, quam proprie.

In vniuersali. Tertio tamen sciendum, quod res naturales dupliciter considerari possunt. Primo in particulari scilicet pro hac, vel illa re singulari, puta pro Sorte, pro Platone, vel Brunello, Secundo in vniuersali considerando naturam prout in singularibus existit v. g. naturam humanam prout reperitur in Socrate, & Platone. Primo modo rebus naturalibus non est scientia directe, quia sic concernunt materiam vt est initium corruptionis, & mutationis; Secundo autem modo de eis est scientiã, quia sic res naturales considerantur secundum suas rationes vniuersales, quæ cum sint sempiternæ, & inuariabiles, sunt etiam scibiles.

Quo ad essentiã maxime Quarto ergo notandum, quod in re naturali in communi considerata duo sunt. Primum est natura, quæ non abstrahit à materia, nec à principijs materialibus in vniuersali, sed bene in particulari, verbi gratia non abstrahit à carnibus, & ossibus, sed bene ab his carnibus, & his ossibus. Secundum est ratio, & diffinitio talis naturæ in vniuersali consideratæ. Primo modo consideratur natura secundum existentiam, & secundo modo secundum essentiam. Primo ergo modo natura potest dici corruptibilis, non secundum se, sed prout existit in singularibus; Non enim est necessarium quòd omne, quòd existit in rebus sit singulare, sed quod vel sit singulare, vel vniuersale singularizatum v. g. quod natura humana, vel plantæ sit singularizata in hoc Sorte, vel Platone, vel in hac, vel in illa planta. Secundo autem modo idest res naturales consideratæ quo ad essentiam sunt incorruptibiles, & maxime scibiles, nam scientia, & diffinitio abstrahunt ab actuali existentia.

Primario. Quinto ergo vlterius notandum venit, quod de aliquo haberi scientia bifariam stat. Primo primario, & principaliter, per se, & secundum se v. g. quando cognosco triangulum habere tres angulos vel hominem esse rationalem. Secundo secundario, & reflexe i. per rationem superioris sub quo continentur, vt dum cognosco Isochelem habere tres angulos vel Sortem, & Platonem esse rationales; hoc enim percipio per rationem communem, quia scilicet, sunt homines. Primo modo de rebus naturalibus habetur scientia in communi, & secundo in particulari, prout indiuidua continentur sub rationibus communibus.

Et obiectiue. Sexto igitur obseruandum est, quod intellectus vtitur re cognita vniuersali dupliciter. Primo obiectiue. i. vt re cognita, quia de ea format conceptum proprium, vt dum intelligit hominem esse substantiam animatam, sensibilem, & rationalẽ. Secundo, vt medio cognoscenti, nam cum singulare quatenus singulare materiale est sit directe, & primario sensibile, & nõ intelligibile, intellectus tunc vtitur re vniuersali, tanquam medio cognoscendi, applicando. i. rationem vniuersalem singularibus, v. g. diffinitionem hominis Socrati, & Platoni; Primo modo de singularibus non est scientia. s. per proprium conceptum, sed bene est sensus. Secundo autem modo secundario de eis est scientia, prout intelliguntur contineri sub ratione communi, quæ eis applicatur.

Vt stant sub vniuersalitatibus. Septimo memorandum est illud, quod diximus nono cap. primi. Post. quod dum dicimus rerum vniuersalium esse scientiam, hæc propositio potest habere quadruplicem sensum. Primus est, quod scientia sit rerum vniuersalium, & hic sensus non est verus, quia non reperitur vniuersale subsistens in rerum natura separatum à singularibus. Secundus est, quod scientia sit vniuersalitatum, & hic sensus est falsus inscientijs realibus, & verus in Logicalibus; Tertius sensus est quod scientia sit rerum, & vniuersalitatum tanquam duarum rerum, & vniuersalitatum tanquam duarum rerum, & hic sensus etiam reijci-

reijcitur, quia aggregatum non est scibile nisi per accidens. Quartus sensus est quod scientia quidem sit rerum, sed non absolute, sed vt stant sub vniuersalitate sine qua sciri non possunt, & hic sensus est verus, & intentus.

Quo ad secundum prima conclusio est. De rebus naturalibus in vniuersali consideratis datur scientia. Probatur primo. *Conclusio prolatur.* Rerum incorruptibilium, & sempiternarum est scientia per Arist. primo Post. cap. 9. Sed res naturales in vniuersali considerata sunt perpetuæ, & incorruptibiles ex eodem Arist. capit. de substantia. Ergo de eis est scientia.

Secundo. Quæ habent propria principia, & proprias passiones de ipsis demonstrabiles, illa sunt scibilia, per Arist. primo Post. cap. primò. At res naturales habent propria principia, & proprias passiones, vt compertum erit in successu huius scientiæ. Ergo &c. Tertio cognoscere effectum per causam est scire demonstratiue, & scientialiter. At Physica multos effectus per suas causas ostendit, vt patet discurrenti per hanc scientiam. Ergo.

Secunda conclusio est. De singularibus est scientia secundario. Probatur. Cognoscens passionem de superiori, potest eandem demonstrare de inferiori, vt sub illo superiori continetur v. g. sciens triangulum habere tres, angulos potest eandem rationem. s. habere tres cognoscere in Isocheli, vt continetur sub triangulo. Sed de rebus naturalibus in vniuersali consideratis per se demonstrantur multæ passiones primario. Igitur secundario hæ possunt demonstrari de singularibus, vt sub illis continentur.

Argumenta soluuntur. Ad primum respondetur ad probationem Minoris, quod aggregatum ex rebus diuersorum generum sit per accidens dupliciter intelligi potest. Primo si intrinsece, & ex æquo vtrunq; contineat, vt dicendo albus musicus in recto. Secundo si vnum intrinsece, & aliud extrinsece seu vt determinatiuum includat; Primum aggregatum non est scibile nisi per accidens, secundum autem sic, vt contingit in proposito; nam Physicus considerat essentias rerum naturalium vt sunt determinatæ per diuersas passiones, & accidentia.

Ad secundum dicendum, quod res naturales immo & materia in vniuersali sūt scibiles, & incorruptibiles, quāuis in particulari per accidens dicantur corrumpi. Sed contra hoc quod res naturales consideratæ in vniuersali, corrumpantur per accidens, instat Ioannes de Gandauo dupliciter. Primo, quia cui inest vnum oppositorum per se, illi non inest aliud oppositum per accidens; Sed vniuersalia per se sunt incorruptibilia. Ergo per accidens non possunt esse corruptibilia. Secundo quia Arist. 10. Metaph. habet, quod omne quod corrumpitur, per se est corruptibile. Sed ad primum primo dicitur, quod aliquid conuenire alicui per se dupliciter intelligi potest. Primo in primo, vel in secundo modo perseitatis, & sic vera est maior; nam si homo per se est rationalis, & risibilis, non est per accidens irrationalis, & irrisibilis. Secundo in tertio modo perseitatis, videlicet absolute, & solitarie, & sic est falsa maior, nam natura vniuersalis per se solitarie considerata non est corruptibilis, sed prout est ī hoc vel in illo corruptibili dicitur per aliud corruptibilis. Secundo respondetur, quod hæc propositio: Cui conuenit vnum oppositorum per se, ei aliud non conuenit per accidens, potest dupliciter intelligi. Primo secundum omnem considerationem, & hoc est falsum. Secundo secundum illam considerationem, secundum quam vnum concernit aliud, & sic dicendum est, quod vniuersale vt denudatum intelligitur à conditionibus indiuiduantibus, neq. per se, neq. per accidens dicitur corruptibile, sed quatenus existit in singularibus per accidens dicitur corruptibile, quia scilicet id in quo est, corruptibile est.

Ad secundum respondetur, quod ly per accidens bifariam intelligi potest. Primo vt idem sonat quod accidentaliter, & sic falsum est, quod vniuersalia corrumpantur per accidens. Secundo vt idem sonat, quod per aliud, quia scilicet illud in quo est (quod quidem per se corrumpitur) facit quod vniuersale in eo existens dicatur per aliud corrumpi, idest ad corruptionem alterius. Secundo respondetur, quod propositio Philos. est vera in re singulari, & non in re vniuersali. Tertio respondetur quod corruptibile, & incorruptibile dupliciter considerari possunt. Primo vt vtrunq. dicatur corruptibile, vel incorruptibile, positiue, intrinsece, & secundum

cundum suam naturam; Secundo negatiue, quia scilicet incorruptibile ex se nō habet quod corrumpatur. Propositio ergo Philos. verificatur de corruptibili positiue, nos autem ponimus vniuersale incorruptibile negatiue.

Ad tertium principale dicitur, quod res naturales abstrahunt a materia in particulari, & non in communi, vt explicatum est.

Ad quartum dicendum, quòd res naturales possunt habere infinitas differentias indiuiduales, si darentur infinita indiuidua, non vero vniuersales, quia tales sunt determinatæ; Vel secundo dicas, quod hoc esset secundum esse existentię, non vero quo ad esse essentiæ, quia hæ sunt determinatæ in genere.

Ad quintum dicendum ad maiorem, quod de rebus sensibilibus non est scientia in particulari, bene in vniuersali; Vel secundo dicendum, quod de eis non est scientia nisi reflexe vt sunt sensibiles, at vt intelligibiles bene, quia tunc intelliguntur secundum essentiam suam; Vel tertio dicendum, quod & si non sit scientia rerum sensibilium, est tamen scientia earum essentiarum, quæ existunt in rebus sensibilibus.

Ad sextum dicendum ad probationem minoris, quod duplex est mobilitas. Prima dicitur simpliciter, & hæc pensanda est secundum excellentiam naturarum, & hoc modo res naturales non sunt nobiliores intellectu; Secunda dicitur secundum quid, prout vnum se habet vt mouēs, & aliud vt motum, & sic res naturales sub hac ratione possunt dici præstantiores intellectu; sed de his suo loco.

Ad septimum primo dicitur ad minorem, quod res naturales subijciuntur mutationi in pariculari, & non in communi, & ideo dicuntur scibiles, certæ, & necessariæ in communi. Secundo dicitur, quod cum scientia Physica sit scientia quæ non abstrahit a motu, nec a materia, & consequenter nec a mutatione habet considerare mutabilia, sed sub ratione immutabili, idest quo ad connexionem prædicati cum subiecto, & nou quo ad rem subitractam in singulari.

Ad octauum dicendum, quod agere de tempore, motu, &c. prout sunt, potest dupliciter intelligi. Primo vt sunt pro hac vel illa differentia temporis, loci &c. Secundo prout communiter sibi vendicant subijci tempori, mutationi &c. Primo modo ea considerat Phys. reflexe, & secundario; Secundo vero modo directe, & per se primo.

Ad nonum dicendum ad minorem, quod considerare, essentiam rerum naturalium stat dupliciter. Primo in vniuersali, quo ad prædicata vniuersalia, & communia. Secundo in particulari, vt sunt essentiæ subiectæ generationi, & mutabilitati. Primo modo eas considerat Metaphysicus, secundo Physicus; Vel secundo dicas, quod Metaphysicus eas considerat vt cadunt sub eius abstractione, & Physicus vt sub sua sunt. Vel tertio addas, quod Metaphysicus eas perfectius considerat, & Physicus proprius.

Ad decimum dicendum, quod Physicus cōsiderat materiam per se vt est pars compositi, vt est pura potentia, vt est substantia, & quo ad similulia prædicata, sed in ordine ad accidentia, non eam considerat per se primo, & directe vt facit secundum primam considerationem, est enim talis consideratio non per accidens sed per se, quia consideratur vt ei per se conuenit affici accidentibus, sed tamen est secundaria eius consideratio, quia prima attenditur iuxta naturam, & essentiam.

Ad vndecimum dicendum, quod duplex est magia. Prima dicitur demoniaca & superstitiosa, quę arte Dæmonis varia veneficia ædificat. Secunda dicitur naturalis, quæ res naturales & mirabili modo cognoscit, & aptat. Prima damnatur, & secunda laudatur; & vt scientia amplexatur apud S. D. q. 16. de malo tertio contra Gentes c. 104. quodlib. 4.q.9.art. 1. Albertum 1. Eth. tract. 3. cap. 2. Platonem in Alcibiade 1. Ciceronem lib. 1. de diuinatione.

Ad duodecimum dicendum, quod illi errores non procedunt ex Philosophia secundum se, & recte inspecta, sed ex Philosophastris male vtentibus principijs veris Philosophiæ. Vel hoc euenit quo ad reuelata, & supranaturalia pro quanto Philosophi simplices rerum naturas inspiciunt solum, & non ea quæ Deus potest facere supernaturaliler in natura.

Ad decimum tertium negatur minor. Nam sensus circa proprium sensibile nō

decipiuntur,& si quandoq. falluntur,per ea quæ intellectus cognoscit corriguntur, & si vnum fallunt, alium non seducunt.

Ad decimumquartum dicendum,quod Socrates, & Pythagoras voluerunt inferre nos non habere perfectam scientiam de rebus naturalibus, eo modo quo scibiles sunt perfecte, & quidditatiue, quia non penetramus eorum totales proprietates. Plato autem concessit scientiam sed per ideas, de Academicis vero non curamus.

LECTIO V.

QVÆSTIO II.

Vtrum Physica sit scientia speculatiua.

VIdetur quod non, sed quod sit scientia practica. Primo. Nam scientia speculatiua ordinatur tantum ad scire, practica vero ad operari ex Arist. 1. & 6. Metaph. Sed Physica non solum ordinatur ad scire, sed etiam ad operari. Ergo erit practica. Probatur minor, nam cognitio rerum naturalium Dei amorem in nobis excitat, dum per eas tamquam per Dei similitudines in ipsum amore rapimur. Sed amor est operatiuus, & nunquam est otiosus per D. Gregorium. Ergo.

Secundo. Scientia speculatiua cum quæratur gratia sui dicitur libera, At Physica non est scientia libera, quia non est liberalis,non enim connumeratur inter septem scientias liberales. Ergo.

Tertio. Scientia nostra est diuinæ sciẽtiæ similitudo, & participatio. Sed Deus de rebus naturalibus non solum habet scientiam speculatiuam, sed & practicam per S. D. p. p. q. 1. art. 4. & q. 14. art. 16. Ergo.

Quarto. Agere de operationibus munus est Artificis practici propter quod Moralis dicitur practica. Sed Physica agit de operationibus animæ in libris de Anima. Ergo.

Quinto. Physica, & Medicina sociantur,per Arist. dicenten quod vna per alteram diffinitur, taliter quod Medicina dicitu r corporis Physica, & Physica, Animæ medicina. Sed Medicina cum agat de corporibus medendis,& curadis practica est. Ergo.

Speculatiua scietia, qua sit. Pro superficiali quæstionis intelligentia, (nam de scientia practica & speculatiua habes in 6. Metaph.) Primo notandum venit, quod specularitua scientia dicitur illa, quæ ordinatur ad scire, practica vero quæ dirigit scire ad operari,cum autem Physica tantum intendat nobis tradere notitiam rerum naturalium, ideo dicitur speculatiua.

Habet scire pro fine. Secundo tamen est notandum, quod si quis ordinaret Physicam ad opus, vel ad lucrum, hoc esset per accidens, ita vt nõ esset finis scientiæ, sed scientis, & ideo non faceret quod esset practica.

Conclusio probatur. Tertio ergo probatur conclusio. Primo. Nam Physica ordinatur ad scire. Ergo est speculatiua vt supra. Secundo patet ex eius partibus,quæ de rebus naturalibus notitiam tradunt, nec vllam de operationibus practicis mentionem faciunt. Tertio est sententia Aristot. 6. Metaphys. textu 1. & 11. Platonis apud Alcinouum lib. de doctrina Platonis cap. 7. Diui Augustini 8. de Ciuitate Dei cap. 4. & Boetij de Trinitate,& est opinio communiter recepta.

Argumẽta soluuntur. Ad primum ergo dicitur, quod ordinari ad amorem, & ad opus stat dupliciter. Primo immediate,& per se.Secundo occasionaliter, quia scilicet ex re nota procedit occasio amandi, & operandi. Primum per se facit scientiam practicã. Secundum non, nisi per accidens, & ab extrinseco, & in hoc sensu procedit argumentum.

Ad secundum dicendum,quod duplex est scientia liberalis. Prima secundum veritatem,& realitatem,& sic omnis scientia ingenua, & libera, vt est Physica potest dici liberalis. Secundo secundum famositatem,& vulgarem hominum numerationem, & sic non est posita inter septem liberales, quæ enciclopediæ, siue circulares vocabantur.

Ad tertium dicendum, quod scientia Dei est practica, & speculatiua. Primo, quia Deus res cognoscit, & vt vniuersalis prouisor in suos fines eas dirigit, homines autem non habent omnes res ad suos fines ordinare. Secundo,quia scientia Dei est perfecta, infinita, & comprehensiua, & ideo comprehendit omnes

rationes

rationes rerum, speculatiuas, & practicas; scientia autē nostra imperfecta est, vnde intellectus noster potest rem scire vltra progrediendo, & ordinando omne scire ad opus. Ideo ad argumentum dicitur, quod scientia nostra est imperfecta similitudo diuinæ scientiæ, & ideo non habet quod simul sit speculatiua, & practica, prout habet diuina.

Ad quartum dicimus, quod operationes sunt in duplici differentia. Nam quędam dirigūtur ad opus externum, & pro regula habent praxim, & pro actu actum voluntatis, & hæ constituunt scientiam practicam. Aliæ solum ordinantur ad sciendum, & ad intelligendum, & pro actibus habēt operationes intellectus de quibus agit scientia de anima, & hæ faciunt scientiam speculatiuam.

Pro solutione quinti argumenti scito, quod Auicenna initio suæ Metaphysicæ, & Galenus in finitionibus, voluerūt Medicinam in partem esse speculatiuam, scilicet, vt docet structuram hominis, complexionem &c. & in partem practicam, vt de medicamentis tractat. At D. Thom. in Boetium de Trinitate q. 5. art. 1. Scotus in q. 4. prologi sententiarum, & Auerroes in 1. de Anima. comment. 17. defendunt Medicinam esset simpliciter practicam. Primo quia habet pro obiecto corpus sanum, & infirmum, & pro fine ei restituere sanitatem, quando est infirmum, & illud conseruare in valetudine, quando est sanum. Hæc autem pro regula habent praxim, & finem practicū. Secundo, quia scientia extensione ad opus fit practica, idest quando ordinat scire speculatiuum ad opus, vt facit Medicina ordinando scitam complexionem hominum ad opus. Nam etiam sciētia moralis, & omnis alia scientia practica habent sua principia speculatiua, sed practica fit, quia ea ad opus dirigit. Ad argumentum ergo dicitur, quod medicina, & Physica in principijs sociantur, cum medicina assumat principia naturalia, at distinguuntur in fine, & in subiecto, à quibus ratio scientiæ practicæ, & speculatiuæ trahitur. In fine quidem, quia finis scientiæ naturalis est facere scire res naturales, at finis medicinæ est mederi. In obiecto etiam, quia obiectum naturalis est ens mobile, & medicinæ est corpus sanabile, vt est ens mobile motu alterationis.

LECTIO VI. & VII.

QVÆSTIO III.

Vtrum ens mobile sit totius naturalis Philosophiæ subiectum.

Videtur quod non. Nam ens mobile, vel significat substantiam, vel accidens, vel aliquid commune vtrique. Si substantiam, cum substantia mobilis, & corpus mobile sint idem conuertibiliter, sequitur quod corpus mobile possit esse subiectum. Si secundum, est contra veritatem, & contra communem sententiā. Si tertium, sequitur quòd ens dicat vnū tertium conceptum abstrahibilem à substantia, & accidente, quod non admittitur à Thomistis, vt patet 4. Metaph.

Secundo. Subiectum debet esse vnius rationis, ex Philosopho primo de anima. Sed ens mobile dicit duas rationes; dicit enim aggregatum ex duabus rationibus, scilicet ex ente, & ex mobili. Nec valet respondere, quod illa duo ponuntur ad circumloquendum vnam rationem formalem, quia ratio formalis debet esse notissima in scientia, & non indigere circumlocutione.

Tertio. Si ens mobile esset subiectum in sciētia naturali, sequeretur, quod Physica subalternaretur Metaphysicæ. Sed hoc est falsum, cum genere distinguantur. Ergo. Probatur assumptum, quia vna scientia dicitur alteri subalternari, quando addit differentiam accidentalem subiecto superioris scientiæ. At subiectum Metaphysicæ est ens, vt ens. Ergo si Physica ei addit differentiam mobilitatis, subalternabitur Metaphysicæ.

Quarto. Sic sequeretur, quod Physica non esset scientia particularis, sed pars Metaphysicæ. Hoc falsum vt patet ex Philosopho 6. Metaph. Ergo Probatur assumptum, quia eadem scientia considerat subiectum, & modos eius. Si ergo ens mobile est modus entis. Igitur consideratur à Metaphysica.

Quinto. Ens per accidens sicut non est scibile, ita nec potest esse subiectum in aliqua scientia. Sed ens mobile est ens per accidens, cum sit quoddam aggregatum ex ente, & mobilitate, quæ mobilitas accidit enti.

Sexto. Subiectum in scientia est illud ad quod resoluuntur passiones, & conclusiones illius scientiæ. Sed omnes passiones, & cóclusiones scientiæ naturalis resoluuntur ad substantiam mobilem, vel ad corpus mobile. Ergo. Maior est conditio subiecti. Minor probatur, quia omnia accidentia Physica causantur à substantia naturali.

Septimo. Inter subiectum, & rationẽ subiecti debet esse proportio, & adæquatio. Sed inter ens, & mobile non est adæquatio, vt patet in hac serie, ens, substantia, corpus, viuens, animal, homo, Petrus, in qua patet quod ens non recte coniungitur mobili, nec mobile adæquat rationem entis aliter omne ens esset mobile.

Octauo. Per Aristot. 6. Metaph. tex. 3. Si non essent substantiæ separatæ, scientia naturalis esset prima Philosophia. Ergo distinguitur solũ à Metaphysica, quia non considerat genus substantiarum separatarum, alia vero omnia, quæ à Metaphysico considerant speculatur vtique. At ens mobile non se extendit ad hæc omnia, vt ad transcendentia, & multa prædicamenta, quæ præscindunt à motu. Ergo.

Nono Astrologia est illa, quæ agit de ente mobili, idest cælo. Ergo non Physica. Probatur, quia distinguuntur.

Sed in contrarium stat authoritas D. Tho. in proemio primi Physicorum.

Pro enucleatione huius q. Primo ponam diuersas opiniones cum suis fundamentis, & rationibus. Secundo eas improbabo. Tertio opinionem D. Tho. explicabo, & propriam adijciam. Quarto omnibus argumentis contrarijs respondebo.

Quo ad primum liceat pro prima opinione illam ponere, quæ magnopere coangustat amplitudinem subiecti scientiæ naturalis, dum statuit, non omne ens mobile, vel corpus mobile motu Physico esse subiectum, sed tantum corpus mobile, quod est generabile, & corruptibile, vt corpora cælestia excludat. Hanc opinionem tenet Georgius Ragusceus disput. 1. cap. 5. de peripateticis disputationibus, & eam probat 1. Subiectum scientiæ debet esse vniuocum. At corpus mobile absolute sumptum, non vniuoce, sed æquiuoce dicitur de corpore cælesti, incorruptibili, & generabili corruptibili, iuxta ea quæ tradit Aristot. 10. Metaph. Ergo. Nec valet (inquit) respõdere, quod corpus mobile non vniuoce, nec æquiuoce dicitur de cælesti incorruptibili, & generabili corruptibili, sed analogice, & hoc sufficere. Nam necesse est omnem rationem esse vniuocam, vel æquiuocam, & ita rationem analogam ad vnam harum accedere. Probat hoc alijs etiam argumentis fundatis supra positiones à nobis reiectas, vt quod cælum sit corpus simplex, & non compositum ex materia, & forma, quod solum à Physico consideratur. Et quod definitio naturæ cẹlo non conueniat. Et quod eius principia non quærantur in primo Physicorum, sed tantum corporis generabilis. Et quod motus non sit eius actus, quia non est in potentia. His enim omnibus obiectis dicimus, ens mobile esse analogum Physicæ analogia inæqualitatis ad corpora cælestia, & inferiora, Logice autem esse vniuocum, iuxta à nobis tradita in tract. de analogia in 4. nostræ Metaphy. Ceterum falsum est cælum nõ esse compositum ex materia & forma, vt probo 8. Metaphys. Et quod definitio naturæ cælo non conueniat, vt ostendo secundo Phy. Et quod materia, & forma non sint principia etiã cœli, in communi considerata, & non vt sunt tantum priuationi adiuncta, prout locutus est Arist. de his, primo Phy. vt ex notiori ratione ascenderemus ad altiorẽ, traditã in pluribus locis suæ Philosophiẹ naturalis. Et quod motus cẹli non sit in potentia secundum rationem ad diuersa vbi, maxime dato ei dexterum, & sinistrum cum Arist. 2. cœli. Censemus autem hanc sententiã cecidisse. Primo, quia sic scientia de cœlo non esset naturalis, sed Mathematica, vel Metaphysica, quod est contra Arist. 2. Phy. Secundo quia consideratio primi motoris nõ esset Physica contra Arist. 8. Phys. & 2. vbi habet hæc verba tex. 7. Duo sunt principia mouentia Physice, quorum alterũ non est Physicum, quia non habet principium motus in seipsum. Ex quibus verbis deduco sequelam, Ergo quod habet principium motus Physici in seipso à fortiori erit considerationis sciẽtiæ naturalis, vtpote cadens sub eius obiecto. De cælo autem

hæc

hæc testatus est Arist. nam in 6. mentionem facit de motu circulari, qui cõuenit cœlo, de quo ad longum in 8. pertractat, & ex professo de cœlo in libris de cœlo, & mundo, qui cũ non cadant sub abstractione Mathematica, vel Metaphysica ne cesse est fateri, eos spectare ad scientiam naturalem. Item de tempore agens in 4. ipsum ponit in motu primi cęli, & in eodem qu arto disputat, quomodo cęlum sit in loco. Dicere autem quod corpus cœleste consideratur in Physica, vt principium corporum naturalium, & non vt pars scientiæ fuga est. Primo, quia ad eandem scientiam spectat considerare principium, & quæ sunt à principio. Secundo patet Arist. de cœlo, vt ens mobile secundum se sæpe sermonem habere; Et tertio, quia nobilissimum corpus esset prætermissum à propria consideratione.

Opiniones. Sed apud Scotistas communis est sententia, substantiam mobilem, seu naturalem esse subiectũ totius Philosophiæ naturalis. Primum horum fundamentũ est, quod in subiecto duo cernũtur. Primum se tenet tanquam materiale, idest res cõsiderata, vt substantia in Physica. Secundum se tenet vt formale, idest ratio sub qua res cõsideratur, verbi gratia, vt substantia est mobilis in eadem. Secundum est, quod sex sunt conditiones subiecti, quas infra ad tres reducam. His duobus fundamentis stantibus probant Scotistæ, quod substantia vt stat sub mobilitate, vel naturalitate sit subiectum in Physica.

Primo sic. Quia Aristot. hoc expresse asserit 6. Metaph. vbi ait. Quod Physica versatur circa substantiam, quæ in se habet principium motus, & quietis.

Secundo. Quia Angeli sunt substantiæ mobiles, & tamen non sunt corpora mobilia.

Secunda opinio fuit Alb. primo Phys. & Pererij lib. 2. suæ naturalis Phylosophiæ asserentium, subiectum Physicæ esse corpus mobile, & ideo notant, quod triplex est corpus. Primum dicunt Metaphysicum, scilicet substantiam compositam ex materia, & forma, cum aptitudine ad quantitatem, quatenus tamen talis substantia consideratur ab intellectu absque quãtitate. Secundum dicunt corpus Mathematicum, idest corpus trinæ dimensioni subiectum, idest longitudini, latitudini, & profunditati. Tertium nominant corpus naturale, quod in se habet vnde moueatur, & hoc dicunt esse subiectum in Physica, & hoc probant sic. Illud est subiectum in scientia cuius principia, & passiones in illa scientia considerãtur. At tale est corpus mobile, nam materia, & forma sunt eius principia, motus, quies, &c. eius passiones. Ergo.

Tertiam opinionem habet Toletus hic, scilicet, quod quamuis sit probabile ens mobile esse subiectum in Physica, rectius tamen dicitur, illud esse ens naturale, hoc probat. Primo. Quia illud non est subiectum in sciẽtia quod facit prædicationes identicas, & ridiculas. At tale est ens mobile, & non ens naturale. Igitur. Minor probatur, quia bene dicimus ens naturale est ens mobile, sed ridicule dicimus, ens mobile, est ens mobile.

Secundo. Subiectum debet exprimere radicem suarum passionum, & rationis formalis sciẽtiæ. Sed hoc magis facit ens naturale, quam ens mobile, cum natura in secundo Physicorum diffiniatur per esse principium motus.

Tertio. Quia ens mobile multiplex est, nam quandoq. sumitur pro passione, & aliquando pro principio passionis. At omne multiplex parit confusionem, à qua longe est ens naturale. Ergo.

Quarto. Ens mobile non exprimit quietem, quam ens naturale exprimit. Igitur ens naturale magis quam ens mobile erit subiectum in Physica.

Quo ad secundum sit prima conclusio contra opinionem Scotistarum. Substantia naturalis, seu mobilis non est adæqua tum subiectum Philosophiæ naturalis. Probatur primo. Nam illud est subiectũ adæquatum in scientia, quod est subiectũ primarum passionum scientiæ. Sed substantia naturalis, vel corpus mobile non sunt subiectum primarũ passionum Physicæ. Ergo. Probatur minor. Quia substantia, & corpus pertinent ad prædicamentum substantiæ, ens vero mobile est etiam ad quantitatem, & qualitatem, & ad vbi, vt patet quinto Physicorum. Nec valet respondere, quod substantia naturalis virtualiter, & in obliquo prędicatur etiam de his, quæ mouentur, secundum quantitatem, qualitatem, & vbi; quia Scotus expresse tenet in prologo primi *Cõclusio prima contra Scotum.*

Sent.

Sent.q 3. quod subiectum formaliter, & non tantum virtualiter debet continere omnes veritates illius scientiæ. De qua re vide D. Caietanum p.p.q.1.art.7.

Secũdo. Scotus in primo posteriorum q.47. habet hæc verba formalia. Hic dicitur, quod ens sub eadem ratione nõ est subiectum cuiuslibet scientiæ, quia ens rationis est subiectum in Logica, ens in quantum mobile est subiectum naturalis scientiæ, & ens sub absoluta ratione est subiectum Metaphysicæ. Item quæstione tertia vniuersalium, non multum sibi constans ponit subiectum scientiæ naturalis corpus dicens hæc verba. Nec oportet subiectum prædicari de omnibus in scientia consideratis, sed esse id propter quod alia considerantur, vt patet de subiecto naturalis scientiæ, quod est corpus mobile, ibi tamen agitur de motu, & anima, quæ non sunt corpus mobile. Ergo opinio Scoti non est solida.

Secunda cõclusio citra Albertum. Secunda conclusio ponitur contra Albertum, & est. Corpus mobile non est subiectum adæquatum sciẽtiæ naturalis: Probatur. Nulla scientia probat suum subiectum esse. At Phylosophus 6. Physicorum probat, quod corpus mobile sit. Ergo non erit Physicæ subiectũ. Respondent Albertistæ, quod aliud est probare, quòd corpus mobile sit, idest, quod existat, prout significatur esse per propositionem de secundo adiacente, & aliud est probare quod omne, quod mouetur sit corpus, per propositionem de tertio adiacente. Primum quælibet scientia supponit, & non probat. Secundum vero potest probare, in quo sensu ibi procedit Aristo. & non in primo sensu, secundum quem procedit argumentum. Sed hæc responsio non saluat opinionem Alberti. Quia, probare prædicatum non repugnare subiecto, est consequenter probare subiectum esse, sicut qui probaret rationale non repugnare homini, consequenter probaret hominem esse rationalem. Secundo. Quia ratio formalis subiecti, vtpote cuius virtute omnia alia notificantur, debet esse notissima in sciẽtia, & nullo modo de subiecto est probanda, vnde non sufficit quod ibi Phylosophus non probet existentiam de corpore mobili, sed adhuc opus est quod nec probet corpus naturale esse mobile, hoc enim supponendum est.

Confirmatur: Subiectum duo dicit, vnum tanquam materiale, & hoc est secundum aduersarios, corpus. Alterum se habet vt formale, idest mobile. Ratio autem formalis in scientia notior est ratione materiali, & per ipsam cognoscitur, sicut per rationalitatem cognosco hominem. Ergo mobilitas non potest probari de corpore, vt de subiecto. Nam si subiectum est notum, notior debet esse ratio subiecti. Nec valet responsio, quòd ibi probatur omne mobile esse corpus, non vero corpus mobile esse. Nam differentia est verbalis, quia probando mobilitatem de corpore, probo naturam corporis, sicut probando rationalitatem de homine, probo hominem esse, & esse rationalem.

Secundo probatur conclusio per primam rationem factam contra Scotum: Quia scilicet corpus mobile est de prædicamento substantiæ, motus autem reperitur etiam in quantitate, qualitate, & vbi. Respondet Toletus vnum tantum esse corpus, ex materia, & forma compositũm, & hoc moueri secundum quantitatem, qualitatem, & vbi. Sed hæc responsio non euacuat argumentum: Quia hic loquimur de motu per se, vt est talis speciei; modo non conuenit corpori, vt est compositum substantiale moueri secundum augmentum, vel alterationem, sed ei tantum conuenit per accidens, idest, vt est substantia. Enti autẽ mobili quanto per se conuenit moueri secundũ quantitatem, & quali secundum qualitatem. Ergo. Secundo, quia ens mobile, vt est quantum per se habet vnam differentiã, & vt alterabile aliam, vt autem est substantia has differentias non exprimit.

Tertio principaliter probatur. Quia subiectum debet continere omnia considerata in scientia, & de illis prædicari. Sed corpus mobile non dicitur de materia, forma, priuatione, & de mobili per accidens, nam materia est ens mobile subiectiue, & forma terminatiue. Ergo. Respondet Toletus sufficere, quod omnia considerata in sciẽtia verificentur de subiecto, vel in recto, vel in obliquo, modo & si materia, & forma nõ sint corpus mobile, sunt tamen principia corporis mobilis. Sed hæc responsio non soluit difficultatem. Primo, quia non attingit

vero-

veriorem, & magis propriam prædicationem. Nam bene possumus dicere in recto. Materia est ens mobile subiectiue, cum sit subiectū motus, & forma est ens mobile terminatiue, cū sit terminus motus, at dicere non possumus materia, & forma sunt corpus mobile. Secundo, qa & si verum sit, quod sumendo ens mobile pro eo quod proprie sit, materia & forma sic non dicantur entia mobilia, sed principia entis mobilis, tamen sumendo ens mobile aptitudinaliter, pro eo quod potest moueri, materia, & forma dicuntur entia mobilia secundū se, quia secundum se apta nata sunt moueri actiue, & passiue. Tertio, quia compositum accidentale mouetur, nec tamen proprie est corpus, cum non sit de genere substantiæ, & tamen per se est ens mobile.

Tertia cōclusio cōtra Toletum.

Tertia conclusio contra Toletum est. Rectius dicitur quod ens mobile sit subiectum in scientia naturali, quam ens naturale. Probatur primo. Quia rectius dicimus ens mobile est subiectum in scientia naturali, quam ens naturale est subiectum in scientia naturali. Nam per ly mobile exprimimus passionem subiecti. Per ly naturale vero nequaquam, sed idem videmur significare.

Secundo. Arist. 6. Metaph. dum scientias reales speculatiuas diuidit, ait, Physicam esse circa naturam, quæ est principium motus, & non dixit eam esse circa naturam, quæ est principium naturalitatis. Igitur subiectum Physice melius exprimitur per mobile, quam per naturale.

Tertio. Ens mobile profundius explicat naturam subiecti Physicæ, quam ens naturale. Ergo. Probatur antecedens. Quia ens mobile non solum significat ens naturale, sed vlterius annuit ens naturale, quod est mobile.

Quoad tertium, scilicet, quoad opinionem S.D. & pro eius explicatione. Primo obseruandum est, circa ly mobile, quod motus dupliciter sumi potest. Primo cōmuniter, pro quocunque mutabile, & quacūque mutatione, siue sit secundum substantiam, vt patet in generatione, & corruptione, siue sit secundum accidens, vt patet in motu secundum quantitatem, idest, secundum augmentum, & decrementum, vel secundum qualitatem, idest,

Mobile hic sumitur communiter

secundum alterationem, vel secundum motum localem. Secundo sumitur proprie, idest, pro triplici tantum specie motus, de quibus in quinto Physicorum, scilicet secundum quantitatem, qualitatem, & vbi. Primo modo ly mobile hic sumitur, idest, pro quacunque mutatione, & non secundo modo.

Pro communi mobili Physico.

Secundo notandum, quod mobile est duplex. Primum dicitur mobile subiectiue, quia est res, quæ mouetur, verbi gratia, paries qui dealbatur, vel denigratur. Secundum dicitur mobile terminatiue, quoniam terminatorum, verbi gratia, dealbationem, vel denigrationem, & vtrumque comprehendit. Verum est tamen, quod mobile, hic non sumitur pro mobili quocunque motu, scilicet Physico, & Metaphysico, sed pro mobili tantum motu Physico subiectiue tamen, vel terminatiue, idest, secundum materiam, formam, vel compositum.

Omni motu.

Tertio notandum pariter circa ly mobile, quod quandoque significat aptitudinem ad motum, & quandoque fundamentum ipsius aptitudinis; nam sicut risibilitas quandoque significat aptitudinem ad ridendum, dum explicat hominē esse risibilem, & quandoq. significat fundamentum aptitudinis ad ridendū, idest, rationalitatem, quę est causa risibilitatis; ita in proposito mobilitas hic non sumitur, vt significat fundamentum mobilitatis, idest hanc, vel illam rem, sed sumitur pro aptitudine ad motum, quia significat id quod aptum natum est moueri, & ita mobilitas se habet, vt ratio formalis determinatiua entis ad hoc, vt stet tantum pro ente apto nato moueri. Vnde quamuis passio cum subiecto in genere entis faciat vnum per accidens, in genere tamen scibilis, idest, quoad quid est passionis facit vnum per se, quia quod quid est passionis se habet vt causa formalis determinans ens ad standum pro mobili, & ideo dicimus reduplicatiue, quod ens mobile in quantum mobile, est subiectum naturalis Phylosophiæ.

In motu signato.

Quarto autem mihi distinguendū venit, ly mobile dupliciter. Primo vt significat aptitudinem ad motum, seu mobile in actu signato, idest, quod sit ens mutabile. Secūdo vt significat motum in actu exercito. Si primo modo consideretur ly mobile

mobile prout considerandum est, sic dicendum venit, quod ens mobile, & non corpus mobile constituendum est subiectum in Phylosophia naturali. Primo. Quia ens prius est mobile, quam sit corpus mobile, non enim corpus esset mobile, nisi constaret ex entibus mobilibus, vnde prius diuiditur ens in ens mobile, & in ens immobile, quam in corpus mobile, & immobile, vnde corpus mobile continetur sub ente mobili, & non econtra, vnde corpus mobile datur, quia ens mobile supponitur. Secundo. Quia ratio formalis subiecti per se explicat aptitudinem eius, & non actum. Si autem sumatur pro mobile in actu exercito, idest, pro eo quod proprie exercet actum motus, sic subiectum Physicæ erit corpus mobile, quia nihil proprie mouetur in actu exercito, nisi corpus, & hoc est, quod voluit affirmare Arist. 6. Physicorum dũ dixit, quod omne quod mouetur, idest, in actu exercito, est corpus.

Subiecti conditiones. Quinto breuiter recolligendæ sunt conditiones subiecti, quæ sunt tres principales. Prima est, quod contineat omnia considerata in scientia, vel in recto, vel in obliquo, vel primario, vel secundario; vnde debet prædicari de omnibus consideratis in scientia, vel vniuoce, vel analogice. Secunda est quod habeat rationẽ formalem per quam distinguatur ab alijs scientijs, prout per mobilitatem non abstrahentem à materia diuiditur Physica ab alijs scientijs. Tertia est quod subiectum sit principale consideratum in illa scientia, ad quod omnia alia reducantur, prout omnia considerata in Physica reducuntur ad mobile aliquo modo.

Rationes Scotistarũ soluuntur. His stantibus ad primum Scotistarum dicimus, quod ibi Aristot. loquutus est de subiecto principali, idest, de parte nobiliori, & principaliori considerata in ista scientia; Nam talis est substantia naturalis; Nos autem hic loquimur de subiecto adęquato, quod ens mobile dicimus; nam etiam multa accidentalia mouentur.

Ad secundum pudet respondere, cum certum sit Angelos non moueri quacunque specie motus Physici, sed tantum moueri motu Metaphysico.

Ratio Alberti soluitur. Ad argumentum Alb. patet ex supradictis; nam materia, & forma prius intelliguntur esse entia transmutabilia, antequam intelligantur esse principia corporis mobilis. Nec te moueat quod S.D. primo Cœli dixerit corpus mobile esse subiectum scientiæ naturalis, nam huic authoritati aliqui respondent, quod ibi loquutus est de subiecto materiali, & principali, hic autem de subiecto adæquato; Sed nos dicimus ibi esse loquutũ de subiecto in actu exercito, nos autem de eo loqui in actu signato. Nec tamen laudo responsionem illorum, qui dicunt ens mobile, & corpus mobile esse idem, etiam secundum rationem. Primo quia (vt diximus) ens mobile infert corpus mobile, & non econtra vniuersaliter. Secundo, quia proprie corpus mobile nominat substantiam mobilem, ens verum mobile adhuc dicit mobile secundum accidens, in actu tamen exercito idem esse dicuntur realiter.

Rationes Toletisoluũtur. Ad primum Toleti dicitur, quod ly ens cum se teneat vt materiale in subiecto, & ly mobile vt ratio formalis, & ratio formalis distinguatur ab eo cuius est ratio formalis, vt passio à subiecto, ideo nõ potest dici, quod ens mobile faciat prædicationes ridiculas, sed proprias. Secundo dicitur, quod eodem modo ridicule dicitur, corpus mobile est corpus mobile, & ens naturale est ens naturale, non vero ridicule dicitur ens mobile, est ens naturale, quod in se habet principium motus actiuum, & passiuum.

Ad secundum dicimus, quod ens mobile verius, & proprius explicat passiones subiecti quam faciat corpus mobile, vel ens naturale, vnde Parmenides, & Melissus concedebant ens naturale, & negabãt ens mobile. Secundo dicitur, quod ens naturale magis explicat motum fundamentaliter, quia natura dicitur principium motus, sed formaliter magis hoc explicat mobile, quia exprimit actionem motus.

Ad tertium dicimus, quod ly mobile stat pro ratione formali, vt diximus, & ideo nullam parit æquiuocationem.

Ad quartum dicimus, quod ens mobile principaliter exprimit principium motus, qui se habet, vt habitus denominatiuus rei, quies autem se habet, vt priuatio motus, à priuatione autem res non denominatur, & si a secundaria ratione non excludatur.

Ad

Argumenta sol uuntur. Ad primum autem argumentum principale respondetur, quod ens mobile significat quoddam commune analogum, substantiæ, & accidenti, nec hoc est contra Thomistas, qui negant cōceptum vniuocum, & præcisum substantiæ, & accidenti, non autem analogicum, vt in quarto Metaphys. ostendimus.

Ad secundum dicimus, quod ens mobile significat vnam rationem ijs duobus terminis circumloquutam.

Ad rationem autem in contrarium dicitur, quod ratio debet esse notissima, quoad quid rei in scientia à priori, sed in sciētia habita à posteriori, qualis est ista, sufficit notitia quoad quid nominis. Secundo dicimus, quod illa ratio debeat esse notissima dupliciter intelligi potest. Primo absoluta, & perfecta cognitione, & hoc est falsum. Secundo comparatiua cognitione, idest maiori cognitione, quā alia in illa scientia considerata, & hoc est verum. Vnde in proposito mobilitas notior est quacunque re cui conuenit moueri, cum prius cognoscamus mobilitatem, & deinde eam rebus attribuamus.

Ad tertium dicimus, quod Physica nō subalternatur Metaph. nec ei addit differentiam accidentalem, quia enti communissime sumpto (subiecto in Metaphysica) non potest addi differentia accidentalis, cum nihil subterfugiat naturā entis, nec principia Physica probantur in Metaph. nisi negentur, vnde in Physica præsopponuntur per se nota.

Ad quartum dicendum, quod modi entis sunt in duplici differentia. Nam quiddam sunt generales, emanantes à natura entis, vt ens est, & isti sunt de consideratione Metaphysici. Alij sunt applicati, & per diuersas rationes formales formalizati, vt ens mobile in Physica, & ens quantum in Mathematica, & ij modi has scientias constituunt. Secundo dicitur, quod illi modi vt cadunt sub abstractione Metaphysica pertinent ad Metaphysicum, sed vt cadunt sub alia abstractione, vt ens mobile sub abstractione nisi a materia singulari nec secundum rem, nec secundum rationem pertinent ad illam scientiam, sub cuius abstractione cadunt.

Ad quintū negatur minor. Sunt enim vnum realiter, & distinguntur formaliter. Secundo dicitur, quod & si in genere entis essent quoddā aggregatum vt sunt substantia, & accidens, non tamen aggregatum sunt in genere scibilis, quia vnum se habet vt ratio formalis alterius.

Ad sextum dictum est supra.

Ad septimum Pererij respondemus, quod ens dupliciter summi potest. Primo vt est quoddam transcendens, & sic non habet nec adequationem, nec proportionem cum mobili. Secundo vt est ens naturale, cui competit motus, & sic cum mobili habet proportionem subiecti, & passionis.

Ad octauum dicitur, quod sublato genere substantiarum separatarum Physica esset prima Philosophia bifariam intelligi potest. Primo absolute, & simpliciter, & hoc est falsum, vt probat argumentum; quando adhuc essent transcendentia, actus, & potentia, vt sic sumpta, & multa alia quibus non repugnat esse separata à materia, & consequenter non possent esse de consideratione Physici, cum hic non abstrahat à materia. Secundo quo ad substantias, & earum considerationem, & sic est verum; nam si non essent substantiæ separatæ à motu, & à materia, non esset necessaria Metaphysica, sed bene Physica, cum adhuc essent substātiæ materiales, & mobiles, & ideo Physica esset prima scientia, vt scientia est de substantia, quia esset de primis substantijs. Secundo dicitur, quod sic esset prima scientia primitate dignitatis, & principalitatis, sed non adæquationis.

Ad nonū patet, quod Astrologia agit de motu ad vbi, sed Physica agit de motu in cōmuni, & quo ad omnes eius species.

LECTIO VIII.

S. D. I.

CAPVT I.

Quoniam quidem intelligere, & scire. textu 1.

IN explicatione primi textus primi Physicorum tria agenda sunt. Primo enim adnotanda sunt aliqua necessaria ad dilucidationem textus. Secundo ex textu elicienda est vna conclusio, cum sua probatione. Tertio erit dubitandum.

Inten-tio text. Quoad primum ergo primo sciendum est, quod in duobus ijs textibus Primi, Phylosophus duo quasi proemialiter docet. Primum quidem est, quod omne intelligere, & scire incipiendum est à cognitione principiorum, & causarum, & descendendum est vsque ad elementa. Secundum est, quod in cognitione principiorum exordiendum est à cognitione principiorum vniuersaliorum, quod docet in secundo textu Arist. Ibi, innata est autem.

Quid intelligat Phylos. per intelligere, et scire. Secundo notandum venit quid Phylosoph. intellexit in textu pro intelligere, & scire. Sententia ergo S. D. est, quod Phylosoph. per intelligere annuerit cognitionem rei, habitam per diffinitionē, & per scire cognitionem ex demonstratione deductam. Nam hæc est differentia inter cognitionem habitam per diffinitionem, & habitam per demonstrationē, quod per diffinitionē simplici appræhensione intelligimus quod quid est rei, at per demonstrationem rem ipsam cognoscimus per secundam, & tertiam operationem intellectus, scilicet per compositionem, & diuisionem, per discursum, & ratiocinationem. Alij tamen per intelligere interpretantur cognitionem principiorum, & per scire cognitionem cōclusionum, quia principia simplici apprehensione intelliguntur, & conclusiones per discursum deducuntur, & sciuntur. Sensus ergo Arist. erit, quod ad rem cognoscendam oportet de ea habere cognitionem, & principiorum, & diffinitionum, & conclusionum, & vtraq. expositio stare potest cum ferè in idem coeant.

Quid p principia causas & elementa. Tertio notādum circa illa verba Arist. quoniam quidē intelligere, & scire contingit circa omnes sciētias quarum sunt principia, aut causæ, quod vtitur verbis disiunctiuis, dicendo, quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa. Quoniam omnes scientia nō requirit cognitionem omnium principiorum, omnium causarum, & omnium elementorum, propterea quod non omnis scientia per omnes causas procedit. Nam Mathematica solū vtitur causa formali, si Mathematicus vt Mathematicus demonstret, & nō vt Physicus, vel Metaphysicus, quia tunc etiam vtitur alijs generibus causarum. Quod etiam intelligo secundo loquendo de Mathematica, prout abstrahit à materia secundum rationem; nam quatenus realiter cōcernit materiam omnes causas rei speculari potest, sed hæc non erit consideratio Mathematica, sed Physica. Metaphysica autem solum triplex genus causarum speculatur, scilicet genus causæ efficientis, seu agentis (pro eodem enim sumimus efficientem, & agentem) nisi vellimus dicere quod per causam efficiētem intelligimus causam res producentem motu Physico, & per agentem causam simplici emanatione, vel in instanti, vel imperio voluntatis aliquid agentem, quæ tamen differentia in Arist. non reperitur expressa. Considerat etiam Metaphysicus causam formalem, & finalē, quia hæc possunt abstrahere à motu, & à materia, materiam autem nō considerat, vt est subiectum transmutationis, quo pacto à Physico consideratur, sed vt est ens. & potentia quæ non subterfugit sic considerationem Metaphysici. Physicus autem quadruplex genus causarum contemplatur, quoniam res eius considerationi subiectæ, omnes illas quatuor causas habere poterunt.

Quarto notandū venit, quid per principia, per causas, & elementa voluerit inferre Phylosophus. Albertus ergo, & Auerroes cum quibus videtur sentire D. Thom. arbitrantur, per principia intelligendas esse causas efficientes, quoniam de ratione causę efficientis est importare ordinem, & processum, quæ itidem principium dicit, vt patet ex quinto Metaph. Per causas autem intelligendum dicunt causam finalem, quoniam hæc causa causarum nominatur. Per elementa vero materiam, & formam sumunt, propterea quod elementum est ex quo aliquid fit, & ita ex materia, & forma tanquam ex duobus principijs intrinsecis compositum constituitur.

Sed contra hanc expositionem insurgit Pererius lib. 3. suæ naturalis Phylosophiæ cap. 1. & eam duplici argumento impugnat. *Explicatur.* Primum est. Quia si finis vocatur causa causarum, quomodo etiā vocatur principium, sicut efficiens? Secundum est, quoniam per Eudemum, & Alexandrum Deus est principium omnium rerum, non vt efficiens, sed vt finis. Igitur finis ille erit, qui vocandus est principium.

cipium. Sed hæc friuola sunt. Nam ad primum dicitur, quod causa efficiens vocatur principium, & finis non, tum, quia de ratione principij est solum dicere originem, & processum, & non causalitatē, modo efficiens diffinitur à quo incipit motus, & consequenter significat originem, sicut facit etiam principium. Hinc pater dicitur principium filij in diuinis, & punctum lineæ, & mane diei, & non dicuntur causæ. At de ratione finis est mouere, & agere, quæ proprie conueniunt causæ. Ad secundum dicimus, secundum veritatem Deum esse appellandum agentem, & efficientem omnium rerum primo, secundario vero dicēdum esse finem earundem rerum, quia omnia effecit, vt ad ipsum essent ordinata, quod voluerūt inferre Eudemus, & Alexander.

Alfarabius vero per principia sumit prima principia intelligendi, scilicet, prima principia complexa, quæ communes animi conceptiones vocantur, & vt notissima ab omnibus cōceduntur. Per causas vero præmissas, & propositiones ex quibus conclusio deducitur capit; & per elementa terminos ingredientes demonstrationem intelligit, vt sit sensus. Quod si perfectam cognitionem cuiuscunque rei volumus habere, oportet scire rem ipsam per principia notissima, & per propositiones, & terminos conclusionem ingredientes, scitos, & notos.

Sententia vero Auerrois ꝛ 2. diuinorum est. Quod per principia, causas extrinsecas, scilicet efficientem, & finem intelligimus. Per causas, materiam, & formam, efficientem, & finem, & per elementa, materiam tantum, & formam.

Mea autem opinio non destruens superiores est. Quod per principia Phylosophus non sumit aliquam ex quatuor causis, sed intelligit vniuersalissimam rei cognitionem, sicut per causas innuit cognitionem per propria cuiuslibet rei, intrinseca, & extrinseca, & per elementa exactam, perfectam, atque completā cognitionē, vnde est sensus. Quod quærendo cognitionem alicuius rei, oportet illam habere à primo actu, vsque ad vltimam potentiam, idest ab vniuersalissimis principijs, vsque ad vltima, procedendo per propria ipsius rei. Hanc autē expositionem ostendit Phylos. in textu sequenti, in quo subiungit. Quod innata est nobis via à notioribus, & vniuersalioribus principijs exordiri.

Vltimo notandum est, quod Arist. in hoc primo textu talem constituit cōclusionem. In omni scientia exordiendum est à cognitione principiorum, & procedendum per causas, vsque ad vltima rei, & hoc præcipue in ista, in qua hæc omnia conspiciuntur. Hoc autem probat, quia communis animi conceptio est, quod in scientijs tali modo sit procedendum.

LECTIO IX.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ad cognitionem alicuius rei, necesse sit cognoscere principia, causas, & elementa.

Videtur quod non. Nam diffinitio scientiam perfectam generat. Sed hæc non constat nisi ex genere, & differentia, quæ se habent vt materia, & forma. Ergo ad perfectam cognitionē sufficit cognoscere materiam, & formam.

Secundo. Sic sequeretur, quod nullius rei perfectam notitiam consequeremur, nisi primam causam, à qua omnia dependent cognosceremus. Hoc autem videtur, vel impossibile, vel difficile. Ergo.

Tertio. Scientiæ Mathematicæ perfectissime demonstrant, per Commentatorem secundo Meth. Sed tales non procedunt per omnes causas, sed solum per formalem. Ergo.

Quarto. Non constat quid intellexerit Arist. in textu per perfectam, & completam cognitionem.

Quinto. Scire est sempiternorum, quo ad necessariam connexionem prædicati cum subiecto, vt dicitur primo Post. c. 9. Sed hæc necessaria cōnexio cum sit opus rationis ab omni causalitate abstrahit. Ergo ad cognitionem rei non est necessarium cognoscere eius causas.

Sexto. Commune assertum est, essentias non habere causas. Ergo ad earum cognitionem non est necessaria cognitio causarum.

Septimo. Sic daretur cognitio comprehensiua rerum naturalium. Hoc falsum. Ergo. Maior patet, quia cognoscere rem per principia, causas, & elementa, est ea in cognoscere quantum cognoscibilis est, i. comprehensiue. Minor probatur, quia data quacunque cognitione perfecta rei naturalis, assecuta per intellectum humanum, adhuc Angelus, & multo magis Deus, eandem rem perfectiori modo cognoscit.

Octauo. Sic materia esset incognoscibilis, nam cum dicat ordinem ad infinitas formas terminatiue, in ea non potest intelligi hæc infinitas formarum, cum infinitum sit incognoscibile.

Nono. Secundum Arist. Mundus est æternus. Sed æternitas mundi supponit infinitas causas præcessisse, respectu cuiuscunque rei generabilis, vt respectu Sortis Pater, Auus, Proauus, Attauus, & sic in infinitum, Hoc autem est impossibile scire.

Decimo. S D. 3. p. quæst. 10. art. 2. & 3. habet, Animam Christi cognouisse omnes effectus, causas, & singularia, quæ sunt in potestate cuiuscunque rei creatę, quia eius scientia erat comprehensiua. Ergo ad scientiam comprehensiuam, quę est illa quę à principijs incipit, per causas progreditur, & ad elementa terminatur, cognitio omnium singularium requiritur. Sed hoc est impossibile humano intellectui, cum singularia sint infinita, & incognoscibilia Ergo talis cognitio, qualem hic descripsit Philos. non datur.

Cognitio cōplexa, & incōplexa. Pro decisione huius quæst. primo notandum venit, quod cognitio duplex est. Prima dicitur incomplexa, i. simplex intellectus apprehensio, qua intellectus prima sua operatione essentiam rei intelligit, eam non componendo, vel separando ab aliquo prædicato. Secunda dicitur complexa, qua intellectus secunda, & tertia sui operatione rem cū aliquo prædicato componit, vel ab eo separat, circa eandem discurrendo, & ratiocinando; & vtraque cognitio necessaria est; & si secunda magis faciat ad propositum.

Perfecta in genere et simpliciter. Secundo notādum venit, quod duplex est cognitio complexa. Prima dicitur perfecta in genere, quia rē perfecte cognoscimus per omnia illa quæ sunt illius generis, & ad cognitionem eius faciunt, vt quod homo sit ens mobile, quia habet in se principium motus &c. Secunda dicitur cognitio perfecta simpliciter, quia postulat absolutam, & totalem rei cognitionem, per omnia principia, causas, & elementa, cuiuscunque sint rationis, per se ei conuenientis, & de hac præcipue videtur loqui Philosophus.

Per se, et per accidens. Tertio notandum, quod causæ quæ faciunt ad cognitionem rei, quædam sunt per se, quia ab his res ipsa pendet per se, & in esse, & in cognosci, quædam vero sunt per accidens, sic dictę, quia accidunt rei. Dicunt ergo communiter D.D. quod cognitio causarum per accidens non est necessaria ad perfectā cognitionem rei, quia res ab ijs non dependet, nec in esse, nec in conseruari, sed cognitio causarum per se, si est perfecta in genere, vult cognitionem omnium causarum illius generis; Si autem sit perfecta simpliciter, petit intelligentiam omnium principiorum, causarum, & elementorum, quoniā hæc cognitio vocatur comprehensiua, propterea ꝙ facit cognoscere rem quantum cognoscibilis est. Intellige tamen per omnia naturalia, sed non per omnia supernaturalia, ad quæ est in potentia obedientiali, de qua diximus in 9. Metaphysicæ.

Mihi autem distinguendum videtur, quod de scientia dupliciter loqui possumus. Primo in acquisitione, & sic videtur necessaria cognitio omnium principiorum, causarum, & elementorum, si res ipsa perfecte cognoscatur. Secundo in vsu, & sic non est necesse cognoscere nisi illas causas, quas considerat, vel per quas demonstrat v. g. ante inuentionem Mathematicæ, necesse fuit scire causam materialem, effectiuam, & finalem omnium figurarum quantitatis, sed post habitam scientiam, sufficit Mathematico cognoscere causam formalem, per quam demonstrat. Ex his autem patet intelligentia Arist.

Ad primum ergo respondetur secundum aliquos, distinguēdo de duplici diffinitione, scilicet perfecta, quæ solum dicit cognitionem causarum intrinsecarū, scilicet materiæ, & formæ, & perfectissima, quæ supponit cognitionem omnium causarum, etiam extrinsecarum, Modo dicunt, quod ad perfectam diffinitionem

suffi-

sufficit cognoscere proprium genus, & propriam differentiam. Sed Chrysostomus Iauellus non approbat hanc responsionem, quoniam Arist. 7. Meth. tradens notitiam de diffinitione omni modo perfecta, nullam fecit mentionem de causis extrinsecis, sed solum de intrinsecis, Sed hæc impugnatio non subsistit, cum notum sit vnam diffinitionem alia esse perfectiorem, Ergo dabitur, & perfectissima. Hęc autem pendet à cognitione omnium causarum. Constat enim sæpe Arist. notificasse naturam rei per causam etiam finalem, & efficientem. Hinc secũdo reijcitur distinctio aliorum dicentium, quod cognitio demonstratiua postulat cognitionum omnium causarum, sed diffinitiua, solis causis intrinsecis est contenta. Contra enim hanc responsionem primo stat, quod medium in demonstratione est diffinitio subiecti. Secundo, quia diffinitio, & demonstratio simul ad cognitionem rei perfectam ordinantur, quamuis secundum diuersas operationes intellectus. Nec verũ est, quod diffinitio secundum totam latitudinem suæ perfectionis considerata constet solum ex intrinsecis causis, cum clare constet Arist. sæpe diffinire res etiam per causas extrinsecas, vt patet de demonstratione, & de anima; Et quia si diffinitio omne esse explicat, illud explicare debet, cum omni sua dependentia, Et tandem, quia sic sequeretur, quod diffinitio esset rei notificatiua secundum quid, idest secundum aliqua, & non simpliciter, idest quo ad omnia. Censeo ergo, quod de diffinitione dupliciter loqui possumus. Primo vt est diffinitio, & sic non requirit nisi cognitionem proprij generis, & propriæ differentiæ, ex quibus constat. Secuudo respectu rei diffinitæ, & sic si res diffinita quærit cognitionem omnium causarum, illas poterit explicare diffinitio, & si regulariter hoc non faciat.

Ad secundum dicitur, quod argumentum procedit de cognitione perfecta simpliciter, quæ non est sine cognitione primæ causæ.

Ad tertium, dicitur quod demonstrationes Mathematicę sunt perfectę in suo genere, idest per causam formalem, non autem simpliciter, nisi res Mathematica consideretur etiam secundum alias causas, vt faciunt Physicus, & Metaph.

Ad quartum dicendum, quod Aristot. intellexit loqui de perfecta cognitione rei prout postulat eius natura, secundum diuersas rationes considerata.

Ad quintum dicendum, quod in connexione prædicati cum subiecto duo sũt pensanda. Primum est fundamentum huius connexionis, & hoc est ens reale, verbi gratia, homo, qui vere, & realiter est animal rationale. Secundum est formale, idest illa connexio relatiua realis, inter subiectum, & prædicatum, vt inter superius, & inferius, & hoc est opus rationis. Quoad primum, res est cognoscenda per sua principia, causas, & elementa realia. Quo ad secundum, quo ad causam tantum formalem, secundum quam subiectum, & prædicatum dicuntur connexa in propositione sempiterna.

Ad sextum dicendum, quod essentiæ bifariam considerari possunt. Primo effectiue, & realiter, vt sunt res reales, & sic habent suas causas. Secundo formaliter, idest, quo ad significatum solum propositionis, & sic dicuntur præscindere a causis, quia hoc modo solum intuemur quid significent, & non quid sint, vel quomodo sint, sicut eas considerat naturalis.

Ad quintum dicendum, quòd res cognoscatur quãtum cognoscibilis est, stat dupliciter. Primo ex parte rei scitæ, & ita si est res naturalis, potest comprehendi ab intellectu creato tantum quantum à diuino, & si eã non comprehendat per accidens est. Secundo ex parte cognoscentis, vel medij cognoscendi, & sic Deus, deinde Angelus, & tandem homo magis, minusq. res cognoscunt, prout perexcellentius lumen eas percipiunt.

Ad octauum primo negatur, quod materia dicat ordinem ad infinitas formas secundum speciem, cum species sint in determinato numero, secundum Aristotel. 7. Metaph. cap 2. & Platonem in Philebo. Secundo dicitur, quod data hac infinitate, quod materia non esset cognoscibilis, dup. potest intelligi. Primo secundum se, & ita cum sit ordinis naturalis, cadatque sub obiecto proportionato nostri intellectus, secundum se esset cognoscibilis, neque maior ratio esset quod cognosceretur secũdum ordinem ad vnam formam natu-

naturalem, quam ad aliam naturalem. Secundo per accidens, & quasi ab extrinseco, quia scilicet infinitum totum simul non potest cognosci, cum non possit pertransiri, & sic diceretur incomprehensibilis, quo ad omnes formas simul in actu.

Ad non um dicendum, quod Sortes generis duo genera causarum habet. Primum est causarum per se, & tales sunt Pater, & Mater, qui per virtutem generatiuam illum generauerunt. Secundum est causarum per accidens idest illarum causarum, quę actuali influxu ad eius generationem nō concurrunt, vnde ad eius generationem non faciunt nisi in quantum Pater eius fuit ab Auo, & Auus ab Attauo, & sic in infinitum ascendendo. Cognitio ergo rei dependet tantum à causis per se, et de hac locutus est Philos. non autem de ea quæ est à causa per accidens, de qua procedit argumentum.

Ad decimum dicendum, quod duplex est cognitio comprehensiua. Prima dicitur perfecta in genere, vt est humana, & hęc perfecta est, si attingat omnia principia rei, & eius causas, vsq; ad elementa. Secunda dicitur perfecta, & absoluta simpliciter, quoniam attingit etiam singularia, quæ non cadunt sub directa cognitione humana, & talis fuit cognitio comprehensiua animæ Christi, de qua procedit argumentum.

LECTIO X.

Innata vero naturaliter via est, &c. tex. 2.

POstquam Phylos. tradidit esse exordiendum à principijs, & causis, modo explicat quomodo ab his sit incipiendum dicendo, quòd ab vniuersalioribus, vt a notioribus ad minus vniuersalia, vt ad minus nota procedendum est. In explicatione igitur huius tria faciemus. Primo vnam conclusionem eliciemus ex textu, adducendo probationes textus. Secundo aliqua ad maiorem explicationem adiungemus. Tertio aliqua dubia proponemus.

Quoad primum ergo. Conclusio in ijs textibus est. Ab vniuersalioribus tanquā à notioribus incipiendum est, & deinde procedendum ad minus vniuersalia, vt ad minus nota. Quod sic probatur. In qualibet scientia incipiendum est à notioribus nobis, & procedēdum est ad notiora naturæ. Sed vniuersaliora sunt nobis notiora, & minus vniuersalia sunt notiora naturæ. Ergo procedendum est ab vniuersalioribus &c. Pro notitia maioris ait Philos. quod eadem non sunt nobis nota, & naturæ, quia illa nobis dicuntur nota, quę magis sunt sensibilia, & magis intellectui nostro proportionata. Illa autem dicūtur nota secundum naturam, quæ secundum se maioris sunt actualitatis in se, & perfectionis, vt sunt Deus, & Intelligētiæ. Minorem autem probat tripliciter, scilicet in triplici toto. Primo in toto sensibili, vt si aliquem à longe videro, prius cognoscam, quod sit ens, deinde quod sit substātia corporea, deinde quod sit homo, & tandem quod sit sortes. Ens autem vniuersalissimum est, & transcendens. Secundo probat hoc in toto diffinibili, quia prius cognoscitur totum diffinibile, quam eius partes cognoscantur. Sed totum diffinibile se habet vt magis vniuersale, quam suæ partes. Igitur. Maior patet, quia prius cognosco hominē, qui est res diffinita, ante quam cognoscā animal, & rationale, quę sunt partes eiusdem diffinitionis. Minor est nota, quia homo diffinitus se habet vt quoddam cōfusum. Nam diffinitio, & diffinitum idem significant, sed diffinitum confuse; & diffinitio distincte. Tertio probat in toto intelligibili sic, quia sicut vniuersalius intelligibile, est prius nobis notum secundum intellectum, vt animal, homine, ita communius sensibile est prius notū nobis secundum sensum, vt hoc animal, quā hic homo, quod dupliciter ostendit. Primo secundum locum, vt exemplificatum est de veniente à longe. Secundo secundum tempus, vnde primo pueri appellant omnes homines patres, & feminas matres, & deinde discernunt hunc, vel hanc esse suum patrem, vel matrem, & non illum, vel alteram.

Vniuersaliora, vt confusiora, sūt priora ī nostra cognitione

Quo ad secundum primo notandum est, quod quadrupliciter aliqua dicuntur magis nota secundum naturam, & quadrupliciter nobis ex opposito; quia quot modis dicitur vnum oppositorū tot modis dicitur & reliquum. Primo ergo modo aliqua dicuntur prius nota secundum natu-

Notiora secundū

naturā, & nobis quadru pliciter. naturam, quæ magis à sensibus nostris elongantur, & sunt perfectioris entitatis, vt Deus, & intelligentiæ; nam tanto magis res de se est intelligibilis, quanto magis est in actu, vt sunt Deus, & intelligentiæ, ex quo dicebat Phylos. 2. Metaph. quod intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad lumen solis. E conuerso vero aliqua nobis notiora dicuntur, quia magis sunt materialia, & sensata, quoniam intellectus noster pro hoc statu à materialibus, & sensatis procedit ad immaterialia, & intellectualia, sic procedendo de imperfecto ad perfectum. Secundo modo aliqua sunt magis nota secundum naturā, quia magis sunt à natura intenta, cum natura intendat producere perfectissimum ens pro possibili, & ideo perfectiora dicētur magis à natura intenta, vt species, genere, cum sit eo nobilior, vt homo, animali. E cōuerso magis nobis dicūtur nota indiuidua, quia minus intenduntur à natura, cum ab ea intendantur propter conseruationem speciei. Tertio modo aliqua dicuntur magis nota secundum naturam per indepēdentiam, quia scilicet possunt cognosci sine alio, à quibus non conuertitur subsistendi consequentia. Et econtrario, quæ per aliud cognoscuntur, magis nobis cognita dicuntur, & ideo quamuis substantia secundum se magis sit cognita accidente, non tamen ratione nostri, cum per sensibilia accidentia, ascendamus ad cognitionē substantiæ. Quarto modo aliqua dicuntur magis nota secundum naturam, quia se habent vt causæ. Et è conuerso nobis, quia se habent vt effectus; nam si natura inciperet cognitionem, inciperet à causis. Nos autē ab effectibus incipimus, vt à notioribus.

Natura sumitur quadru pliciter. Secundo obseruandum venit, quod natura quatuor modis sumitur. Primo enī sumitur pro principio vniuersaliter actiuo, & sic Deus, & intelligentiæ, & causæ rerum dicuntur primæ naturæ. Secundo capitur pro principijs intrinsecis rei naturalis constitutiuis, & hoc modo Phyl. 2 Phys. vocauit materiam, & formam naturas, prout tamen habent ordinem etiā ad motum. Tertio modo accipitur pro naturali inclinatione rei, quo pacto Aristo. 4. Phys. dixit, quod natura abhorret vacuum. Quarto modo sumitur pro quolibet agente naturali, & secundum diuersitatem rei potest verificari iuxta modos supradictos eadem non esse nobis nota, & naturæ. His stantibus.

Confusū quid significet. Tertio loco videndum igitur est, quid intellexit Phylos. in textu per confusa, dum dixit magis autem sunt nobis nota confusa. Confusum ergo idē sonat quod plura continens indistincte, & in potentia; Distinctum vero idem sonat, quod plura continens distincte, & in actu, verbi gratia, animal dicitur quoddam confusum, vt continet suas species indistincte, & in potentia; Species autem distincte continet, quia verbi gratia, homo determinat animal, ad stādum pro animali rationali, vnde bene inquit Philos. in textu, quod quanto aliquid est magis vniuersale, tanto magis dicitur confusum, quia plura continet indistincte, & in potentia.

Intentio Aristot. quæ sit ī tex. 2. Quarto ergo loco versandum est circa intentionem Arist. in ijs textib. Nam nō est vna omnium sententia. Auerroes ergo, & Græci tradunt, Arist. in ijs textib. voluisse declarare principia, causas, & elementa rerum naturalium, & hoc fecisse per composita, quæ sunt secundum naturam posteriora, sed nobis notiora. Sed contra hāc expositionem dupliciter instat S.D. Primo, quod sic Arist. notaretur superfluitate, cum in secundo Phys. doceat modum demōstrandi hæc. Secundo, quia male per composita intelliguntur vniuersalia, subinferendo, quod genus componitur ex speciebus, nam nullū compositum ex partibus de eisdem prædicatur in recto; Sed genus prędicatur in recto de suis speciebus. Ergo ex ipsis nō componitur. Notandum est tamen, quod duplex est compositio. Prima dicitur realis, vt est compositio, materiæ, & formæ, & elementorum in composito. Secunda potest dici intentionalis, & abstractiua, prout intelligimus genus continere species. Prima compositio impedit prædicationem in recto & in hoc sensu S.D. impugnat Auerroem, non autem in secundo. Sed hæc secunda compositio dicitur Logica, & non Physica, prout de composito hic loquitur Phylos. Alexander autem teste Simplicio, voluit Arist. in his textibus docere modum, & viam cognoscendi prima principia rerum naturaliū, quoniā hæc non cognoscuntur nisi prius

per

per quasdam quæstiones vniuersales. Sententia autem S. D. est, quod ab vniuersalioribus principijs sumenda est doctrina.

Eadem non sunt nobis nota & natura in quibus valeat. Quinto pro vlteriori notitia horum textuum notandum est, quod hæc propositio Phylos. Quod in eadem scientia, eadem non sunt nobis nota, & naturę, nõ est vniuersaliter vera, sed in pluribus; nam in Physicis sic probatur à S. Thoma. Quæ sunt magis nota secundum naturã, maioris sunt entitatis, & magis elongata a sensibus nostris; notiora autem nobis, minoris sunt entitatis, & magis propinqua sensibus. Ergo in Physicis eadẽ non sunt nobis nota, & naturæ. Commẽtator autem hoc sic probat. Illa sunt priora secundum naturam, quæ prius natura cognosceret, si cognitionem haberet, & ea sunt nobis notiora, quę prius à nobis cognoscuntur. Sed non eadem quæ primo à nobis cognoscuntur, cognoscerentur à natura, quia nostra cognitio non incipit à magis perfectis. Ergo.

Notandum est tamen circa hoc, quod in Physicis eadem non sint nobis nota, & naturæ, potest dupliciter intelligi. Primo per se, & hoc verum est, seruato ordine rerum naturalium diuersarum. Secundo fere per accidẽs, idest respectu alicuius, nobis, & naturæ noti, vt patet de principijs notissimis. Verba D. Th. & Aristot. in primo sensu intelliguntur, & non in secundo. Fallit autem in Mathematicis, cũ Mathematica procedat per causas formales, & eius demõstrationes sint in primo gradu certitudinis, & secundum se, & ratione nostri, & ideo propositio Phylos. intelligẽda est pro subiecta materia, i. in Physicis, quamuis extendatur etiam ad Metaphysicam, in qua sunt aliqua magis, minusve in actu.

D V B I A.

Circa supradicta autem multa occurrunt dubia. Primum autem dubiũ accidit contra id quod Aristo. dicit, quod vniuersaliora sunt nobis notiora, quam minus vniuersalia. Nam oppositum primo Metaph. dixit, scilicet quod vniuersalia quoniam maxime remota sunt a sensibus nostris, sunt nobis cognitu difficiliora.

Secundo. Idemmet Aristot. 1. Post. ait, quod singularia nobis sunt notiora, & vniuersalia secundum naturam, quod repetit secundo Post.

Secundo dubitatur, quia Arist. æquiuoce procedit, dum ex toto sensibili, argumentatur ad totum vniuersale, quæ sunt tota æquiuoca.

Tertio dubitatur, quia videtur esse repugnantia inter primum, & secundum textum. Nam in primo tradit esse incipiendum a principijs, in secundo vero a nobis notioribus. At principia sunt notiora secundum naturam, & effectus nobis.

Quarto dubitatur circa id, quod dixit, quod diffinitum est vniuersalius diffinientibus. Nam diffinientia sunt vniuersaliora, vt animal homine.

Ad primum autem horum dicitur primo, quod duplex pro nũc est vniuersale. Primum dicitur in causando, vt Deus, & intelligentiæ, & hoc vt maximæ entitatis, & perfectionis, est difficilis cognitionis, vt dixit Arist. in 1. Metaph. Secundũ dicitur in prædicando, & hoc hic vocatũ est facilioris cognitionis. Vel secundo dicendum cũ S. D. quod si sermo sit de vniuersali in prædicando, de eo duobus modis loqui contingit. Primo de eius cognitione incomplexa, & confusa, sequente simplicem intellectus apprehensionem; Secundo de exacta, absoluta, & perfecta eius cognitione. Primo modo locutus est hic Phylos. quia sic sumitur vt maxime confusum, & ideo prius nobis notum. Secundo autem modo locutus est Phyl. in primo Metaph. quia ad perfectam cognitionem vniuersalis, necesse est cognoscere omnia, & singula ei superiora, & inferiora.

Ad secundum respõdet hic S. D. quod singulare duplex est. Primum dicitur singulare absolute, quod est singulare, sensibile, & materiale. Secundum dicitur singulare in respectu, vt est species respectu generis. Phylosophus 1. Post. locutus est de singulari primo modo, & quoad cognitionem sensitiuam, hic autem loquitur de singulari secundo modo, prout verbi gratia, homo potest dici quoddam singulare, respectu animalis.

Ad secundum principale dicendum, quòd Phyl. argumẽtatur a proportione, quia sicut totum sensibile confusum est,

ita

ita etiam totum vniuersale, & in hoc stat proportionalitas, & vis argumenti.

Ad tertium dicimus, quod ruit difficultas, quia Arist. in primo textu tradit esse incipiendum à principijs, in secundo autem quod incipiendum est ab vniuersalissimis principijs, vnde comparat principia ad principia, & non principia ad effectus, vnde non est nobis obijciendum, quod effectus sint notiores suis principijs, nisi vellimus agere de sciẽtia, vt per inuentionem acquiritur, sed hoc erit extra propositum, cum hic de scientia loquamur habita per modum disciplinæ à Magistro, in qua incipiendum est ab vniuersalioribus principijs.

Ad quartum respondet hic S.D. quod diffinientia secundum se sunt notiora, secundum cognitionem distinctam. Diffinitum autem nobis cognitione cõfusa, secundum quam intelligitur esse vniuersalius, quia resoluitur in sua diffinientia.

QVÆSTIO V.

Vtrum ens sit primum cognitum.

HAnc quæstionem habes examinatam in 5. Metaphysicæ, quæst. 20. ibi vide.

LECTIO X.

QVoniam Phylos. à textu 5. vsque ad 42. immoratur circa opiniones Antiquorum, de principijs rerum naturaliũ, quæ scitæ parum proficiũt, & diffuse tractatæ altiora studia impediũt, ideo in hac lectione summarie eas perstringam, addendo quædam dubia cum suis solutionibus.

Sententia eorũ qui fecerunt vnum esse principium naturaliũ. Sciendum est ergo primo, quod aliqui fecerunt principia rerũ naturalium infinita, alij finita, & quidam vnum solum. Qui ergo vnum tantum principium cõstituerunt, diuisi sunt. Nam Mellissus hoc vnum principium dixit esse immobile, & infinitum, quæ sententia à vero non aberrat, si de primo principio effectiuo, idest de Deo optimo maximo intellexit, & non de materiali. Nam ipse Deus immotus manens, dat cunctis moueri, ait Boetius. Parmenides vero cum Mellisso concordauit, ponendo vnum solum principium, & hoc immobile, sed in hoc à Mellisso discordauit, quod hoc principiũ fecit finitum. Tertiam sententiam habuit Tales Milesius, cum pluribus sapientum Græcorum, scilicet, quod aqua esset rerũ naturalium principium, forsitan ex hoc, quod humidum est principium vitæ, & siccũ mortis. Quarta sententia fuit Diogenis, & Anaximenis, facientium aerem principium rerum naturalium. Quinta fuit Heracliti, hoc attribuentis igni. Sexta est Hesiodi facientis terram. Septima fuit quorundam, tenentium vaporẽ medium inter aerem, & aquam esse rerum naturalium principium, & istę septẽ sententiæ in hoc conuenerunt, quod vnum fecerũt, principium rerum naturalium.

Secundo obseruandum venit, quod similiter illi, qui tenuerunt principia rerũ naturalium esse infinita, in plures classes partiti sunt. Nam Anaxagoras inter primos posuit infinitas particulas indiuisibiles, constantes ex infinitis alijs particulis indiuisibilibus, ex quibus componebatur totum. Posuit autem omnia prius extitisse in quodã confuso, vocato Chaos, & deinde aduenisse intellectum, hæc omnia separantem, atque distinguentem. Democritus vero voluit omnia esse composita ex infinitis attomis, contradicendo in hoc Anaxagoræ, quod voluit has attomos esse eiusdem rationis cum compositis, & solum distingui figura, quia quædam sunt figuræ circularis, quædam triangularis, &c. Subdebatque, caput esse rotundum, quia ex attomis rotundis componebatur, & manus planas, & digitos rotundos, quia ex attomis planis, & rotundis conficiebantur.

Tertio sciendum est circa opinionem eorum, qui plura principia, sed finita fecerunt, quod Parmenides duo principia constituit, scilicet ignem, & terram; alij ignem, aerem, & aquam, alij vero vt Empedocles cum asseclis quatuor elementa, *Et qui finita.* Plato vero duo principia formauit, vnũ tanquam materiale, scilicet magnum, & paruum, videlicet quantitatem, & materiam simul, vt aliqui exponunt, & Ideam tanquam principium formale, (vt alij interpretantur.) Pythagoras & ipse duo principia posuit, scilicet par, vt principium materiale, & impar, vt principium formale, propterea quia par est numerus

rus diuisus, sicut etiam est numerus par, & forma est indiuisibilis, sicut est numerus dispar. Sed Empedocles ad litem, & amicitiam aufugit, ponendo hæc principia rerum, quoniam amicitia eas vnit, & inimicitia separat; & iterum per amicitiam dixit res redire ad Chaos, & per inimicitiam esse dissoluendas, & ita in infinitum. Subdit autem Phylos. quod aliqui ex ijs naturaliter sunt loquuti, vt qui côcesserunt motum, & quidam innaturaliter.

Quarto notandum circa id quod diximus de opinione Parmenidis. Nam sibi videtur fuisse contrarius (si Aristot. creditur.) Nam in initio dixit, illum vnum solum principium, & hoc immobile fecisse, & in subsequêtibus adiunxit, illum duo principia posuisse, scilicet ignem, & terram. Huic tacitæ obiectioni dupliciter occurrimus dicêdo. Primo Parmenidem duos libros composuisse; vnum in quo accurate rerum principia inuestigauit, & in hoc vnum tantum côstituit. Alium vulgarem, in quo duo principia esse voluit. Alij dicunt, quod secundum veritatem vnum tantum côstituit principium immobile, sed secundum apparentiam duo, scilicet terram, & ignem. Si autem multa videre cupis curiosa circa has opiniones, lege Collegium Conimbricense hic, cap. 7. q. 1.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Physicus possit disputare contra negantes sua principia.

VIdetur quod sic. Quia expresse hic Philos. disputat contra Parmenidem, & Melissum, & alios negantes principia naturalia, vt motum esse, plura entia esse.

Secundo. Ad illud spectat defendere, & probare principia, quæ illa habet tanquam sua, quoniam ad vnum quemque spectat sua propria defendere. Ergo hoc non negabitur Physico, quod defendat sua principia, contra negantes ea.

Pro enucleatione huius quæst. primo obseruandum est, quod principia scientiarum sunt in duplici differentia. Nam quędam vocantur principia essendi, quia ex ijs res constant, vt in Physica materia, & forma, ex quibus constant res naturales. Quædam vero vocantur principia cognoscendi, & hæc sunt principia immediata, per se nota, in qualibet scientia. Dicunt ergo aliqui, quod Physicus non potest, nec debet disputare contra negantes sua immediata principia cognoscendi, cum non habeat alia notiora principia, ex quibus possit illa probare, sed potest probare sua principia essendi, scilicet disputare de materia, forma, & priuatione, pro vt facit Philos. in ijs libris. Sed

Physicus probat sua pricipia essendi, nô cognoscendi.

Secundo notandum est, quod principia essendi, & cognoscendi adhuc dupliciter considerari possunt. Primo quoad esse existentiæ, vt probando de ipsis existentiam, vt quod materia sit, natura sit, & similia. Secundum quoad esse quidditatiuum, accipiendo proprium genus, & propriam eorum differentiam, & sic hæc diffiniendo. Primo modo non probantur principia, nec essendi, nec cognoscendi, quoniam ridiculum esset velle probare materiam in re materiali esse, & naturâ in re naturali. Secundo autem modo nô incôuenit singula principia diffinire, per proprium genus, & per propriam differentiam, quoniam hoc munus est artificis scientis. Sed

Tertio notandum, quod principia essendi probentur à Physico, & ab eo contra aduersarios defendantur, stat bifariam. Primo quoad esse naturæ, & hoc absurdum est. Secundo, quoad aliquam singularem rationem, vt quod natura in quibusdam est principium actiuum motus, & in quibusdam passiuum. Primo modo nullus artifex probat sua principia, sed ea supponit. Secundo autem modo de eis quærit, ostendendo quod ex medullis rerum, eorum proprietates effluunt.

Quoad quid est, non quo ad an est.

Quarto notandum venit, quod Physicus disputet de principijs suis, etiam quo ad an est, dupliciter intelligi potest. Primo vt Physicus est, & per principia sua propria, & sic falsum est, cum nullus artifex particularis habeat principia notiora suis proprijs principijs, ex quibus possit aduersarium conuincere, de veritate suorum principiorum. Secundo potest intelligi prout Physicus assumit habitum Metaphysici, vel Dialectici, & sic potest

Nisi vt indutus habitu Metaphysico.

potest eā probare, quia cum hæ scientiæ sint generalissimæ, per vniuersalissima principia sua possunt probare principia immediata omnium scientiarum; Metaphysica ostensiue,& Dialectica probabiliter, & hoc modo contingit in Physica, scilicet quod Physicus assumpto habitu Metaphysico,disputet de suis principijs, & per hoc patet ad primum.

Ad secundum dicendum, quod vnusquisq. propria defendit, quando habet modum illa defendendi; modo Physicus secundum se non habet vnde defendat sua principia vt Physicus est, bene, vt Metaphysicus.

LECTIO XI.

QVÆSTIO VII.

Vtrum si tantum vnum esset principium, vnum tantum esset ens.

Videtur quod sic. Quia hæc dictio exclusiua, solum, omne aliud excludit, idest valet, solum principium est. Ergo non est aliquod principiatum.

Secundo econtra arguitur. Quia si videtur vnum tantum ens esse, & principium, valet dicere. Est tantum principiū. Ergo non principiatum. Ergo possumus etiam deducere. Ergo nec etiā erit principium. Probatur, quia correlatiua hoc habent, quod vno eorum sublato, aliud etiam tollitur, principium autē, & principiatum sunt correlatiua.

Dictio exclusiua exclusit solū distinctū supposito. Pro decisione huius quæst. primo notandum est, quod de dictione exclusiua datur vna regula, ex qua tria corrolaria deducuntur. Regula est, quod dictio exclusiua, vt tantum, solum, tantummodo, & similes, excludit esse aliud, quod distinguitur persona, seu supposito à cōsortio prædicati. Hinc deducitur primum corollarium, quod in relatiuis dictio exclusiua vni apposita, si illa relatiua realiter, & supposito distinguūtur, ponendo vnū tantū, aliud negamus. Vt si dicamus tantum pater est: negamus, quod filius sit, quia pater distinguitur supposito à filio. Si autem duo relatiua realiter non distinguuntur, ponendo vnum non tollimus aliud, vt dicendo, Sortes mouet tantum seipsum. Secundum corrolarium est. Quod dictio exclusiua non excludit vnū, quod in altero includatur, vt quia genus in specie includitur, & species in genere non valet dicere, tantum homo est. Ergo animal non est. Nec tantum animal est. Ergo homo non est. Tertium est, quod si vnum includat aliud tāquam partem sui, apponendo dictionem exclusiuam toti, non negamus partem, vt dicendo tātum domus est, non negamus quin parietes sint, & dicendo tantum homo est, nō excludimus quod habeat partes, vt manus, & pedes, & in summa totum valet in ijs quæ supposito distinguuntur.

Secundo notandum pro euidentia rationis Phylosophi, quod duplex est principium. Primum dicitur principium productiuum effectiuum, quod realiter distinguitur supposito ab effectu producto & in hoc valet arguere. Tantum principium est. ergo non principiatum, quia principium à principio productiuo realiter distinguitur. Aliud vero vocatur principium materiale, vel formale, quod non distinguitur realiter, & supposito a producto, & in hoc non valet arguere. Tantum principium est. Ergo non principiatum, idest tantum homo est. Ergo animal non est. Modo Phylos. loquebatur de ijs quæ realiter supposito distinguuntur, iuxta intētionem antiquorum, & per hoc patet ad primum.

Ad secundum dicendum, quod tunc correlatiuum, & si secūdum nomen correlatiue teneatur, non tamen proprie, & formaliter, tunc correlatiuum est, quia de ratione correlatiui est habere pro termino aliud correlatiuum. Ergo quando solum principium est, & non principiatum formaliter non est relatiuum, sed vocatum sic relatiuum.

LECTIO XII.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Materia sit diuisibilis, & extensa.

Videtur quod sic. Nā partibus quantitatis partes materiæ correspōdēt. Ergo si a materia separarentur diuersæ partes quantitatis, ipsa diuisa, & extensa appareret.

Secundo. Substantia corporea secundum se præcedit omnem quantitatem, & secundum se dicitur totum integrale. Ergo in ea accipimus partes corporeas, quibus substantia dicitur corporea, & consequenter diuisibilis.

Tertio. Quod est causa antecedentis, est etiam causa consequentis. Sed materia est causa quantitatis, & eius diuisibilitatis. Ergo secundum se erit diuisibilis, quoniam nihil dat quod non habet.

Quarto. Si materia secundum se non esset extensa, nullo modo posset diuidi; Sed hoc est falsum, vt apparet in toto materiali diuiso, in quo sicut diuiduntur diuersæ eius partes quantæ, ita diuiduntur eius diuersæ partes materiales.

In contrarium est Arist. hic, textu 15. & 5. Metaph. textu 18. Hunc sequuntur S. D. p.p. q. 50 art. 2. Albertus Magnus hoc loco tract. 2. Auerroes de substantia orbis. Capreolus 2. dist. 18. q. p. artic. 3. & dist. 9. q. vnica art. 3. & alij plures. In gratiam quorum ponitur hæc conclusio.

Materia secundum se non est diuisibilis, nec extensa. Probatur primo. Substantia non est extensa, nec secundum se diuisibilis, cum secundum se non habeat partes, nõ suscipiat magis, & minus &c. Sed materia est substantia. Ergo.

Secundo. Proprium conuenit soli, & semper, cui est proprium. Sed diuisibilitas, & extensio est propria quantitati. Ergo. Maior est Porphyrij cap. de Proprio Minor est Arist. 5 Metaph. textu 18.

Tertio. Solum totum quantitatiuum est illud quod diuiditur, per Arist. 5. Metaph. vt supra. Sed substantia non est totum quantitatiuum, vt patet. Ergo.

Ad primum dicitur, quod materia solum per accidens diuiditur. sed ad diuisionē quantitatis, vnde sine quãtitate maneret indiuisa, nam etiam formę perfectæ sunt indiuisibiles, & tamen informant omnes partes quanti corporei viuentis.

Ad secundum negatur, quod materia secundum se dicatur totum integrale; hoc enim non conuenit ei, nisi per quantitatem, potest tamen dici tale totum radicaliter, propter ordinem quem includit ad partes quantitatis, sed non formaliter, quia secũdum se non habet partes.

Ad tertium dicitur, quod materia est causa diuisibilitatis quantitatis materialis, idest pars subiectiua, quoniam in se recipit quantitatem, cum eius extensione, sed in genere causæ formalis quantitas est illa quæ extendit materiam.

Ad quartum dicitur, quod si diuiditur, diuiditur per accidens, idest ratione quantitatis, cui inseparabiliter inheret.

LECTIO XIII.

QVÆSTIO IX.

Vtrum in rebus naturalibus, & præcipue in viuentibus, detur maximum, & minimum per se existens.

Videtur quod non. Nam maximum in augmento viuentium à nutritiua potentia causatur; Sed data quacumque quantitate, & magnitudine viuẽtis, adhuc vis nutritiua, cum non sit diminuta potest nutrire. Ergo nutritum potest augeri vltra maximam suam quantitatem.

Secundo. Gigantes extra ordinariam formam magnitudinis hominum sunt. Ergo species humana (exempli gratia) non est determinata ad tantã quantitatẽ.

Tertio. Plures naturales ferunt Crocodillum, quamdiu viuit, semper crescere. Ergo non habet determinatam quantitatem.

Quarto. Arist. hic textu 38. disputans contra Anaxagoram ait, illum sensisse ex minima carne non posse aliam minimam generari. Ergo secundum veritatem id fieri potest.

Quinto. Demus magnitudinem viuentis esse quinque cubitorum, si addatur ei cubitus, occũbit, & si reducatur ad quartum gradum, viuit. Ergo non habet determinatam magnitudinem.

Sexto. Si datur minimum in rebus naturalibus, sequitur, quod corruptio substantialis non sit terminus alterationis, contra Arist. 1. de Generatione, tex. 18. Probatur. Accipiamus ver. gr. minimum ignis, i. minimam eius partem. Modo diuidatur hæc pars, tunc vel illæ partes separatæ remanent, vel corrumpuntur. Si remanent. Ergo datur minus minimo. Si corrumpuntur, cum nulla alteratio præcesserit, sequitur, quod corruptio sit sine alteratione, idest non sit eius terminus.

Septi-

Septimo. Omnè graue est grauius aliquo,ex 4.Cæli,tex.7. Ergo in graui non datur minimum. Nam post minimũ graue,non datur aliud minus graue.

Octauo. Quantum per Philos.5.Metaph.tex.8.est diuisibile in ea,quæ insũt, quorum vtrumque,aut singulum eorum fuit,& hoc aptum natum est esse, idest, per se subsistere. Quod exponens S.D. ait, hoc dictum esse propter partes substantiæ,scilicet propter materiam,& formam, quia separatæ non possunt per se subsistere. Ergo non repugnat quanto, quod semper sit diuisibile, non solum in partes inexistentes, verum etiam in subsistentes.

Nono. Ignis est augmentabilis in infinitum, ex 2. de Anima tex. 41. Ergo in igne non datur maximum.

Decimo. Demus maximum ignem,& ei apponamus combustibile,aut illud cõburet,aut non. Si comburet, Ergo potest dari maius maximo. Si dicatur quod non comburet, hoc videtur sine ratione dictum, cum in igne non deficiat virtus ad comburendum, sicut etiam hoc videtur irrationabile assertum, quod data maxima aqua, & ei noua pars addita,eam non recipiat, & augeatur.

Vndecimo. Sic dato maximo homine non posset pinguefieri, & ex percussione inflari,quod videtur ridiculum.

Duodecimo. Demus vnam partem calorem ignis suscipientem, aut illa potest dari minor, aut non. Secundum non est dicendum cum calor partibiliter suscipiatur, & consequenter de parte ad partem transeat. Ergo non datur primum, idest minimus calor.

Tertiodecimo. Alimentum sicut continue in rem alitam conuertitur,ita continue corrumpitur. Ergo in ea parte non erit minima pars corrumpenda, quod ea minor dari non possit.

Quartodecimo. Partes quoad formam sunt eiusdem rationis cum toto. Ergo sicut totum existit, ita & ipsæ existere poterunt.

Quintodecimo. Partes sunt priores toto essentialiter. Ergo eis non repugnat contradictorie posse esse priores toto, diuisione.

Sextodecimo. Qualibet pars habet naturam, vt possit esse eiusdem speciei cum toto. Ergo sicut totum existit, ita & pars existere poterit.

Decimoseptimo. Non datur minimũ in motu locali, cum non detur minima magnitudo supra quam sit motus, per Aristot.8 Phys. Ergo non datur minimum in rebus naturalibus.

Pro resolutione huius quæst. tria faciemus. Primo enim ponemus aliquas obseruationes necessarias ad claritatem quæst. Secundo apponemus duas conclusiones, & eas probabimus. Tertio argumenta diluemus.

Res naturalis dupliciter. Primo ergo explicandi veniunt termini positi in titulo quæst. Primus ergo est (ly in rebus naturalibus.) Res autem naturalis dupliciter dicitur. Primo formaliter, & essentialiter, & sic tantum substantia dicitur res naturalis. Nam natura diciutr de materia, de forma, & de composito ex ijs,quæ sunt substantiæ. Secundo consecutiue, & concomitanter, & sic accidentia necessariò consequentia,substantiam concomitantia,naturalia dicuntur; vnde in præsenti in vtroque sensu accipimus rem naturalem, volentes inferre, quod in composito, & eius partibus, & naturalibus accidentibus datur maximum,& minimum.

Termini explicãtur. Secundus terminus est (ly præcipue in viuentibus) quia in ijs est maior difficultas, quam in non viuentibus. Scotus enim in 2.Sent. dist.2.q.9.& Ocham d.8. tenent, quod in inanimatis non datur minimum in homogeneis, i. in ijs quæ sunt eiusdẽ rationis diuisa, vt sunt aer, aqua, ignis,& terra. Nam quælibet pars aquæ, aqua est,& quælibet pars ignis,ignis est, non sic in æterogeneis,i.in ijs quæ sunt dissimilarum partium,quia ver.g. animal diuiditur in carnes, in ossa,& in neruos. Quod autem oporteat dari minimum in ætherogeneis concedit Scotus, si sit per se existens,quoniam hoc habet determinatam virtutem, in determinata quantitate. Addunt aliqui,quod in homogeneis non datur maximum,quia quacũq. parte eis apposita, non est inconueniens,quod augeatur, sed hoc negant in viuentibus.

Tertius terminus est (ly maximum,& ly minimum.) Maximum autem cum sit superlatiuum, idem sonat quod ita magnum, vt eo maius esse non possit, & minimum, idem dicit, quod ita paruum,

quod

quod eo minus non possit adinueniri
Quærimus ergo vtrum in rebus naturalibus substantijs, & accidentibus, vt in quantitate, quæ inseparabiliter comitatur substantiam materialem, & in qualitate, quæ modificat substantiam, secundum S.D. prima secundæ quæst. 49. art. 3. & singulariter in viuentibus, & etiam in non viuentibus, detur maximum, supra quod non possit esse maius, & minimum, sub quo non possit esse minus, tam in ætherogeneis, quam in homogeneis, & hoc in per se existentibus, idest in ijs quæ possunt separata esse a toto in esse, & conseruari.

Opiniones. Secundo notandum, quod D.D. in duobus concordant, & in vno discordant. Concordant primo, quod minimum inexistens, idest, quod non habet existere, non datur, nec in homogeneis, nec in ætherogeneis, quia qlibet minima pars inexistens est corporea, & omne corporeum est diuisibile. Concordant secundo, quod in ætherogeneis datur minimū per se existens, idest per se totum, quod si diuidatur, non amplius conseruatur in esse, vt patet in animali; nam si animal diuideretur in plures partes, quia in eo forma sibi determinat tantam quantitatem, pro tali virtute, ideo occumberet, quia eius forma non potest saluari in minori quantitate. Discordant vero, vt dixi supra, quia Scotus tenet non dari maximum, nec minimum, nec in homogeneis, nec in ætherogeneis, si sit inexistēs. Si vero sit existens, datur secundum ipsum in ætherogeneis, sed non in homogeneis. At oppositum docent S.D. in 4. dist. 44. quæst. p. art. 3. 2. de Anima textu 45. & p p. quæst. 7. artic. 3. & ibid. Caiet. Item Capreolus in 2. distin. 19. quæst. 2. art. 3. & Gregorius in primo dist. 12. q. 2. art. 3. Durandus in 2. distin. 18. quæst. p. Auerroes 6. huius, comm. 32. & 99. & de substantia orbis. Soncinas 8. Metaphys. quæst. 3. Ferrariensis hic quæst. 7. & Iauellus quæst. 19. Quam opinionem asseruit Themistius recepisse Theofrastum Aristotilis auditorem, & in eius schola successorem, scilicet, quod datur in rebus naturalibus maximum, & minimum, per se existens in homogeneis, & ætherogeneis, ita vt res sub maiori, vel minori quantitate non possit seruari.

Tertio ergo notandum, quod de rebus naturalibus dupliciter loqui possumus. Primo Physice, idest vt sunt res naturales, habentes determinatam materiam, formam, & accidentia, idest quātitatem, & qualitates. Secundo Mathematice, scilicet vt tantum sunt quanta, & continua. Si primo modo considerentur, dicimus omnium natura constantium esse determinatam formam, materiam, & quantitatem, vt habet Arist. 2. de Anima. Si secundo modo, nequaquam, quia quātum, vt quantum est; seu vt continuum, est in infinitum diuisibile in potentia. Sed caue ne fallaris, dum dicimus quantū vt quantum non habere maximum, & minimū. Nam omne quantum Physice consideratum, idest vt in rerum natura existit, sub determinata forma reperitur, & ideo semper sibi determinat quantitatem in maximum, & in minimum, vnde loquendo de quanto Mathematicæ, non est de eo loqui prout est, sed prout per abstractionem a materia in qua est intelligi potest; nam sic dicitur diuisibile in infinitum, non in actu, quia venitur ad vltimum, sed in potentia. *Res naturales Physice habent maximū et minimum.*

Quarto notandum venit, quod res naturales bifariam considerari possunt. Primo secundum suam naturam tantum, & sic non videtur inconueniens, quod quocunque igne dato magno, si continuo ei apponatur combustibile, quod maior nō fiat, & ita si alia aqua addatur aquæ. Secundo in ordine ad naturam vniuersalē, quæ vnicuique rei terminos in esse, & in perfectione statuit, & ita negamus ignē, & aquam posse augeri in infinitum, & exire propriam spheram, subintrando aliam, prout aqua subintraret spherā aeris, & ignis, si eleuaretur vsque ad concauum orbis lunæ, & sic tollerentur elementa, & alia magna inconuenientia sequerentur.

Cōclusio prima. Quoad secundum. Prima conclusio est. In rebus naturalibus viuentibus, datur maximum, & minimum. Probatur primo ex Arist. hic in textu 36. dicente, neque sterpes, neque animalia, aut horū partes quantumcunque magnitudinis, aut paruitatis esse posse, quod & de omnibus animātibus affirmat quarto de generatione animalium c. 4 & de omnibus viuentibus 2. de Ani. tex. 41. & 7. Poli. c 4.

Secun-

Secundo probatur rationibus. Prima. Determinata forma, sibi determinat determinata accidentia. At omnes res habent suas determinatas formas; Ergo & determinata accidentia. Sed quantitas est vnum de accidentibus, res naturales consequentibus, ergo erit determinata in maximum, & in minimum. Omnes propositiones sunt notæ. Et vlterius maior experientia probatur. Cum appareat hominem non crescere, vt montem, nec culices, vt boues, nec muschæ, vt aquilæ.

Secundo. Quælibet forma exigit determinatas dispositiones, extra quas non saluatur, per Arist. 2. de Anima textu 24. & Commentatorem libro de substantia orbis. Sed quantitas est prima, & necessaria dispositio materiæ, ad formam recipiendam, & conseruandam. Ergo erit determinata ad maximum, & minimum.

Tertio. Quis dicet formam Elephantis posse saluari in tam parua quantitate, quantum est granum milij? Nam si diuidamus partes eius homogeneas, vt carnem in carnem, & neruos in neruos, & ossa in ossa, in minima, & minima quantitate, non solum perueniemus ad quantitatem grani milij, sed etiam ad minorē.

Cōclusio secunda. Secunda conclusio est. In rebus inanimatis homogeneis, & ætherogeneis datur maximum, & minimum. Probatur primo. Per Arist. 2. de Gen. dicentē, quod ex minima parte aeris (nota ly minima) producūtur decem partes ignis, propter eius raritatem. Item primo de Gen. cap. vltimo dicit, mixtionem fieri non posse, nisi misçibilia reducantur ad minimum; ita vt minimum vnius, tangat minimum alterius, & dat exemplum de grano ordei, quod non potest misceri cum grano frumenti, nisi fiat farina, quæ est minima eius pars. Et de sensu & sensato cap. 6. ait, quod species sensibiles sunt diuisibiles ad diuisionem suppositorum, & in eis deuenitur ad minima, quæ resoluuntur in continentia, vt minimus sapor infusus mari. Quod clarius affirmat primo de Gen. cap. de mixtione exemplificando de gutta vini posita, in mille amphoris aquæ. Item in tempore ponit minimū 4. Phys. idest nunc indiuisibile, & in motu momentum. Et in 8. Phys. tex. 44. affirmat, quod in entibus diuisibilibus deueniendum est ad vnum primum, quod est minimum indiuisibile, Et septimo Polit. cap. 4. arbitratus est, ciuitates debere habere certos limites, adducendo pro ratione, quia eos habent omnia animalia, & plantæ. Hanc sententiam habuit etiam Auerroes 3. Metaph. tex. 17. vbi dixit, minimam partem ignis esse compositā, ex materia, & forma, & minimum calorem, esse terminatum per se. Quod & fatetur 6. Phys. Comm. 9 & 49. & 8. Phys. tex. 44. & 62.

Secundo principaliter probatur rationibus. Primo. Quale est compositum, tales sunt partes componentes. Sed omne compositum est finitum, & determinatum Ergo & eius partes Minor est clara. Maior est Comm. primo Phys. tex. 36. & secundo de Anima tex. 42. & probatur, quia ex ijs coalescit.

Secundo. Omnis trāsmutatio, mixtio, generatio, & corruptio rerum naturalium non fiunt, nisi ad maximum, & minimum reducantur. Non enim ignis fiet cinis, vel extinguetur, nisi ad minimum sit reductus; nec aqua fiet aer, nec aer ignis, nisi reducantur ad maximam raritatem. Ergo.

Tertio. Demus minimum habens partes in quas vt in minores possit diuidi. Tunc quæro dum in minores diuiditur. Aut corrumpitur, aut non. Si non, non est minimum, quia dicimus illud minimum esse, quod sub minori non potest durare. Si corrumpitur. Ergo erat minimum, & sic habemus intentum.

Ad primum dicimus, quod nutritiua suos fines tenet, vltra quos non progreditur, vt conspicimus in omnibus animantibus, quæ cum ad certam quantitatem creuerint, amplius nō crescunt. Sed hęc determinata quantitas in indiuisibili non est posita, sed latitudinem habet, vt patet in Gigantibus in natura humana, & in Oceano in aqua, & per hoc patet ad secundum. *Argumēta soluūtur.*

Ad tertium primo negamus Crocodillum semper crescere; nam sic nunquam moreretur, quia altitiua resarciret calidum, & humidum radicale, in quibus collocata est vita animātis, & sic perpetuus fieret. Secundo dicitur, quod dato, & nō concesso illū semper nutriri, & crescere, tamen non sequitur, quod possit excedere fines suę speciei, in tota sua latitudine

sum-

sumptos, vnde non fiet maior monte, vel elephante.

Ad quartum dicimus, quod Arist. ibi accusat Anaxagoram ponentem res per sectionem generari. Ait enim, quod cum sectio, & diuisio sit infinita, sequeretur minore carnis, minor posse generari, quod falsum est. Vnde argumentum pro nobis facit.

Ad quintum dicimus, quod dato maximam quantitatem viuentis esse quinque cubitorum, si ei addatur cubitus, occumbet, quia excederet suum maximum, sed in quarto gradu viuet, si nondum peruenit ad minimam suam quantitatem.

Ad sextum primo dicitur, quod duplex est corruptio. Prima dicitur naturalis, & ab intrinseco, & hãc alteratio praecedit, vt dispositio ad corruptionem. Secunda dicitur violenta, & hanc non praecedit alteratio successiua, sed subita mutatio. Argumentum procedit de prima. Nos sumus in secunda. Secundo dicitur, quod diuisio partium minimi, virtualiter gerit vices alterationis. Sed quod partes minimi non corrumpantur arguit Scotus, in secundo dict. secunda q. 9. quia nõ corrumpuntur nisi in continens. At quod in continens corrumpantur ab extrinseco est, vnde eo remoto, & omni corruptiuo externo, non corrumperentur. Sed dicitur, quod ab extrinseco corrumpuntur causaliter, scilicet à diuisione, vel continente, vel ab alio corruptiuo, sed formaliter ad intrinsecum terminaretur corruptio, quia sub minori quantitate minima forma stare non potest.

Ad septimum dicitur, quod Philos. ex proprijs non loquitur, sed ex sententia illorum, qui omnia diffiniebant in respectu, dicentes, omne graue, esse grauius aliquo.

Ad octauum dicimus, quod ibi Philos. diffinit quantum Mathematice consideratum, & non Physice, quia sic sibi vendicat minimam quantitatem, quod est quod S. D. docet.

Ad nonũ aliqui dicunt primo, ibi Phylos. arguere ex concessis ab his, qui dicebant augmentum esse ab igne, & ignem posse augeri in infinitum, apponendo ei nouum combustibile. Arguit ergo, quod sic possit dari augmentum ignis in infinitum, & ita non omniũ natura constantiũ esset determinatã quantitas. Secundo dicitur, ꝙ Arist. ibi loquitur de vno igne per aggregationem, prout etiam accervus lapidum ex infinita lapidum appositione posset fieri infinitus. Nos autem damus maximum, & minimum in vno simpliciter. Sed tertio dicitur, quod etiam ignis habet determinatam magnitudinẽ secundum suam naturam, & in ordine ad causam vniuersalem, & ideo & si videatur posse comburere omne combustibile, non tamen hoc est verum in ordine ad naturam vniuersalem, quae vnicuique suos fines posuit, & per hoc patet ad decimum.

Ad vndecimum dicitur, quod illa tumefactio est intra latitudinem quantitatis animalis percussi, nam si extra eam esset, animal corrumperetur.

Ad duodecimum dicitur, quod data minima parte materiae suscipientis calorem ea non potest dari minor, in ea tamen posset suscipi calor, quia indiuisibiliter susciperetur, prout affirmat Phylos. 8. Phys. tex 22. dum dicit, quod concauatio, & scisio lapidis fit tota simul; & quamuis alteratio sit motus continuus, in materia habente gradus per partes; tamen quia in minimo non sunt partes in actu, ideo secundum eas non susciperetur partibiliter. Sed & possumus dicere, quod in minimo in instanti introduceretur, sed successiue intenderetur, nam esset in vltima dispositione ex sua paruitate ad calorem, sed non perfectum.

Ad tertiumdecimum dicendum, quod potest dari minima pars corrumpenda, postquam non erit viuens.

Ad quartumdecimum negatur, quod partes sint eiusdem formae cũ toto. Sunt equidem eiusdem generis, sed non eiusdem formae, & dispositionis, quia in toto vniuntur, & habent subsistentiam totius, sed quia secundum se nõ subsistunt, ideo non conseruantur.

Ad quintumdecimum dicitur, quod partes sunt priores toto causaliter; Sed totum est prius partibus formaliter, & quo ad subsistentiam.

Ad decimũsextum dicitur, quod aliud est quod pars sit eiusdem naturę cũ toto, & aliud quod habeat id omne, quod totũ sibi vendicat, vt est subsistere. Primum est verum, & secundum falsum.

Ad

Ad decimum septimum dicendum, quòd in motu non datur minimum respectu magnitudinis supra quam sit, si consideretur Mathematice, sed Physice vtique.

QVÆSTIO.

Vtrum totum distinguatur realiter à suis partibus.

Hanc quæstionem habes in septimo Metaph. quæst. 22.

CAPVT V.

LECTIO XIV.

S. D. X.

Omnes igitur contraria principia faciunt, & cap. 42. &c.

POstquiam Phylos. longa digressione contra antiquos de principijs rerum naturalium disputauit, hic intendit veritatem secundum propriam sententiam manifestare, incipiendo à contrarietate primorum principiorum.

Principia rerũ naturaliũ sunt cõtraria Primo ergo ponit hanc conclusionem. Omnes cõtraria principia faciunt. Hanc dupliciter probat. Primo ex communi antiquorum sensu, vt sic formetur ratio. Illud est communiter tenendum, cui omnes assentiunt. Sed huic principio, quod principia sint contraria omnes ei assentiunt. Ergo prima principia sunt cõtraria. Minorem probat discurrendo per opiniones Antiquorum. Nam Parmenides & Melissus, qui innaturaliter sunt locuti ponentes vnum principium, & hoc immobile secundum veritatem, secundum existimationem tamen hominum, & secundum sensum posuerunt plura principia contraria, scilicet calidum, & frigidũ. Ita qui naturaliter sunt locuti. Alij posuerunt rarum, & densum principia naturalium. Alij vacuum, & plenum, vacuum, & inane, & alij rectum, & circulare, quæ omnia opponuntur. Secundo hoc probat Arist probabili, sed non demonstratiua ratione sic. De ratione primorum principiorum tria sunt. Primum, quod non fint ex alijs; Secundum, quod non fint ex alterutris, idest vnum non fiat ex alio, & tertium, quod omnia alia fint ex ipsis. Sed hæc tria cõueniunt principijs rerum naturalium. Ergo &c. Minorem infra probabit. Maiorem autem hic sic ostendit. Nam quod prima principia non sint ex alijs patet, quia sunt prima principia. Ergo ex alijs prioribus esse non possunt. Item probat quod non sint ex alterutris, quia contrariũ non fit ex contrario, verbi gratia, calidum non fit ex frigido. Tertium probat, scilicet, quod omnia fiunt ex ipsis. Propterea quod in omni mutatione, & motu terminus à quo, & terminus ad quem sunt contrarij. Sed quodlibet fit ex suo termino cõtrario per se, & à quo, nam album non fit ex musico, nisi per accidens, inquantũ accidit quod nigrum, ex quo per se fit, sit musicum. Tandem Phylos. ostendit conuenientiam, & disconuenientiam in assignatione principiorum, quæ res parum refert.

Dubia circa supradicta.

ACcidit autem primum dubium hic, quomodo antiqui potuerint figuras facere contrarias, vt circulare, recto, vt eis imponit Phylos. Nam quantitati nihil est contrarium, ex cap. de quantitate in prædicamentis. Figuræ sunt quãtæ. Ergo non possunt esse contrariæ. *Quantitati nihil est contrariũ positiue.*

Secundo. Aristot. de Cœlo, & mundo voluit figuræ circulari nihil esse contrarium. Ergo male in hoc assensit Antiquis, dicendo circulare esse contrarium recto.

Secundo dubitatur circa conditiones contrariorum principiorum. Nam non videntur realiter assignatæ à Phylos. Primo, quia inquit, quodlibet fieri ex suo contrario, huic autem obstat, quod contrarium corrumpit contrarium, & non illud facit.

Secundo. Quia secunda conditio videtur cum tertia pugnare. Nam in secunda conditione dixit, quod contraria non fiunt ex alterutris, idest, vnum contrarium non fit ex altero, in tertia autem affirmauit, quod omnia sint ex ipsis. Nam hęc simul non stant, quod omnia fiant ex contrarijs, & quod vnum contrarium non fiat ex alio. *Quomodo vnũ cõtrariũ fiat ex alio.*

Ad primum dubium respondent aliqui, duplicem esse contrarietatem. Prima dicitur secundum famositatem, seu secundum communem existimationem. Secunda dicitur secundum veritatem. Addunt duplicem esse contrarietatem secundum veritatem. Primam nuncupant perfectam, propterea quod gaudet perfectis conditionibus veræ contrarietatis. Secundam vocant imperfectam, & priuatiuam, prout minus perfectum dicitur cōtrarium magis perfecto, quia ipsum priuat tali perfectione. His stantibus respondent, quod quantitati nihil est contrariū vera, & perfecta contrarietate, quia talis contrarietas stat inter formas positiuas, actiuas, actu existentes, & se expellentes ab eodem subiecto; non tamen inconuenit, quod vna quantitas sit alteri contraria contrarietate priuatiua, cum vna sit altera nobilior, & talis cōtrarietas reperietur in omnibus prædicamentis. Sed quis poterit dicere, hic Phylos. loqui secundum placita Antiquorum, prout faciebant ad suum propositum, non curando ea examinare, vt extra proprium locum, & per hoc patet ad secundum.

Ad secundum dubium principale, & si multæ possint adduci responsiones, pro nunc tamen sufficiat veriores recensere. Quod ergo vnum contrarium non fiat ex alio dupliciter potest intelligi. Primo per transmutationem formalem, vt sit sensus. Caliditas fit frigiditas. Secundo secundum terminum a quo, vt sit sensus. Calidum v. g. fit ex frigido tanquam ex termino à quo, idest calidū incipit transmutari à frigido. Primum non est intentum, sed secundum. Secundo respondetur, quod vnum contrarium fiat ex alio bifariam potest intelligi. Primo in abstracto, & intransitiue. v.g. caliditas fit frigiditas. Secundo in concreto, & subiectiue, annuendo quod subiectū successiue transit de contrario in contrarium, vt manus de frigiditate, ad caliditatem. Primo ergo modo vnum contrarium non fit ex alio. Secundo vero modo vtiq. prout experientia docet. Tertio respōdetur, quod ly ex contrario, non significat causam materialem, vel effectiuam, sed denotat ordinem, vt sit sensus. Vnum contrarium fit ex alio, idest post aliud, vt frigidum fit post calidum, dies post noctem, & meridies post mane. Et per has responsiones patet ad primum.

Ad secundum dicimus, quod conditiones assignatæ non opponuntur, quia dum asserit Philosophus rem fieri ex suo contrario, intelligit tamquàm ex termino à quo, vel vt ly ex, notat ordinem, vel vt dicit expulsionem à subiecto. At ego dicerem, quod hæc adinuicem non pugnant, quod contraria non fiant ex alterutris, & quod omnia fiant ex ipsis, quia duo sunt de ratione contrariorum. Primum, quod sint contraria, & sic in eo in quo sunt contraria, vnum non fit ex alio. Secundum est, quod sint principia, & sic habent quod illud quod generatur ex contrarijs, fiat contrarietate priuatiua, quia domus v.g. non fit ex domo, sed ex non domo. Erit ergo verum dictum Phylos. respectu tertij, ex contrarijs fiendi, non autem respectu contrariorum, adinuicem comparatorum.

LECTIO XV.

ET QVAESTIO X.

Vtrum prima Principia rerum sint prima contraria.

VIdetur quod non. Nam prima principia non sunt ex alijs, vt hic asserit Phylos. Sed prima contraria sunt ex alijs, quia prima contraria continētur sub genere a quo sunt. Nam diffiniuntur quod sint duæ formæ sub eodem genere &c.

Secundo. Prima principia rerum sunt materia, & forma, quæ sunt substantiæ. Sed substantiæ nihil est contrarium per Phylos. lib. de prædicamentis cap. de substantia.

Tertio. Cælum est ens naturale. Sed cœlum non est ex contrarijs, aliter esset corruptibile, nam omne compositum ex contrarijs, naturaliter est corruptibile. Ergo.

Quarto. Principia manent in re composita. At contraria non possunt esse in eodem.

Quinto. Ad generationem rei sufficit principiū formale actiuum, quod est forma, & passiuum, quod est materia. Sed materia, & forma non sunt contraria, cum vnum contrarium non sit perfectio alte-

alterius,& forma sit perfectio materiæ. Ergo.

Sexto. Priuatio est vnum principium contrariorum, per Aristot. Sed priuatio nihil est. Ergo non potest esse principiū.

Septimo. Vel ly ex significat terminū à quo, vel partem componentem. Si primum, vnum contrarium fit ex altero, vt à termino à quo, vt forma ex priuatione. Si secundum priuatio non est principiū, cum non sit pars compositi.

Octauo. Forma equi fit ex materia, cum educatur ex eius potentia, & ex priuatiuo, cum generatio sit à priuatione formæ ad formam ipsam. Ergo.

Nono. Vel hic diffiniuntur principia vniuersalia in vniuersali, vel singularia in singulari; Non secundum, cum singularia non intrent compositionem omniū rerum. Si primum, ratio vniuersalis secundario conuenit singularibus. At hæc ratio principiorum, quod omnia fiunt ex ipsis non conuenit principijs singularibus, non enim ex materia, forma, & priuatione Sortis, omnia alia fiunt. Ergo.

Decimo. Probatur quod prima contraria, non sint rerum naturalium principia. Nam prima contraria sunt quatuor primæ qualitates, scilicet calidum, frigidum, humidum, & siccum. At ex ijs res naturales non fiunt. Ergo.

Vndecimo. In omni genere datur vna prima contrarietas, per Arist. tex. 50. & 56. Ergo etiam in generibus accidentiū. Sed res naturales non fiunt ex accidentibus Ergo res naturales non sunt ex contrarijs.

Duodecimo. Forma substantialis in communi sumpta, ita & priuatio in communi accepta, priora sunt forma substantiali, & priuatione formæ substantialis, ex quibus res naturales generantur. Ergo prima contraria hic ab Arist. posita, scilicet forma substantialis, & priuatio eiusdē formæ, non sunt prima principia.

Principium in plus se habet q̃ causa. Pro resolutione huius quæst. Primo notandum venit, quod principium secundum Ari. 5. Metaph. est illud ex quo primo res fit, si est principium essendi, vel primo ex quo res cognoscitur, si est principium cognoscendi, ideo in plus se habet quam causa. Nam causa dicitur dare esse, & distingui realiter ab effectu. Principium vero dicit ordinem, & præscindit à dare esse, & ideo priuatio dicitur principium rerum naturalium, & non causa. Apud Græcos tamen sæpe pro eodem sumuntur.

Secundo notādum, quod principia rei sunt in duplici differentia. Quædā enim sunt extrinseca, vt efficiens, & finis. Alia vero sunt intrinseca, vt materia, forma & priuatio, & de ijs tantū loquimur hic. *Materia et forma sūt principia intrinseca rerum.*

Tertio notandum, quod principia intrinseca adhuc sunt in duplici differentia. Quædam enim dicuntur principia in esse, & in fieri, quia concurrunt ad transmutationem, & generationem rei, & etiam manent in re genita, & transmutata, & hæc sūt materia, & forma. Quoddam vero vocatur principium intrinsecum transmutationis in fieri, quia necessario concurrit ad transmutationem, sed non in esse, quia nō manet in re transmutata, & tale est priuatio, cum nihil generetur ex præexistente, sed ex non præexistente. Non enim homo fit homo, dum est homo, sed ex non homine, fit homo. *Et priuatio i fieri sed nō in esse.*

Quarto notandum circa quartam conditionem contrariorū, scilicet quod contraria non sint ex alijs hoc bifariam posse intelligi. Primo quod non sint ex alijs principijs quomodolibet nec Metaphysicis, vt est Deus, & transcendentia, nec Logicis, vt sunt genus, & differentiæ. Secundo quod non sint ex alijs principijs Physicis, scilicet quod prima materia nō sit ex alia materia, & forma ex alia forma, & priuatio ex alia priuatione, & in hoc sensu loquitur Phylosoph. & non in primo. *Primo cōtraria non sunt ex alijs pricipijs Physicis*

Quinto notādum, quod principia sint contraria dupliciter potest intelligi. Primo contrarietate positiua, & Physica, quæ est inter duas formas, actiuas, mutuo se expellentes ab eodem subiecto. Secundo contrarietate priuatiua, quæ reperitur inter habitum, & priuationem, & inter magis perfectum, & minus perfectū, prout minus perfectum, potest aliquo modo dici priuatio magis perfecti. Albertus primo modo intelligit principia rerum naturalium esse contraria, sed nos defendimus hanc contrarietatem esse secundo modo, quia contrarietas reperta in principijs rerum naturalium, stat inter priuationem, & formam. *Sunt cōtraria priuatiue.*

Sexto notandum est, quod omnes illæ tres cõditiones recte sunt assignatæ primis principijs naturalis transmutationis. Nam per hoc quod principia non sunt ex alterutris excludimus elementa, & alia composita, quæ ex se vicissim fieri solent. Per hoc vero quod non sint ex alijs, & omnia sint ex ipsis excluduntur ea, quæ compositionem ex materia, & forma nõ admittunt, vt sunt substantiæ separatæ, figmenta, & alia similia.

Quo ad secundum principale. Prima conclusio est. Prima principia sunt contraria. Vide probationes supra.

Secunda conclusio. Hæc contrarietas est priuatiua. Probatur vt supra.

Argumenta soluuntur. Ad primũ iam dictum est, quod principia rerum naturalium non sunt ex alijs principijs Physicis, non negando de Metaphysicis, & Logicis. Secundo respondent alij, quod alio modo genus est principium contrariorum, & alio modo materia, forma, & priuatio sunt principia rerum. Genus enim est veluti principiũ formale participationis, & diffinitionis formarum contrariarum. Materia autem &c. sunt principia naturalis transmutationis, & de his tantum principijs, loquutus est hic Philosoph. Sed & tertio dicitur, quod priuatio, & forma vt opponuntur priuatiue in nullo sunt genere determinate, & secundum causalitatem, sed omne genus circumeunt, quia in quolibet genere sunt contraria priuatiue.

Ad secundum respondetur, quod substantia non est substantiæ contraria positiue, sed bene priuatiue, ea contrarietate, qua contrariantur magis perfectum, & minus perfectum. Nam hęc contrarietas in omni prædicamento reperitur. Sed & secundo dicitur, quod substantia vt substantia non est substantiæ contraria, sed bene vt est affecta his, vel alijs qualitatibus contrarijs.

Ad tertium dicitur primo, quod propositio Phylos. verificatur de re naturali per generationem naturalem producta, reducendo nempe successiue materiam de pura potentia ad perfectum actum, modo cælum non est productum per generationem, sed per simplicem emanationem seu dicamus creationem. Secundo respondent alij propositionem Phylos. solum valere de re transmutabili, & corruptibili, non autem de intransmutabili, & incorruptibili, vt est cælum. Tertio respondent alij, quod & si in cęlo non sint diuersa principia intrinseca contraria, cum forma cæli totum appetitũ eius materiæ satiet, tamen in eo sunt diuersa principia extrinseca, idest diuersa vbi, quia aliquando cœlum est in oriente, aliquando in meridie, &c. Vel tandem quarto dicas, quod in cælo sunt principia naturalia, vt sunt rei naturalis in esse constitutiua, scilicet materia, & forma, & priuatio alterius formæ, sine potentia tamẽ ad aliam formam, vnde in eo non sunt hæc principia, vt sunt in transmutatione.

Ad quartum dictum est, quod principia essendi scilicet materia, & forma manent in re facta non autem priuatio, quæ est principium tantum in fieri, seu in transmutari.

Ad quintum negatur maior, scilicet quod ad generationẽ rei sufficiant principium actiuum, & passiuum nam adhuc requiritur, quod materia sit priuata forma introducenda, aliter non fieret generatio, sed facta esse intelligeretur. Minorem omnes admittunt præter Aquarium hic in additionibus ad quæstio. Ferrariensis, sustinet enim materiam, & formam esse contraria, & ad rationem respondet, quod contraria sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt prima idest caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas, & alia sunt secunda, vt dulce, amarum, & similia. Item subdit quod duplex est contrarietas. Prima dicitur positiua, vel negatiua, alia talis quod habet tres conditiones assignatas hic à Phylosop. primis principijs, modo inquit quod materia, & forma contrariantur secundo modo, & si non primo modo, quod dupliciter probat primo. Quia materia non est ex alia materia, neque ex forma, & omnia quæ fiunt sunt ex ipsa. Secundo quia per Aristotelem si vnum contrariorum fuerit in rerum natura, oportet & aliud esse. Ergo si forma est, materia quoque erit. Sed certe hęc opinio sicut longe distat à communi sententia, ita est Arist. contraria, qui non excogitauit talem contrarietatem, & semper affirmauit contrarietatẽ principiorum naturalium stare inter formam, & priuationem. Ad primam ergo eius rationem dicitur, quod ex materia

non

non est compositum, vt ex contrario, sed vt ex subiecto contrariorum. Ad secundum patet, quod Arist. loquebatur de contrarietate positiua, & nos loquimur de priuatiua.

Ad sextum dicimus, quod priuatio cōnotatiue importat proximam potentiam ad hoc, vt materia suscipiat formam.

Ad septimum dicitur, quod (ly ex) vtrumque significat, scilicet terminum à quo, & partem componētem, sed diuersimode. Nam ratione priuationis significat terminum a quo, at ratione partis componentis significat materiam.

Ad octauum dicitur, quod forma equi non fit ex materia, sed deducitur ex eius potentia, virtute agentis, vnde materia remanet materia, & forma fit eius actus. Ex priuatione autem fit tanquam ex termino à quo, vt ly ex non significat partem componentem, sed ordinem, idest forma fit actus materiæ illa forma priuatæ.

Ad nonum dicitur, quod principia hic sumuntur primo vt sunt communia, & secundario vt sunt singularia huius, vel alterius rei naturalis, nec opus est tunc quod vt singularia sunt omnia fiant ex ipsis, hæc enim ad ea vt vniuersalia sunt spectant, sed quod singularia fint ex illis.

Ad decimū primo dicitur, quod quattuor primæ qualitates sunt positiue contrariæ. At nos hic loquimur de cōtrarietate priuatiua, quæ stat inter formam, & eius priuationem.

Ad vndecimum dicitur, quod in omni genere datur vna contrarietas Logica, quę fit per oppositas differentias, ex Aristot. 10. Metaph. tex. 23. Nos autem hic loquimur de contrarietate Physica, quæ est in transmutatione, immo omnis contrarietas accidentium reducitur ad contrarietatem priuatiuam Physicam, idest in esse, quia vna species alteri comparata est ea perfectior, vel imperfectior.

Ad duodecimum dicitur, quod illa prioritas est secundum prædicationem, nos autem hic loquimur de prioritate in generatione, & productione reali rei naturalis.

CAPVT VI.

LECTIO XVI.

S. D. vndecima.

Consequens vero est vt dicamus, vtrum sint duo, aut tria. Tex. 50.

OStenso quod principia sunt contraria, incipit Phylos. determinare de numero principiorum. A textu ergo 50. vsq. ad 55. ex textibus quattuor conclusiones habemus, cū suis probationibus.

Prima ergo conclusio est. Principia rerum naturalium non sunt vnum tantum. Probatur. Principia rerum naturalium sunt contraria vt supra ostensum est. Sed vnum non sibi ipsi contrariatur. Ergo vnum tantum non est principium rerum. *Principia rerū non sunt vnum.*

Secunda cōclusio est. Principia rerum naturalium non sunt infinita. Probatur quadrupliciter. Primo. Ignoratis principijs, ignoratur id quod est ex principijs. Si ergo principia rerum naturalium sunt infinita, cum infinitum sit ignotū, sequitur quod nulla res naturalis sit scibilis. *Nec infinita.*

Secundo. In quolibet genere est tantum vna prima contrarietas. Sed hæc nō stat nisi inter duas differentias diuidentes idem genus. Ergo principia rerum non erunt infinita.

Tertio. Frustra fit per plura, quod æque bene potest fieri per pauciora. Sed melius res naturales fiunt per principia finita, quam per infinita, vnde infra probabimus, quod tantum sint tria. Ergo. Et hinc est quod Empedocles melius dixit assignando rebus principia finita, quam Anaxagoras, qui ea fecit infinita. Quarto. Prima principia sunt prima contraria. Ergo si principia sunt infinita, omnia principia erunt prima contraria. Sed hoc est falsum, cum dentur secunda contraria, ex primis composita.

Tertia conclusio est. Hæc principia nō sunt duo tantum. Probatur tripliciter. Primo. Contrarium in abstracto sumptū non transmutatur in aliud contrarium abstractum v. g. caliditas non fit frigiditas. Sed contraria debent fieri circa idem successiue, sicut caliditas, & frigiditas *Nec duo tantum.*

fiunt

fiunt circa eandem manum. Ergo eis subijciendum est aliud principium, in quo vnum alteri succedat.

Secundo. Si duo tantum sunt principia rerum, & hæc sunt contraria. Igitur substantia erit posterior accidentibus. Nam contraria sunt accidentia. Ergo ad inueniendum est tertium principium, quod sit substantia, idest materia.

Tertio. Probat auctoritate antiquorum, qui hãc vnam tertiam naturam posuerunt, inter quos melius dixerunt, qui medium quoddam inter aere m, & aquã fecerunt, quam qui extrema constituerunt, idest ignem, & terram.

Sed tria Quarta conclusio est. Principia rerum non sunt plura tribus. Probatur primo. Quia sufficit quod in generatione vnum sit principium passiuum, & aliud actiuũ, quod incipiat à priuatione. Ergo materia quæ est principium passiuum, & forma quæ est principium actiuum, & priuatio quæ est principium vt à quo, sufficiunt ad generationem cuiuslibet rei naturalis.

Secundo probatur. Quia si essent plura tribus, essent plures primæ contrarietates. Hoc falsum vt supra. Ergo.

Circa supradicta autem primo notandum venit circa primam rationem, quod duplex est contrarietas. Prima dicitur positiua, & realis, & hæc reperitur inter duas formas reales, mutuo se expellentes ab eodem subiecto. Secunda dicitur rationis, vt esse dextrum, & sinistrum respectu sedẽ tis, cui secundum diuersas rationes possunt eidem cõuenire. De prima autem loquutus est Aristot. & non de secunda, quia prima facit ad generationem.

Secundo notandum circa illam propositionem. Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora, addendum est, & æque bene. Hoc autem prouenit, quia natura abhorret superfluum.

D V B I A.

Sed contra supradicta dubitatur. Et primo contra id quod dixit Phylos. In quolibet genere esse vnam primam contrarietatem. Nam contra arguitur. In eodem genere sunt multæ contrarietates, verbi gratia, in genere substantiæ corporeum, & incorporeum, sensitiuũ, & non sensitiuum, rationale, & irrationale, & sic discurrendo per alia genera. Ergo in eodem genere sunt plures contrarietates.

Secundo dubitatur, circa id, quod supponit, scilicet. Principia semper manere. Nam contra stat, quod principia rerum naturalium sunt contraria. Sed contraria non possunt in eodẽ simul manere. Ergo principia non semper manẽt. Omnes propositiones sunt Phylosophi.

Tertio dubitatur circa aliud eius dictum, idest, quod si non supponeretur cõtrarijs tertia natura, sequeretur, quod principia non essent accidentia, & substantia ijs esset posterior. Nam contra. Forma substantialis, & priuatio in generatione substantiali non sunt accidentia, & tamen sunt contraria. Ergo falsum est dictum Phyloso. quod omnia contraria sint accidentia.

Quarto dubitatur circa alteram propositionem. Quod duabus contrarietatibus eadem natura non subijcitur, vnde necessarium est, vt detur vna natura ijs subiecta. Contra. Idem subiectum multis contrarietatibus subijcitur, verbi gratia, eadem manus subijcitur caliditati, & frigiditati, albedini, & nigredini. Igitur eadem natura pluribus contrarietatibus subijcitur.

Quintum dubium oritur circa id quod Phylos. annuit, quod principia contraria differunt genere, sed secundum prius, & posterius. Nam contra. Quodlibet prædicamentũ habet distincta principia genere. Ergo principia non solum differunt secundum prius, & posterius, sed etiam genere.

Ad primum dubium. Primo responderi potest, quod de contrarietate dupliciter loqui cõtingit. Primo de generica. Secundo de specifica. Dicẽdum ergo est, quod vna est contrarietas generica, sub qua multæ specificæ cõtinentur. Aristot. autem solum genericas negauit. Argumentum vero de specificis procedit. Secundo respondetur, quod Phylos. hic loquitur de contrarietate priuatiua, & non depositiua, in quolibet autem prædicamento est tantum vna contrarietas priuatiua, verbi gratia substantiæ, & non substantiæ, corporis, non corporis. Sed

metius

melius videtur dicendum, Phylos. hic non loqui de omni contrarietate reperta, vel reperibili in omni prædicamento, sed solum de primo vt annuit S.D. & hęc reperitur in prædicamento substantiæ.

Ad secundum dubium, omissis quibusdam responsionibus falsis in doctrina D. Tho. Primo respondet Aegidius, quod materia, forma, & priuatio, dupliciter considerari possunt. Primo in communi. Secundo in particulari, scilicet pro hac vel illa priuatione, pro hac, vel illa materia, & forma, tunc dicit, quod principia communia, de quibus Phylos. loquitur semper manent; nō autem si in particulari sumantur. Sed instat Iauellus cōtra hanc respōsionem, quod hæc permanentia non est realis, de qua loquitur Phylosoph. sed rationis, quæ longe est à scientia hac reali. Respondet ergo ipse, quod prima principia dicuntur semper manere, prout non fiunt ex prioribus principijs contrarijs, quia prima materia non fit ex alia materia, ita prima forma, & prima priuatio, & hoc ad differentiam secundorum cōtrariorum, quæ fiūt ex prioribus, & primis contrarijs. Sed dicere possumus, quod duo sunt de ratione principiorum, scilicet & quod sint principia, & quod sint contraria. Vt principia ergo semper manent, loquendo de principijs in esse, & fieri, ex quibus coalescit compositum; principia autē omnia quæ sunt in fieri non semper manēt, quia priuatio desinit; quod principia habent vt contraria sunt.

Ad tertium dicitur, quod hæc propositio. Omnia contraria sunt accidentia, simpliciter non est vera, sed apud illos tantum contra quos Phylos. disputabat. Nā apud Antiquos increbuerat opinio, quod omnes formæ essent accidentia, vt patet ex primo de generatione. Non est ergo, propositio assumenda, vt de mente Arist. absolute, sed vt ex suppositis Antiquorum assumpta. Veritas tamen est, quod contraria propria, & positiue sunt qualitates, & accidentia, non autem contraria communiter, & priuatiue, vt contrariantur forma substātialis, & priuatio.

Ad quartum dicendum, quod Phylos. loquitur de primis contrarijs, vnde si essent quatuor prima contraria, qua ratione duo prima sibi vendicarent tertiam naturam subiectam, eadem ratione, & duo alia hoc sibi arrogarent, non enim esset maior ratio de duobus, quā de alijs. Veritas tamen stat, quod subiectum subsistens potest pluribus contrarijs subijci successiue, sed non simul.

At vltimum dicendum, quod Phylos. non loquitur de quibuscūque principijs cuiuslibet generis, sed de ijs quę sunt de prædicamento substantiæ, in quo sunt multæ contrarietates, sed vna prima respectu cuius aliæ dicūtur secundū prius, ac posterius. Hęc autem dubia ex formalitate textuum ab alijs deducta, assumpta sunt.

LECTIO XVII. & XVIII.

QVÆSTIO XI.

Vtrum tria sint principia rerum naturalium, scilicet materia, forma, & priuatio.

VIdetur quod non. Nam ad generationem rerum naturalium concurrunt causa effectiua, & finalis. Ergo non erunt tantum tria principia rerum naturalium.

Secundo. Non minus in generatione necessarium est, quod forma rei corrumpendæ recedat, quam quod in aduentu nouæ formæ, priuatio ad sit. Quia, si illa forma prior non abesset, generatio non fieret. Ergo quatuor sunt principia, scilicet forma recedens, forma succedens, materia, & priuatio.

Tertio. Forma non introducitur nisi in materia disposita. Ergo vltra materiā, formam, & priuationem, requiritur dispositio materiæ.

Quarto. Generatio per se terminatur ad compositum. Ergo non per se, sed consequutiue terminatur ad formam. Ergo forma non erit principium per se.

Quinto. Omnes mutationes recipiunt speciem à termino ad quem, & non à termino à quo, vt est priuatio. Ergo priuatio deficit a numero principiorum rerum naturalium.

Sexto. In creatione Adam, fuerūt materia, forma, & priuatio, & tamen Adam non fuit per generationem productus. Ergo male dicitur, quod tantum in generatione

ratione rerum naturalium hæc tria principia concurrant.

Septimo. In alijs mutationibus naturalibus quatuor sunt principia. Ergo & in generatione. Consequentia nota, quoniam mutationes in mutatione conueniunt. Antecedens ostenditur. Nam dum aliquid mutatur dealbedine in nigredinem, ibi est subiectum, quod mutatur, est ibi terminus ad quem, scilicet nigrum, est ibi non nigrum, cum mutatur de non nigro in nigrum, est etiam ibi albū, quia mutatur ex albo in nigrum. Ergo quatuor sunt principia.

Octauo. Ex principijs omnia sunt. Sed ex materia, forma, & priuatione nō omnia sunt, quia accidentia non sunt composita ex materia, & forma, cum materia, & forma sint substantiæ.

Nono. Eadem sunt principia essendi, & cognoscendi. Sed materia, & priuatio non sunt principia cognoscendi, cum secundum se sint minimæ actualitatis, & consequenter minimæ cognoscibilitatis, per Aristot. secundo Metaph. Ergo nec etiam sunt principia essendi.

In contrarium est Phylos. in præsenti loco, & quoniam conclusio affirmatiua, scilicet quod tantum tria sint principia rerum naturalium, & non plura, neque pauciora, in superioribus est probata, ideo transeo ad solutionem argumentorum.

Argumẽta soluuntur. Ad primum ergo dicendum, quod principia rerum naturalium; Quædam sunt intrinseca, vt materia, & forma, & etiam priuatio in fieri; Alia sunt extrinseca, scilicet finis, exemplar, & efficiens. De primis autem tantum hic loquitur Phylos. quoniam ex ijs res ab intrinseco fit; In secundo autem loquetur de causis.

Ad secundum dicendum, quod priuatio formæ generandæ dicit formam corrumpendam, quia materia non potest existere sine forma, vnde dum vna expoliatur, alteram induit. Forma ergo corrumpenda non ponitur principiū rerum naturalium, quia nihil facit ad generationem, nec positiue, cum ex ea res naturalis non fiat, nec negatiue, nisi ratione priuationis.

Ad tertium dicendum, quod dum ponimus tria esse principia rerum naturalium, ea esse affirmamus principia, cum suis requisitis. Modo de ratione materiæ est, quod sit disposita ad formam, & quod respectu multorum sit disposita per rationes seminales, & ita forma ponitur principium vt habet actuare, perficere, & mouere; vnde ista ponuntur principia rerum, vt suis circumstantijs, & rationibus sunt circumstantionata, & non absolute.

At quartum dicendum ad maiorem, quod duplex est terminus generationis. Primus dicitur quo, quia eo mediāte generatio terminatur, & talis est forma, quæ ideo ponitur principium generationis. Secundus dicitur quod, idest vltimus, & hoc non est principium, sed terminus generationis, & dicitur compositum.

Ad quintum dicendum, quod aliud est considerare rem, vt fit, & aliud vt facta, dicitur esse talis naturę. Primo enim modo consideratur secundum principia ex quibus est, quæ cōsideratio vocatur materialis, & fundamentalis, vt dum domū considero quo ad eam componentia. Secundo vero modo consideratur ex termino, ex quo habet, quod formaliter talis dicatur, vt quod domus sit alba ex albedine, & quadrata ex quadratura. Primo autem modo hic Aristot. considerat res naturales.

At sextum dicendum, quod generatio dupliciter considerari potest. Primo formaliter, & intrinsece quo ad necessaria ad eam ab intrinseco, scilicet quo ad materiam, formam, & priuationem, & sic creatio Adæ dicitur generatio, quoniam in ea omnia reperta sunt, quæ in singulari generatione inueniuntur. Secundo extrinsece, & quo ad causam extrinsecam, & sic non dicitur generatio facta per decisionem seminis a generante. Sed hoc est per accidens, & extra intentionem principiorum intrinsecorum rerum naturalium.

Ad septimum dicendum, quod forma sit ex contrario, vt album ex nigro, stat dupliciter. Primo ex contrario priuatiuo, & hoc semper necessarium est in generatione, scilicet quod forma introducatur in materia, ea forma priuata. Secundo ex cōtrario positiuo, scilicet quod album idest subiectum fiat ex nigro, idest post nigrum, & calidum, post frigidum, & hoc non est necessarium in generatione,

ne, sed in motu, qui est de contrario positiuo, in contrarium positiuum, vnde nō valet arguere ab ijs quæ motui conueniunt ad generationem, cum sint diuersæ mutationes.

Ad octauum aliqui negant accidentia generari dicentes hoc esse propriū compositi substantialis. Sed dicere possumus, quod sicut ad compositum substantiale requiruntur materia, forma, & priuatio formæ substantialis, ita ad compositum accidentale, requiritur subiectum tanquam materia, & forma accidentalis, & priuatio talis formæ accidentalis, & ideo propositio Phylos. potest extendi ad generationem accidentalem.

Ad nonum dicendū ad maiorem, quod eadem sunt principia essendi, & cognoscendi secundum se, sed ratione nostri propositio nō est vniuersaliter vera, quia substantiæ separatæ sunt principia essendi, sed non cognoscendi respectu nostri, cum cognoscantur per effectus. Secundo dicere possumus, quod eo modo quo res sunt principia essendi, eo etiam modo sunt principia cognoscendi, & quia priuatio est principium per accidens ideo causat cognitionem rei, quoad id quod ei conuenit per accidens, & quia materia est principium essendi, vt stat sub forma, ideo hoc modo fit etiam principium cognoscendi. Tertio dicitur, quod maior valet de principijs essendi, quæ sunt in actu cum actus sit principium cognitionis, materia autem & priuatio non sunt entia realia in actu, & ideo in ijs fallit.

QVÆSTIO XII.

Vtrum ex materia, & forma fiat vnum per se.

Videtur quod non, primo. Nam aut ex materia, & forma fit vnum per se, per aliquod medium, aut sine medio. Si per medium, hoc esset accidens, & sic fieret etiam per accidens. Si sine medio, hoc videtur inconueniens, cum necessaria sit dispositio ad hoc vt materia formam suscipiat, & etiam quia sic posset materia recipere formam sine quantitate, quod falsum est, cum res materiales habeant partes per quantitatem.

Secundo. Subiectum, & accidēs se habent vt materia, & forma. Sed ex ijs non fit vnum per se. Ergo nec ex materia, & forma, quæ se habent vt actus, & potentia.

Tertio. Quæ magis distant, minus vniuntur: Sed materia, & forma substantialis magis distant, quam distent subiectum, & accidens, ex quibus tamen fit vnum per accidens. Ergo. Maior probatur, quia subiectum, & accidens, ambo sunt entia in actu, non sic materia, & forma.

Quarto. Quod vnionem non affectat, non est naturaliter cum altero vnibile. Sed materia vnionem non affectat, sed separationem, cum sit principium corruptionis, diuersitatis, & multitudinis, per Aristot. quinto, & nono Metaph.

Quinto. Sic anima intellectiua, si naturaliter vnitur corpori, per violentiam ab eo separatur. Ergo separata iterum cupit corpori vniri; Sed cū nullum violentum sit perpetuum, inde ratione naturali deducemus resurrectionem mortuorum, & ita non erit articulus fidei.

Sexto. Materia prima est indifferens ad omnem formam. Sed indifferētia tollit inclinationem naturalem, quæ est ad vnum Ergo ex materia, & forma, non fit vnum per se.

Pro resolutione huius quæst. Primo notandum venit, quod cum esse sit cuilibet rei naturali connaturale, ac materia secundum se sit pura potentia, neq; possit existere sine forma, ideo oportet vt eam appetat naturaliter, vt sibi dantem esse. Materia ergo, & forma bifariā considerari possunt. Primo secundum suum absolutum, idest vt materia est substantia in potentia, & forma in actu, & sic secundum se differunt. Secundo vt se habent, sicut perfectiuum, & perfectibile, quoniam forma perficit materiā, & ideo necesse est, vt materia appetat vnionem formæ, eam perficientis. *Materia appetit formam vt suum perfectiuum.*

Secundo notandum, quod duplex est vnio. Prima dicitur substantialis, & simpliciter, & in hac actus, idest forma aduenit materiæ non existenti sub actu, sed in potentia, & hæc vnio dicitur naturalis, quia per eam imperfectum recipit suam perfectionem naturalem, ad quam erat in potentia. Dicitur etiam substantialis, quia forma in hac vnione dat esse *Et vt ei dans esse simpliciter.*

primum, quod est substantiale. Secunda dicitur secundum quid, quia potentia iã intelligitur sub actu primo, cum potentia solum ad actum secundum, idest ad operationem, vel formam non substantialem, sed accidentalem. Vnio materiæ, & formæ, est vnio simpliciter, quia materia in ea intelligitur esse pura potẽtia, & forma actus substantialis. Dum vero subiectum accidens suscipit, tunc dicitur habere vnionem secundum quid, id est accidentalem.

Tertio notãdum est, quod in hac vnione simpliciter, quæ fit per generationẽ, tria sunt consideranda. Primum est, quod virtus actiua agentis introducitur in materia, per quam tollitur eius indifferentia, & amplitudo ad omnem formam, cum quodlibet agens disponat materiã, & in ea introducat formam, suæ speciei tantum; Secundum est, quod materia recepta virtute agentis eam disponente, continuo tendit ad proprium actum, vsquequo peruenit ad vltimam dispositionem, per quam reddita est apta ad recipiendam formam immediate, cum illa dispositio vltima ad formam, fit eiusdem ordinis cum forma. Tertium est, quod materia sic disposita per se primo respicit actum, idest formam, & ideo sine medio, & propterea ex materia, & forma, fit vnum per se, immediate.

Vt est vltima dispositio. dispo-sita.

Conclusio probatur.

Quoad secundum principale. Conclusio est. Ex materia, & forma fit vnum per se. Probatur primo ex Aristot. 2. de Anima, textu septimo, & ex octauo Metaph. tex. 15. & est sententia communiter recepta, præter quam ab Accademicis, dicentibus Animam nostram prius in quodam inuolucro illustriori inuolui, & deinde in minus illustri, & tandem in alio minus splendido, ex elementorum mixtione concreto, ne fædaretur à sordibus corporis, in quo includebatur, vt in ergastulo.

Secundo probatur ratione. Vnio potentiæ, & actus simpliciter, in hoc differt ab vnione potentiæ, & actus secundum quid, quod vnio simpliciter, dat esse simpliciter, non sic vnio secundum quid; Sed vnio materiæ, & formæ, est simpliciter vnio. Ergo.

Argumenta soluuntur.

Ad primum dicendum, quod forma vnitur materiæ sine medio. Ad improbationem vero dicitur, quod dispositiones præcedentes formã in eius aduentu corrumpuntur, & in eodem instanti in quo forma introducitur, quia primum non esse præcedentium dispositionum, fit primum esse subsequentis formæ, vt in secundo de Anima ostendimus. Itaque forma aduenit materiæ nudæ, non nudæ, ordine ad eam, cum ad eam fuerit disposita sed nudæ, prioribus dispositionibus, eam actuantibus. Ideo materia recipit formã sine quantitate in actu, quia accidentia non inhærent subiecto, nisi postquam factum est in actu per formam, non tamen eam recipit sine ordine ad quantitatem, per quam fit diuisibilis, & extensa, implicat enim materiam esse corpoream, & extensam sine quantitate, vt docet Capreolus 1. dist. 92. quæst. 1. art. vlt.

Ad secundum dicitur, quod subiectũ, & accidens, se habent sicut materia, & forma secundum quid, nõ sic forma substantialis, & materia, vt supradictũ fuit.

Ad tertium dicendum quod magis distare stat dupliciter. Primo in esse, quoniam vnum illorum est in actu, & aliud in potẽtia. Secũdo in proportione, quia scilicet vnum per se primo non ordinatur ad alterum. Quæ primo modo distant, dummodo secundo modo non distent, magis vniuntur, & ita est in proposito; nam materia essentialiter primo respicit formam substantialem, subiectũ vero respicit formam accidentalem secundario, & secundum quid. Secundo negatur minor, quia materia, & forma sunt eiusdem prædicamenti, non sic subiectũ, & accidens.

Ad quartum negitur minor, quia materia appetit formam, ad hoc vt per eam formaliter, & per quantitatem materialiter, distinguatur. Quoniam tamen forma non faciat totum appetitum materiæ, nec ab ea potest remouere qualitates corrumpentes, ideo dicitur principiũ corruptionis. Sed dum ad expoliationem vnius formæ tendit, alterum induere satagit.

Ad quintum dicendum, quod falsa est consequentia. Nam Anima, vt explicuimus in tertio de Anima, se habet vt quo corpus viuit, & vt quid per se subsistere valet; Dum ergo à corpore separatur, deficit ei quo, sed non quod, & ideo natu raliter

raliter extra corpus subsistit. Dicitur tamen supra naturaliter reuniri corpori, quoniam corpus respicit, vt orbatū prioribus dispositionibus illud ad eam aptantibus. Hoc autem non valuerunt intelligere Phylosoph. scilicet, quod supernaturaliter in materia indisposita forma introducatur, quod nos fide credimus.

Ad sextū dicitur, quod materia in communi sumpta non est indifferens ad formam in communi consideratam, sed bene ad hanc, vel illam formam, in particulari, sed hæc materia non est indifferens ad hanc formam, sed ad eam est inclinata, & ordinata.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum omnes formæ naturales, educantur de potentia materiæ.

QVoniam hæc quæstio ex altera pendet, quam abunde in 7. Metaphys. quæst. 16. explicuimus, scilicet. An dentur inchoationes formarum in materia, idest, an formæ prius existant in materia imperfecte, & deinde ab egente traducātur ad esse completum, & perfectum, ideo omissis multis ibi explicatis, breuiter noto, quod ad hoc, vt forma dicatur educi de potentia materiæ, requiritur. Primo, quod in materia sit potentia naturalis ad talem formam, ob cuius conditionis defectū excluduntur omnes actus, & formæ supranaturales, ad quas materia non est in potentia naturali, sed tantum obedientiali, vt ad gratiam, ad gloriam, ad vnionem hypostaticam, ad resurrectionē, & ad similia. Secunda est, quod talis forma, quæ dicitur educi de potentia materiæ, à materia depēdeat in fieri, & in conseruari, defectu cuius conditionis anima nostra intellectiua, non dicitur educi de potentia materiæ, quia non depēdet à materia in fieri, nisi dispositiue, nec in conseruari, quia potest separata à corpore subsistere, quia vt diximus, non solum dicit quo, sed etiam quod.

Quæ formæ educatur de potentia materia

Secundo ergo notandum, quod dupliciter potest intelligi formā educi de potentia materiæ. Primo, ita vt prius in ea lateat in actu imperfecto, & postea traducatur ad actum perfectum, & hic sensus est falsus, vt ostēdimus in 7. Metaph. quæst. 10. Secundo, ita vt dicatur ibi esse in potentia, quia in ea est potentia, & habilitas, vt cum virtute agentis deueniat ad actum, & hoc verum est, & ideo non est materia, quæ producat illas formas, sed est illa quę eas respicit, per actionem agentis, eam disponentis, vt formam suscipiat sibi connaturalem, & ab ea dependentem in fieri, & in conseruari, nam nō alio modo agens potest agere ad formam effectiue producendam, nisi disponendo materiam, & per materiam.

Et quomodo.

Tertio notandum, quod ad hoc, vt forma, dicatur educi de potētia materiæ necesse est, vt in materia sit potentia essentialis ad illam formam, quia forma substantialis respicit suā potentiam substantialiter, ex quo formæ artificiales, vt imago Cæsaris, non dicitur educi de potentia materiæ, quia est forma accidentalis, & supponit subiectum, idest lignum, in actu. Secundo similiter nec relationes, quæ adueniunt subiecto dicūtur educi de potentia, tum quia sunt accidentia (si sūt relationes reales creatæ) tum quia non generantur, sed naturali sequela subiectum consequuntur; tum quia vt dicunt ad non sunt formæ, aliter non possent aduenire subiecto sine eius mutatione, contra Arist. 5. Physic. propter quod, vt relationes formaliter dicunt respectum ad terminum, & non ad subiectum, nisi vt sunt accidentia. Sequitur tertio, quod nec lumen datum cęco, nec forma bouis, si iterum a Deo fieret, & conseruaretur, & de nouo introduceretur in cadauere bouis dicerentur educi de potētia materiæ formaliter, & propriæ, quia quamuis sint actus naturales illarum potentiarū, tamen introducerētur sine actione agentis, per ordinarias dispositiones materiā traducentis ad esse. Realiter tamen possent dici formæ eductæ de potentia materiæ, quia Deus operaretur loco agentis, & quia formę datę vere dependent à materia in fieri, & conseruari, & ita dic de multis alijs.

Magis explicatur.

CAPVT VII.

LECTIO XX.

S. D. XII.

Sic igitur nos dicamus. tex. 57.

Fieri multiplex. SVperius Phylos. disputatiue quæsiuit numerum principiorum. At incipit in tex. 57. determinare veritatem, scilicet; quod in quodlibet fieri naturale tria principia requiruntur. Ait ergo, quod intendens tractare de omni generatione, debet incipere à communioribus, & descendere ad particularia, & specialia. Secundo dicit, quod duplex est fieri. Primũ dicitur substantiale, quo generatur compositum substantiale. Secundum dicitur accidentale, quia ex eo generatur cõpositum, accidentale, vt paries albus; Item fieri siue substantiale, siue accidentale duplex est, quoddã dicitur simplex, vt dum fit mutatio inter terminos simplices, vt dum ex non homine, fit homo, & ex immusico fit musicus. Aliud dicitur compositum, vt dum, verbi gratia, denigratur compositum, dicendo, non musicus homo, fit musicus homo. Tertio subdit duplicem esse differentiam inter fieri simplicis, & compositi. Prima est, quod aliud significat fieri substantiale, & aliud accidẽtale, idest simplicis, & compositi, quod in fieri simplicis dicimus, ex hoc, fit hoc, verbi gratia, ex non homine, fit homo, in fieri autem cõpositi dicimus hoc, fit hoc; verbi gr. homo fit musicus. Secunda est, quod subiectum, idest, materia semper permanet cum forma in fieri compositi, idest in fieri accidentale, non autem sic in fieri substantiale, in quo materia forma priuatur.

Ei suppo nitur materia Secundo ergo loco principali intendit determinare, quod in qualibet factione naturali tria requiruntur. Ait ergo, quod ex superioribus constat in quolibet fieri dari subiectum permanes sub vtroq. extremo, quod mutatur, ita vt illud quod, verbi gratiã, non erat homo, postea dicatur homo. Videtur igitur sic ratiocinari; In qualibet mutatione substantiali, & accidẽtali rei naturalis, & artificialis, vnum tertium supponitur, quod duorum contrariorum vicissitudinẽ sustinet. Ergo cum plura mutationum genera inueniri non possint, sequitur in omnibus tria illa principia concurrere.

Circa supradicta igitur notandum est, quod in quodlibet fieri tria concurrunt, scilicet, terminus à quo, & terminus ad quem, & subiectum, quod diuersimode stat sub vtroque termino, verbi gratia, dum manus ex nigra fit alba, terminus à quo est nigredo, cum qua stat priuatio albedinis, nisi enim manus fuisset nigra, alba non fieret, terminus ad quem est albedo acquisita, & subiectum manus ipsa, quæ ex nigra fit alba. Hæc etiam in fieri rerum naturalium concurrunt, scilicet, terminus à quo, cum quo stat priuatio, vt quod ex non homine fiat homo, vnde esse hominem erit terminus ad quem acquisitus per ipsum fieri. Subiectum vero erit materia, & hoc est quod obscurissimis rationibus docet Phylos. *In quolibet fieri tria sũt.*

Secundo colligendum est etiam, quod sicut duplex est esse, ita duplex est fieri. Nam sicut datur esse substantiale, & accidentale, ista datur fieri compositi substãtialis, & fieri compositi accidentalis. Primum dicitur esse simpliciter, quia per illud, cõpositum acquirit esse simpliciter. Secundum dicitur esse secundum quid, quia compositum per tale fieri solum acquirit formam accidentalem.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrum priuatio sit principium rerum naturalium.

VIdetur quod non. Non ens, non potest esse principium entis. Sed priuatio est non ens, cum sit negatio in subiecto apto nato habere aliquam formam. Ergo.

Secundo. Principia rerum naturalium semper manent, vt dictum est. Sed priuatio definit in generatione rei naturalis, dum enim quis factus est musicus, iam definit esse immusicus.

Tertio. Si priuatio sit principium, esset, quia coniungitur subiecto (vt ait Phylos.) Sed hæc ratio non valet, quia potentia, & aptitudo ad formam, & similia coniunguntur subiecto, & tamen non ponuntur principia rerum naturalium,

aliter

aliter essent plura tribus contra Aristot. Ergo.

Sed cõtra probatur quarto loco, quod non sit principium per accidens, quia sequeretur quod posset fieri transmutatio absque priuatione. Probatur. Quia non est inconueniens tollere principium per accidens, & rem manere.

Quinto. Non sunt secundum se materia, & priuatio, per Phylosop. Igitur vel vnum horum, vt superfluum apponitur, vel vtrumque est principium per se, vel vtrumque est principium per accidens.

In contrarium est Phylosop. Pro enucleatione praesentis quaest. Primo sciendum est, quod priuatio dicitur negatio circa determinatum subiectum, ideo est obseruandum, quod priuatiue opposita primum locum obtinent post opposita contradictorie. Nam inter priuatiue opposita non datur aliquod medium, sicut inter positiue opposita. Nam inter albũ, & nigrum, quae positiue opponuntur datur rubeum, nec datur aliqua dependentia inter ea, sicut inter relatiue opposita, vt inter patrem, & filium; Dicitur autẽ negatio, non absolute, sed circa determinatum subiectum, quia negatio absolute se tenet respectu oppositorum contradictorie, idest stat inter esse, & nõ esse, sed dicitur negatio circa determinatum subiectum, quia haec est differentia inter oppositionem contradictoriam, & priuatiuam, quod cõtradictoria absolute, & simpliciter negat esse, priuatiua autem negat formam aptam natam reperiri in tali subiecto, vt virtutem visiuam in oculo, vnde aliquo modo oppositio priuatiua retinet naturam oppositionis contradictionis. Per principium autem intelligimus causam, vnde quaerimus vtrũ priuatio aliquo modo sit causa rerum naturalium, per res naturales intelligẽdo res sensibiles, non abstrahentes à motu, nec à materia, nec secundum rem, nec secundum rationem. Erit ergo sensus quaest. An priuatio quatenus est negatio alicuius formae circa determinatum subiectũ, sit aliquo modo causa rerum sensibiliũ, includentium materiam, & motum.

Priuatio quid sit aperitur.

Secundo notandum, quod res naturales dupliciter considerari possunt. Primo quoad fieri, scilicet quatenus in trãsmutatione, & in fieri indigent aliqua causa seu principio. Secundo in facto esse, scilicet quatenus aliquod principium dicitur permanere in re facta. Si ergo res naturales considerentur primo modo, priuatio dicetur principium per se, quia res non acquirit formam quam habet, sed qua est priuata. In facto autem esse priuatio non est principium rerum naturalium, quia eadem numero priuatio non permanet in re facta, sicut permanent materia, & forma quae propterea dicuntur principia per se, & in fieri, & in facto esse.

Est principiũ per se in fieri.

Tertio notãdum est, quod principium per se adhuc duplex est. Primum dicitur principale, propterea quod principaliter, & secundum se concurrit ad ponendum rem in esse, quo pacto materia, & forma in ratione actus, & potentiae rem ipsam naturalem constituunt. Secundum dicitur minus principale, ob hoc, quod principaliter non concurrit, & si necessario, ad constitutionem rei, quomodo dispositiones ad formam hoc secundo modo dicuntur principia compositi, qua ratione etiam priuatio potest dici principium per se in fieri, sed secundario intentum.

Secundarium.

Quarto notandum est, quomodo priuatio sit principium, seu causa rerum naturalium. Loquendo igitur de causis, priuatio non erit causa rerum naturalium, nec materialis, nec formalis, cum non maneat in re, sicut in ea manent materia, & forma, neque effectiua, neq; finalis, cum haec sint extra rem; priuatio autem neq; totaliter, est rei intrinseca, neque omnino ab ea extranea. Non erit igitur causa directe, sed modaliter, & reductiue, & spectabit ad modum causae materialis, prout omnes dispositiones, & conditiones spectantes ad materiam, in ordine ad susceptionem formę, reducuntur ad genus causae materialis. Si autem ei vellimus attribuere rationem principij, dicetur principium secundum primum modum, idest secundum id à quo incipit motus, quia priuatio in generatione se habet sicut terminus à quo fieri rei naturalis.

Et causa modaliter materialis.

Quinto obseruandum venit, quod cũ quatuor sint modi perseitatis, dicendum videtur, quod priuatio sit in primo modo, in quo praedicatum est de diffinitione subiecti,

In primo modo per se.

ſubiecti, quia priuatio eſt de ratione motus, & fieri, cum terminus à quo per priuationem ſignificatus, ſit de eſſentia motus, & fieri. Sed recolendum eſt, quod tripliciter aliqua reponuntur in primo modo perſeitatis. Primo quando prædicatum dicit totam eſſentiam ſubiecti, cuius eſt ratio formalis, & diffinitiua, ſecundum exigentiam rei, vt rationale eſt de diffinitione hominis. Secundo, quando ſe habet, vel vt pars. Vel tertio aliquo modo, vt concurrens ad conſtituendam eſſentiam ſubiecti, & hoc tertio modo, priuatio eſt principium per ſe, in primo modo perſeitatis, quod eſt ſecundario eſſe principium.

Concluſio probatur. Secundo loco principali ponitur hæc concluſio. Priuatio eſt principium per ſe rei naturalis, ſed in fieri, non vero in facto eſſe. Probatur primo. Illud quod concurrit neceſſario in fieri, ſed non permanet in re facta, dicitur principium per ſe in fieri, ſed non in facto eſſe. Talis eſt priuatio, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo &c.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicitur, quod duplex eſt non ens. Primum dicitur non ens, nec in eſſe, nec in fieri, quia nec habet eſſe, nec rationem, & hoc non ponitur principiũ. Secundũ dicitur non ens per ſe, ſed connotatiue ens, quia cõnotat non ens, ideſt priuationem circa tale ſubiectum, quæ tamen cõcurrit neceſſario in actione generationis; & tale poteſt poni principium in fieri, & ſi non in facto eſſe, vt apparet in priuatione.

Ad ſecundum dicitur, quod maior valet de principio eſſendi, & non de principio fiendi, vt eſt priuatio. Dicitur tamen priuatio manere in re facta, non numeraliter, ſed ſpecifice, quia dum materia ſub vna forma iacet, altera ſemper priuatur.

Ad tertium dicitur, quod potentia, & aptitudo in materia ab ea nõ diſtinguuntur: priuatio vero ſic, vnde non eſt eadem ratio. Secundo dicitur, quod ſi diſtinguerentur à materia, non haberent alium modum principiandi ab ea; priuatio vero ita, quia ſe habet, vt oppoſitum, & contrarium principium formæ, & vt terminus à quo, & ideo ponitur principium diſtinctum.

Quartum argumentum concludit priuationem eſſe principium per ſe in fieri, ſed non in facto eſſe.

Ad quintum dicendum, quod materia, & priuatio diſtinguuntur realiter, non actualiter (cum priuatio non ſit ens actuale,) ſed virtualiter, eo modo quo ens reale, & non ens reale diſtingui poſſunt.

QVÆSTIO XV.

Vtrum Priuatio ſit ens reale.

Videtur quod ſic. Primo. Dans verum eſſe eſt verum ens. At priuatio dat verum eſſe. Nam Geneſis primo dicitur, quod tenebræ (quæ ſunt priuatio lucis) erant ſuper faciem abiſſi, & in hymno trium puerorum dicitur. Benedicite lux, & tenebræ Domino.

Secundo. Illud quod nocet eſt quoddam poſitiuum. At priuatio dicitur malefica hic, tex. 80. Ergo.

Tertio. Quod ſenſu percipitur, quid poſitiuum eſt. At tenebræ, aſpectu percipiuntur, apud Ariſtotel. 2. de Anima, tex. 138. Ergo.

Quarto. Diffinitio eſt rei. At priuatio habet propriam diffinitionem, & proprium conceptum, ſecundum Ariſt. c. 2. Perihermeniarum.

Quinto. Hoc docet S.D. de malo, q. 2. art. 2. & Caiet. 1. p. q. 98. art. 2. de ente & eſs. cap p. & Ferrarienſis 3. contra Gentes, cap. 19.

In contrarium eſt hic Ariſt. & S.D. & ratio, quia non permanet in re genita.

Ad primum ergo dicitur, quod priuatio dicitur eſſe in rebus non vt forma poſitiua inhærens, ſed vt exercens actum priuandi formam, vnde tenebræ dicuntur fuiſſe ſuper faciem abiſſi, quia ibi nõ erat lux. Dicuntur autem tenebræ benedicere Deum, non formaliter, ſed cauſaliter, quia dant occaſionem Deum benedicendi. *Argumẽta ſoluuntur.*

Ad ſecundum dicitur, quod priuatio eſt malefica priuatiue, quia priuat formam; non vero poſitiue, ideſt vtres habens qualitatem maleficam.

Ad tertium dicitur, quod tenebræ percipiuntur aſpectu negatiue, quia ibi non conſpicitur lux.

Ad quartum dicitur, quod diffiniuntur vt ſigna rerum intellectarum, & conſequenter

quenter vt entia rationis. Nam etiam ens rationis potest diffiniri suo modo.

Ad vltimum dicitur, quod D.D. adducti intelligunt priuationem esse in rebus non seorsum, & per se, sed in subiecto cui inhaeret realiter, vt ipsum realiter denominat, quod est esse in rebus fundamentaliter, idest ratione subiecti, forma per generationem acquirēda priuati realiter, sed non formaliter, idest secundum se.

LECTIO XXI.

S. D. Decimatertia.

Manifestum igitur quod siquidem sunt causa, tex. 65.

Materia et forma sunt pricipia per se. HIc incipit Phylos. ostendere in particulari, quot sint principia rerum naturalium. Primo ergo probat duo esse principia per se naturalia sic. Illa dicuntur principia alicuius rei, ex quibus res ipsa fit, & constituitur. Sed res naturales, & fiunt, & constituuntur in esse per materiam, & formam. Ergo. Probat minorem, quia res ex illis constituitur, in quae resoluitur, siue secundum esse siue secundum diffinitionem. Sed natura, & ratio rei factae resoluitur in materiam, & formam', verbi gratia ratio hominis musici resoluitur in rationem hominis, tamquā in materiam, & in rationem musici, tamquam in formam.

Priuatio p accidens. Secundo ostendit priuationē esse principium per accidens. Dicit ergo, quod & si priuatio, & materia vnum sint subiecto, differunt tamen diffinitione, vnde priuatio dicitur principium per accidēs, quia accidit, materiam in qua est introducenda forma, esse tali forma priuatam, sicut dicimus aedificatorem esse causam per se domus, musicū vero per accidens, quia accidit aedificatorem esse musicum.

Explicatur. Tertio correlarie deducit, quod si absolute interrogemur, quot sint principia rerum naturalium. Respondendum erit tria, quia priuatio, & ipsa aliquo modo est principium. Si vero interrogemur quot sint principia per se, dicendum erit duo, quia priuatio est principium per accidens. At si interrogemur quae principia ex ijs sint contraria. Respondendum erit priuatio, & forma. Epilogat autem supradicta subinferendo, quod duo sunt principia necessaria contraria, scilicet forma, & priuatio; sed forma est principium per se, & priuatio per accidens, materia vero est illa quae ijs duobus contrarijs subijcitur, & principium per se materiale vocatur.

Materia p formā cognoscitur. Quarto docet, quod materia secundū se non est cognoscibilis, & ideo cognoscitur per analogiam ad formam; quod videtur sic probare. Sicut se habet lignū in artificialibus, ita se habet materia in naturalibus. Sed in artificialibus lignum cognoscitur aliud esse à forma lecti, vel scamni per has formas. Ergo similiter materia, quae modo est sub forma aquae, & postea sub forma aeris, per has formas cognoscitur, ideo materia non est quid determinatum, sed determinabile, quia est ens in potentia.

Vnumquodque resoluitur in eq ex quib⁹ componitur. Circa suprad. Notandum est circa hāc propositionem Phylos. Quod vnūquodque in ijs resoluitur, ex quibus primo, & non secundū accidēs componitur. Quod primo dixit ex quibus, quia res quandoque componitur ex secundis principijs, vt mixta ex elementis, & secunda contraria ex primis; res autem vltima resolutione non resoluitur in ijs, ex quibus secundario componitur, sed primo, sicut mixta & contraria secunda tandem resoluuntur in materiam, & formam. Dicit autem secundum accidens, vt annuat priuationem, quae est principium solum per accidens vt supra. Additum fuit secundū rationem, quia partes diffinitionis correspondent partibus rei.

Priuatio accidit materiae i particulari. Secundo notandum, quod valet arguere, priuationem non esse principium per accidens, quia priuatio non accidit materiae dum est sub forma. Nam priuatio bifariam sumi potest. Primo, pro hac, vel illa singulari, & indiuiduali priuatione, & sic materiae accidit quod dum est sub forma aquae, nō habeat priuationem formae aquae, sed alterius rei. Secundo sumitur in generali, & sic semper priuatio materiam comitatur, quia impossibile est quod dum res generabilis, & corruptibilis est sub vna forma non dicatur in potentia ad aliam, qua dicitur priuata.

Absolute tamē Tertio notandum, quod quamuis priuatio in fieri sit principium per se, absolute

dicitur princi- pium p accidēs. Hæc tamē Phylos. eam vocat principium per accidens. Primo, quia illa tantum sunt absolute digna nomine principij,& causæ per se,quę manent in re facta,materia autem manet, sed non priuatio vt supradictum est. Secundo, quia priuatio semper tendit ad maleficium, vnde secundum veritatem potius est principium corrumpendi,quam essendi,quia non est principium essendi,nisi prout est principium corrumpendi priorem formam.

Quarto notandum, quod sæpe Arist. ex artificialibus arguit ad naturalia,quia artificialia sunt nobis notiora,& maxime apta ad inducendam cognitionem à posteriori,prout vt plurimum procedit hæc scientia.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum materia secundum se sit cognoscibilis.

HAnc quæstiones habes in octauas Metaphysices.

DVBIA.

CIrca supradicta autem quædam dubia occurrunt,& singulariter circa naturam priuationis.

Primum ergo dubium est. Quare priuatio dicatur potius esse idem cum materia, quam cum forma, cum tamen sit priuatio,& absentia formæ.

Secundum dubium est. Quod cum priuatio desinat in generatione, sic videtur quod priuationis erit priuatio. Probatur assumptum, quia ad hoc vt forma deficiat, ponitur sub priuatione. Ergo ad hoc,vt priuatio deficiat, a simili erit necessaria priuatio.

Tertium est. Quod cum Aristot. dicat omne quod fit ex opposito fieri, vel ex subiecto. Ergo res fit ex priuatione, quod est falsum vt supra.

Quartum est. Quia si priuatio dicitur principium rerum naturalium.Ergo multo magis hoc conueniet efficienti, fini quantitati, dispositionibus materiæ, loco,& tempori,cum hæc sint entia positiua, priuatio autem est ens negatiuum.

Quintum est. An nomen principij dicitur vniuoce, vel analogice de materia, forma, & priuatione.

Sextum est. Quomodo cum priuatio sit non ens, possit habere diffinitionem, distinctionem &c.

Ad primum dubium dicitur, quod ob duplicem causam priuatio dicitur esse idem cum materia, & non cum forma. Primo,quia priuatio,& materia se tenēt ex parte termini a quo, at forma est terminus ad quem, isti autem termini sunt vt à quo. Secundo,quia priuatio, (vt diximus) tendit ad maleficium, idest ad destructionem formę sibi assumendo pro causa potentiam materiæ ad aliam formam, & ideo dicitur esse idem cum materia,& non cum forma.

Ad secundum dicimus, quod forma non est priuatio,quia forma est ens positiuum. At priuationis non est priuatio, quia priuatio est,ens negatiuū,non entis autem non potest non ens esse priuatio.

Ad tertium dicimus,quod nulla res fit ex contrario,vt fieri denotat rem ingredientem compositum, dicitur autem fieri ex contrario, idest post contrarium,vt supra explicatum fuit.

Ad quartum respondendum est, quod vt supra diximus, hic loquimur de principijs intrinsecis, rem ipsam componentibus; enumerata autem in argumento, vel sunt principia extrinseca, vel non manent cum re facta, vt patet de dispositionibus.

Ad quintum dicitur,quod nomen principij analogice dicitur de forma, materia, & priuatione. Prius ergo prioritate perfectionis dicitur de forma,& per posterius de materia, & tandem de priuatione, quæ est negatio concomitans naturam materiæ. Prioritate vero generationis, prius dicitur de priuatione, quæ præintelligitur materiæ,secundo de materia preparata ad formam,& tandem de forma terminante generationem.

Ad vltimum dicendum, quod priuationes sumunt vnitatem, & distinctionem à formis sibi aduersis. Nam priuatio per additum cognoscitur, priuatio autem nihil aliud est nisi negatio formæ, aptæ natæ reperiri in aliquo determinato subiecto.

C A-

CAPVT VIII.

LECTIO XXII.

S.D. XIV. &c.

Quod autem singulariter sic soluitur.
Tex. 71.

POstquam Phylosoph. ostendit numerum principiorum per se, & per accidens rerum naturalium, & quæ sint contraria, & quæ non, ex dictis intendit soluere defectus, & peccata Antiquorũ circa assignationem generationis rerum naturalium.

Reprehẽduntur Antiqui Primo ergo ait, quod ex dictis de principijs rerum, omnes defectus, seu dubitationes Antiquorum de eisdem principijs soluuntur. Nam quidam Antiquorũ Phylos. propter imbecillitatem suam, & inexperientiam rerum in multos errores inciderunt, & pracipue dum negauerũt nihil generari, seu fieri, quia nescierunt soluere hanc rationem. Omne quod fit, aut fit ex ente, aut ex non ente. Sed vtrũque est impossibile. Ergo nihil fit. Probabant minorem, quo ad primam partẽ, scilicet, quod nihil fiat ex ente, qa quod est, non generatur, domus enim facta, non fit. Probabant secundam particulam, scilicet, quod non fiat ex non ente, quia ex nihilo nihil fit, & cuicunque generationi aliquid subijcitur.

Solutio rationũ Antiquarum Secundo ergo loco respondet supradicto dubio, quod fieri ex aliquo stat dupliciter. Primo per se, secundo per accidens. Hocque taliter exemplo manifestat. Nam quod Medicus ædificet, per accidens est. Nam Medicus, vt Medicus medetur, quod vero ædificet, accidit ei, quia accidit Medico, vt Medicus est, quod sit ædificator. Ita pariter ex priuatione non fit ens per se, sed per accidẽs, prout accidit quod id, quod ex materia fit, per se habeat adiunctam priuationem. Ita dicendum est ad illum, qui interrogat, an ex ente fiat ens, nã dicitur, quod ex ente per se, non fit ens, sed bene ex ente per accidẽs, quia verbi gratia accidit formæ leonis, quod prius fuerit ex forma canis.

Ex ente in potentia fit ẽs positum substantiale. Tertio vlterius dicit duplex esse ens, scilicet in actu, vt materia sub forma, & in potentia, vt materia nude cõsiderata; Tunc subinfert, quod ex ente in actu nihil fit per se, & simpliciter, quoniam omnis talis generatio, vel mutatio est accidentalis, vel secundum quid; ex ente autem in potentia omne quod fit, per se, & simpliciter fit, quia ex materia, vt ex potentia, & ex forma, vt ex actu, fit compositum per se, & simpliciter.

Error Parmenidis. Quarto proponit errorem illorum, qui naturam materiæ aliquo modo attigerunt, sed non perfecte, nescientes eam distinguere à priuatione, & dicentes, quod cũ priuatio per se non sit ens, concedebant id quod ex materia fit, fieri ex non ente; Hi autem ducebantur duplici ratione. Primo ratione Parmenidis sic. Quidquid est præter ens, est non ens. At materia est præter ens, cum per se nõ existat actu. Ergo erit non ens. Secundo. Id quod subiecto vnum est, est etiam vnum ratione. Sed materia, & priuatio sunt vnum subiecto. Ergo etiam ratione. Ergo cum priuatio sit non ens, materia quoque erit non ens.

Materia differt à priuatione. Quinto ergo loco respondet supradictis impugnationibus dicẽdo, quod quãuis priuatio, & materia sint vnum subiecto, tamen differunt ratione, quod dupliciter probat. Primo. Quia materia est non ens per accidens. At priuatio est nõ ens per se. Secundo. Quia materia est prope rem, & est substantia in potentia. Priuatio vero neque est prope rem, neque substantia in potentia. Igitur differunt.

Non secundum Platonẽ. Sexto respondet cuidam tacitæ obiectioni, scilicet, quod Plato distinxerit materiam à priuatione, cum duo posuerit ex parte materiæ, scilicet magnũ, & paruum. Sed respondet, quod quamuis Plato posuerit magnum, & paruum ex parte materiæ, non tamen distinxit materiã à priuatione, dicens, quod materia est sicut mater, & priuatio sicut maleficium; vnde priuationem contempsit.

Materia appetit formam Vltimo loco concludit, quod materia in generatione concurrit, vt principium passiuum, sicut concurrit, & mater, vnde sicut fœmina appetit virum, & triste bonum, ita materia appetit formam, quæ est quoddam diuinum, & optimum.

Quomodo ex n[on ente] Circa supradicta autem quædam sunt notanda. Primo enim notandum est, quod

Ex nihilo nihil fiat. quod hæc propositio. Ex nihilo, nihil fit, habet quasdam glossas. Prima est, quod hæc propositio est vera in generatione naturali, ad quam necessaria sunt, materia, forma, & priuatio, non autem est vera in simplici emanatione, seu creatione, quæ ex nihilo fit. Secunda glossa est, quod ex nihilo nihil fit ab agente particulari, secus ab vniuersali omnium rerum Creatore.

Quatuor sunt ī opinione Parmenidis. Secundo notanda sunt quatuor circa opinionem illorum, qui dixerunt nihil fieri, seu generari. Primum est, quod Phylos. hanc opinionem attribuit Parmenidi, & Melisso, & recte, quia ij vnum tantum ens constituerunt, & consequenter generationem sustulerunt, quia generans, & genitum duo entia sunt. Secundum, quod errauerunt propter infirmitatem, idest ob debilitatē intellectus, nescientes quomodo aliqua generentur, & ex quibus. Tertium est, quod argumentabantur ex principio fere ab omnibus concesso, scilicet, quod ex nihilo nihil fit. Quartum est, quod vnam naturam supponebant, & in ijs duobus vltimis Arist. non discordat ab eis.

Res non fit ex priuatione, idest, ex ea nō cōponitur. Tertio pro explicatione dictorū Phylos. Notandum est, quod generatio designatur quandoq. fieri ex opposito, idest ex priuatione, & quandoq. ex obiecto, idest ex materia. Erat igitur difficultas, quomodo ex non ente, idest ex priuatione aliquid fieret. Respondet autem Phylos. quod ex non ente, idest ex priuatione non fit aliquid per se, idest, vt ex ente ingrediente compositionem rei, sed dicitur fieri ex non ente per accidens, quatenus accidit materiæ, quæ debet nouam formam acquirere esse sub priuatione, si enim sub priuatione non esset, res non fieret, non quod ex priuatione fiat, sed post priuationem.

Priuatio ē ens fūdamētaliter. Quarto notandum, quod aliud est dicere priuationem per se non esse ens, & aliud quod simpliciter sit non ens. Secundum non asserit Phylos. sed primum. Differentia autem in hoc consistit, quod priuatio non est ens per se, nec principiū rerum naturalium per se, sed est ens per accidens, & principium per accidens, idest accidit materiæ ad nouam formam deducendæ, non tamen dicimus eam esse non ens simpliciter, quia non ens simpliciter nihil est, nec formaliter, nec fundamentaliter, & ex consequenti nullo modo potest esse principium, priuatio autem quamuis sit non ens formaliter; fundamentaliter tamen est ens, cum sit vera, & realis negatio formæ generandæ in materia.

Quinto notandum est, quod tria Aristot. attribuit formæ in textu. Primum, quod sit quoddam diuinum, vt est principium compositi, & non principiatum, diuina enim sunt quæ alijs communicant esse. Secundo ei attribuit, quod sit quoddam optimum, idest perfectum, quia optimum in composito non est materia, nec priuatio, sed forma, & omnis perfectio compositi causaliter est à forma. Tertio ei attribuit esse quoddam appetibile, prout perficit, & complet appetitum materiæ, quæ eam appetit sicut fæmina appetit virum, & deforme pulcrum. Sed præter supradicta nomina multis alijs nominibus cohonestatur, & insignitur. Nam quandoque vocatur forma, quia informitatem materię format. Dicitur species, tum quia est pulchritudo rerum, tum quia se habet vt actus, sicut species vocatur actus generis. Tertio dicitur ratio, idest diffinitio, quia ab ea principaliter desumitur. Quarto vocatur quod quid erat esse rei, idest essentia rei. Quinto dicitur actus, quia actuat. Sexto dicitur terminus, quia generationem terminat, & Septimo dicitur exemplar, quia est causa formalis. *Forma attributa.*

Sexto notandum, quod etiam materia multis nominibus à Philosophis fuit nominata. Primo enim dicitur materia, in ordine ad formam, qua actuatur. Secundo dicitur elementum, quia ex ipsa res constituuntur; sicut compositum mixtū ex elementis componitur. Tertio dicitur subiectum, quia ipsa est ratio suscipiendi accidentia materialia, & his tribus nominibus à Peripateticis fuit nuncupata. A Platonicis vero dicta est receptaculū, sinus, gremium, locus formarum, mater, nutrix, & yle. Apud Arabes vero dicta est, origo, massa, silua, & seminarium, quorum nominum rationes, longum esset, & superfluum velle adducere. *Attributa materia.*

Dubia.

Multa essent dubiā hic pertractanda, & resoluenda, scilicet quomodo materia sit

sit sua potentia, An sit pura potentia, An habeat aliquas formas, seu dimensiones interminatas coæuas, An sit ingenerabilis, & incorruptibilis, sed hæc omnia dubia, & quæstiones habes in. 8. Metaphysices.

Primo ergo hic dubitatur. An vna, vel plures sint potentiæ materiæ.

Secundo dubitatur. An materia appetat formam.

Videtur enim quod non. Primo. Quia si materia appetit formam, vel eam appetitu animali, vel naturali. Non primū, quia non habet sensum. Non secundum, quia non habet formam, quia inclinetur, sicut lapis habet grauitatem, qua mouetur deorsum.

Secundo. Si eam appetit. Aut est, quia omni forma caret, quod est falsum, quia non subsisteret, Aut quia multas appetit, quod est incongruum, cum vna tantum debeat informari. Aut quia est fastidita prima, quod est ridiculum, cum per eam perficiatur. Ergo.

Tertio. Quia dicere, quod materia appetit formam, sicut fæmina virum, Metaphora est. Scientia autem non vtitur Metaphoris, per Arist. secundo. Post.

Tertio. Dubitatur circa hoc dictum scilicet quod materia corrumpatur per accidens, quia scilicet corrumpitur priuatio. Nam quod corrumpitur est ens; Priuatio autem non est ens. Ergo.

Secundo. Quia si priuatio corrumpitur per accidens; Ergo materia corrumpitur per se, cum differant.

Ad primum dicitur, quod potentia materiæ in vniuersali, & secundum se considerata, vna est realiter, cum quodlibet genus diuidatur per actum, & potentiam, sed in particulari, & secundum rationē diuersæ sunt potētiæ, prout accidit materiæ disponi ad diuersas formas.

Pro solutione secundi dubij. Primo notandum est, quod triplex est appetitus. Primus dicitur naturalis, idest naturalis ordo, & inclinatio ad propriam perfectionem. Secundus dicitur animalis, ortus ex aliqua cognitione sensitiua. Tertius dicitur intellectualis, quia oritur à cognitione intellectiua, & solum reperitur in intellectualibus. Appetitus ergo materiæ erit naturalis, quia caret sensu, & intellectu.

Secundo notandum, quod differentia est inter hos appetitus, quod appetitus animalis, & rationalis requirunt formam superadditam, qua inclinentur in suos fines. Appetitus autem naturalis nihil aliud dicit nisi pondus naturæ, & ordinē potentiæ ad proprium actum, & propriā perfectionem, & finem.

Ad primum ergo dicitur, quod valet de appetitu rationali, vel animali, nos autem loquimur de naturali.

Ad secundum dicimus, quod appetit formam vt propriam perfectionem, quia ea perficitur.

Ad tertium dicendum, quod vsus est exemplo nobis magis noto, quia hæc scientia est à posteriori, ex nobis notioribus.


Ad quartum dubium dicendum, quod aliquid dicatur corruptibile stat dupliciter. Primo proprie, quia perdit propriū esse. Secundo improprie, prout desinit vnam rationem habere, quam prius habebat. Primo modo corrumpitur compositum, quia amittit proprium esse, secundo modo priuatio, quia cessat denominare rem sub tali forma. Et per hæc patet ad argumenta.

Finis Primi Physicorum.

COMMENTARIA CVM QVAESTIONIBVS,

In secundum Physic.

F. MICHAELIS ZANARDI ORDINIS PRAEDICATORVM.




CAPVT I.

LECTIO I.

S. D. I.

Eorum quæ sunt. Alia quidem sunt natura. tex. 1.

Intentio Phyloso phi.



PHylosophi intentio in hoc suo secundo libro secundi Phys. est de natura, & de causis rerum naturalium, & de casu, & fortuna tractare; & quomodo omnia propter finem operentur ostendere. Incipit autem volendo de natura sermone habere à quadam diuisione, quia vt ipsemet tradidit secundo Post. cap. 7 per diuisionem, & compositionem rerum naturas penetramus.

Quædã sunt natura, & quædam per alias causas.

Primo igitur dicit, quod quædam constant, idest sunt natura, & quædam sunt per alias causas, vt per casum, vel fortunam, vel per artem. Enumerat autẽ quæ sunt natura, idest natura constant, ipsa reducendo ad aliquas species. Prima ergo species est eorum, quæ vita animali viuunt, vt animalia ipsa, & species ipsorũ. Secunda est eorum, quæ viuunt vita vegetabili, vt sunt plantæ. Tertia est corporum simplicium, idest quattuor elementorum, aeris, ignis, aquæ, & terræ. Subdit vero quod naturalia à non naturalibus, idest ab artificialibus in hoc differunt, quod naturalia in se habent principium intrinsecum sui motus, vel secundum locum, vel secundum augmentum, vel decrementum, vel secundum alterationem. Artificialia autem non habent in se ipsis principium sui motus, sed ab extrinseco mouentur, vt indumentum, & lectulus. Subdit tamen, quod entia artificialia dupliciter considerari possunt. Primo secundum formam, & sic per eam non mouentur. Secundo secundum materiam, verbi gratia, vt lignea, vel terrea sunt, & sic per se moueri possunt.

Diffinitio Naturæ.

In secundo textu assignat differẽtiam inter naturam, & artem, & ex hac deducit diffinitionem naturæ. Habet ergo, naturam in hoc ab arte differre, quod in se habet principium motus, & quietis, & ideo natura erit principium, & causa mouendi, & quiescendi eius in quo est, primo; per se, & non secundum accidens; declaratq. hanc vltimam particulam, scilicet, non secundum accidens, exemplo Medici, nam Medicus infirmus non sanatur per se quatenus Medicus, sed per accidens, sanatur autẽ per se, vt infirmus, & ideo venit dicendum quædam fieri à principio intrinseco, vt patet in natura, & naturalibus, & quædam à principio extrinseco, vt patet in artificialibus.

Differt ab ijs q̃ sũt secũdum naturã, & à natura.

In textu quarto, & quinto assignat discrimen inter naturam naturalia, à natura, & secundum naturam. Inquit ergo, quod natura, & naturalia dicuntur subiecta, idest substantiæ sensibiles, compo-

sitæ

sitæ ex materia, & forma, quæ naturæ dicuntur, sicut naturalia nominantur ea, quæ originem ducunt à natura, vt sunt omnia accidentia, & passiones naturales, à subiecto manantes. Secundum naturam autem appellantur proprietates, & inclinationes naturales, vt ferri sursum in igne, & deorsum in terra.

Ridiculum est velle probare naturã esse

In textu vero sexto tradit quosdam se ridiculose habuisse, volentes probare naturam esse, hoc enim manifestissimũ est. Arguit ergo sic. Ridiculum est velle probare manifestum, per immanifestum. Sed velle probare naturam esse, est probare manifestum per immanifestum, cum sensu constet multa moueri ab intrinseco. Dicit tandem, quod cæcus potest syllogizare de coloribus, non tamen habere scientiam colorum.

Naturalia, et artificialia differũt, et cõueniunt multipliciter.

Circa supradicta autem primo venit notandum, quod naturalia multipliciter differunt ab artificialibus. Primo enim differunt, quod naturalia possunt sciri scientia speculatiua, & practica secundũ rem, at artificialia sciuntur tantum scientia practica secundum rem, & speculatiua secundum modum. Secundo, quod forma artificiatorum accidentalis est, & tantum accidentaliter perficit naturam, sed forma rerum naturalium essentialis est, & eis dat esse verum, reale, & perfectiuum simpliciter. Hinc oritur quinta differentia, quod naturalia habent in se ipsis principium intrinsecum sui motus, & possunt producere aliam naturam, idest formam, sed artificialia non possunt producere aliud artificiatum, verbi gratia, vna domus, aliam domũ, & habent principium sui motus extrinsecum. Quarto differunt, quod naturalia producuntur à natura, & artificialia ab artifice, à volontate, & ab arte. Vltimo differunt, quod natura, idest res omnes naturales habent in se causam intrinsecam, quę est natura; quæ vero sunt ab alijs causis, in se non habent principium intrinsecum, quod sit natura, sed extrinsecum, quod est ars.

Conueniunt tamen ars, & natura multipliciter. Primo, quia sicut ars quibusdã regulis, & legibus procedit, ita & natura, vnde Antiqui vocauerunt naturã, Dei artẽ. Secundo: Quia ars sibi simile producit, iuxta exemplar existens in mente Artificis, & ita natura generat sibi simile in specie. Tertio, quia sicut ars compositum supponit, in quo formam accidentalem imprimit; ita forma supponit materiam, in quam formam substantialem introducit. Quarto, quia sicut ars de imperfecto ad perfectum procedit, ita & natura: in quo sensu intelligitur Arist. in problemate 44. sect. 10. dum dixit. Naturam primo facere praue, idest imperfecte omnia, & plura praua quam recta, idest imperfecta, quam perfecta, cum magis abundent secundũ indiuidua ignobiliora entia, quam nobiliora, vnde plura sunt animalia quam homines, & lapides quam animalia. Quinto, quia sicut natura immitatur Deum, ita & ars naturam, quantum potest. Sexto, quia in arte, & natura cadit casus. Septimo, quia sicut natura, vt natura est, non deliberat, ita nec ars per Aristot. tex. 86. non consultat de regulis artis, sed eas vt notissimas supponit, verbi gratia, quod fundamentum debet esse primum in domo ædificanda.

Natura recte dicitur prĩcipium.

Secundo notandum venit, recte Arist. diffinisse naturam per relatiuum, & non per absolutum, quia cum natura sit principium motus, & principium relatiue dicatur, sic diffinienda erat. Est tamen relatiuum secundum dici, cum natura principaliter absolutum importet, & secundario relationem dicat. Hinc deridendi sunt illi, qui volentes diffinitionem naturæ emendare dixerunt, naturam esse vim insitam rebus, nam vis idem significat quod principium.

Tertio notandum est ad maiorem explicationem supradictorum, quid sit natura, à natura, naturale, & secundum naturam. Natura igitur id significat, quod est principium motus, & quietis, si passiuum, erit materia, & si actiuum, forma. A natura compositum dicitur, ex naturis, scilicet ex materia, & forma constitutum, qua propter Philosophus docet compositum non dici naturam, sed à natura. Secundum naturam dicuntur proprietates, & inclinationes naturales, vt tendere sursum in re leui, & deorsum in re graui. Ex ijs autem dimanant ea, quę vocantur secundum naturam.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Vtrum Natura habeat in se principium intrinsecum sui motus.

Videtur enim quod non, quia dum corpora simplicia, vt ignis, aer, & aqua, generantur, vel alterantur, hoc fit ab extrinseco principio, vt patet dum ex aere fit aqua, & de lignis aer.

Incohatio formarum negatur

Pro solutione huius dubij. Primo notandum est aliquos dixisse duplex esse principium intrinsecum, scilicet perfectum, quod perfecte est principium intrinsecum motus, & imperfectum, quod coadiuuat actionem exterioris agentis, quod principium vocauerũt incohationem formarum. Sed hanc incohationem formarum reiecimus in Metaph. Primo, quia nihil agit nisi in quantũ est in actu. At incohatio formarum non est actus, sed aptitudo ad actum, vt aduersarij ipsi testantur. Secundo, quia nihil alterat se ipsum, nisi in se habeat plures partes, quarum vna alteram alteret. At in composito non sunt istæ partes. Ergo &c.

Natura no ẽ quomodolibet principium motus. Sed actiuum, vel passiuũ.

Secundo ergo notandum est, Phylos. non intellexisse omnia naturalia habere in se principium quodlibet, nec quomodolibet motus, sed accomode, scilicet vel actiue, vel passiue, idest vel efficiendo motum, vel recipiendo aliquo modo.

Tertio ergo notandum, quod mobiliũ motu Physico, quædam sunt entia incorruptibilia, vt corpora cælestia, & hæc possunt bifariam considerari. Primo seclusa intelligentia mouente, & sic solum habet in se principium passiuum sui motus, cum effectiue ab intelligentia moueantur. Secundo inclusa intelligentia mouente, & sic dicuntur habere in se principium actiuum sui motus. Alia vero sunt corpora simplicia, idest quatuor elementa. Cum autem simplex vt simplex non moueat se ipsum, ideo dicuntur moueri à generante effectiue, & vt quod, formaliter vero à propria forma, vt quo, & à se materialiter passiue. Sed alia sunt mixta inanimata, & ista mouentur à generante vt supra, vnde mixta animata effectiue, & formaliter mouentur à principio intrinseco, scilicet ab anima dante esse, & motum.

Ad argumentum igitur dicitur sufficere quod corpora simplicia habeant in se principium passiuum sui motus.

QVAESTIO II.

Vtrum ridiculum sit demonstrare naturam esse.

Videtur quod non. Nam quod est difficile scitu, recte est demonstrabile. At cognoscere motorem rei motæ, idest naturam, difficile est scire. Ergo non erit ridiculum demonstrare eam esse.

Naturã esse quõ possit demõstrari

Pro enucleatione huius dubij sciendum est aliquos dicere, quod demonstrare naturam esse, stat dupliciter. Primo quoad an est, seu quoad existentiã, quærendo an natura existat, & hoc velle probare ridiculum est, quia sensu constat naturam esse, sicut constat niuem esse albam, & ignem calidum. Secundo quoad quid est, idest quo ad conueniẽt iam partium diffinitionis naturæ, & hoc facere non est ridiculum, sed conuenientissimũ. Secundo aliqui dicunt, aliud esse dicere, quod naturam esse, sit indemonstrabile, & aliud quod tentare demonstrare naturam esse, sit ridiculum. Nam affirmare primum, est inconueniens, at secundum tentare non est ridiculnm, cum tantum dicat possibilitatem, & si dicat superfluitatem. Vel tertio dicere possumus, esse quidem ridiculum velle demonstrare naturam esse in communi, non vero in particulari, cum maxime sit difficile cognoscere naturam vnius cuiusque rei, & per hæc patet ad argumentum.

LECTIO II. & III.

QVÆSTIO III.

Vtrum natura sit recte diffinita per esse principium, & causam, motus, & quietis, in eo, in quo est, & non secundum accidens.

Videtur quod non, & primo arguitur, quod natura non sit principiũ. Nam nullum absolutum debet diffiniri per respectiuum. Sed Natura est quoddam absolutum. Ergo non debet diffiniri per principium, quod est respectiuum.

Minor

Minor nota. Maior probatur. Quia respectiuum est posterius absoluto. Diffinitio autem datur per priora.

Secundo arguitur, quod non sit causa motus. Nam causa motus distinguitur à re mota, sicut distinguuntur causa, & effectus. Sed eadem est res mota, & principium motus, vt patet in viuente. Ergo &c.

Tertio. Idem non est causa oppositorum. Sed motus, & quies sunt opposita. Ergo natura non potest esse principium motus, & quietis.

Quarto. Idem videtur esse principiũ, quod causa. Ergo superflue dicitur, naturam esse principium, & causam.

Quinto. Cælum est quædam natura simplex, & tamen non habet in se principium quietis, sed tantum motus. Ergo natura, non est principium motus, & quietis.

Sexto. Graue habet naturam, & tamen non habet in se principium motus, cum non moueatur à seipso per Aristotilem octauo huius. Ergo &c.

Septimo. Natura, aut dicitur principium motus, vt est materia, aut vt est forma. Sed nullum horum potest esse, quia hæc non mouentur nisi per accidẽs, scilicet ad motum totius compositi.

Octauo. Nullum reale est causa priuationis. At natura est quid reale, & quies est quædam priuatio motus. Ergo natura non erit principium, & causa motus, & quietis.

Nono. Arguitur contra differentiam assignatam inter naturam, & artem, scilicet. Quod natura sit principium intrinsecum motus, & ars non. Nam ex diuersitate figuræ, motus diuersificatur, quare ea quæ sunt figuræ circularis, & quadratæ, tardius descendunt, & quæ Pyramidalis citius. Sed figuræ sunt formæ accidentales. Ergo &c.

Decimo. Habitus acquisiti ex frequentatis actibus, sunt principia eorũ in quibus sunt motus, vt cantus, & saltus. Et insuper quædam sunt artificiata, quæ ex se ipsis mouentur nullo extrinseco mouente, vt patet in horologio. Ergo &c.

Vndecimo. Aurum Alchimicum arte conflatur, & per veram mutationem substantialem facientem, ærem, aurum, & argentum viuum solidum, &c.

Duodecimo. Arist. 1. Politicorum c. 3. & Plato in Menone referunt statuas Dedali sponte huc, illucque discurrisse. Et apud Phylostratum in Appolonij Thianei vita, in Conuiuio Iarcle Gimnosophystæ habemus, quosdam tripodes aureos se ipsos mutasse, & pro pincernis inseruisse. Et Saturninus apud Gellium lib. 10. noctium Atticarum cap. 12. narrat. Architam columbam ligneam confecisse volitantem. Et de Archimede legimus ipsum confecisse spheram vitream, in qua omnes motus astrorum apparebant.

Decimotertio. Quia Annuli, & Imagines Astronomicæ, idest, quæ fiunt obseruato situ, & hora astrorum, multa supra naturæ cursum faciunt vt refert. D. August. 10 de ciuitate Dei, cap. 11. Plato in secundo Dialogo de furto, & Plotinus cap. 40. lib. quarto Ennead. quarto. Et de quoddam capite à D. Alberto Magno conflato multa dicuntur.

Decimoquarto. Quia Dæmones multa efficiunt quibusdam signis, & circulis à negromanticis inducti.

Pro ressolutione huius quæstionis, primo sciendum est, aliter esse opinatos antiquos, & aliter, Arist. Nam Plato dixit naturam esse quandam formam absolutam, & vim per corpora diffusam. Cui diffinitioni Hermes Trismegistus addidit esse formam quidem absolutam, sed à prima causa emanantem, & per vniuersas mundi partes discurrentem. Imaginabantur enim naturam esse quandam substantiam, diuinitatem præseferentem, per corpora diffusam, omnibus esse, & viuere tribuentem, rectricem, & gubernatricem omnium. Sed Aristoteles non cognoscens, aliam naturam, quæ formaliter, & intrinsece sit principium motus, & quietis, præter materiam, & formam, his tantum rationem principij, & causæ mouendi, & quiescendi attribuit, nam Deus quæ mouet per materiam, & formam, vt per principia immediata mouet, & quiescere facit. Sed sciendum est duplicem esse naturam Prima enim dicitur natura naturans, & hæc Deus est, qui omnibus dat esse, & moueri, & si de hac natura locuti sunt antiqui, non errauerunt. Secunda dicitur natura naturata, idest immediatum principium, & causa motus, & quietis, & de hac locutus est Arist.

Aristot. Naturam autem naturantem Seneca quarto de officijs Deum vocauit, & D. August. 15. de Trin. c. 1. naturam creatricem appellauit, & hæc à Phylosophis sæpe nominatur natura vniuersalis.

Natura multipliciter sumitur. Secundo notandum venit, quod natura (teste Boetio in libro de duabus naturis, & vna persona Christi) quatuor modis sumitur. Primo enim modo sumitur pro natura reali cuiuslibet rei, ad differentiam entium Chimericorum, & sic solemus dicere talem esse naturam substantiæ, & talem accidentis. Secundo modo capitur præssius, pro natura quæ est substantia tantum corporea, vel incorporea, & hoc modo accidens natura dici nõ potest. Tertio accipitur pro substantia tantum corporea, & sensibili, vt Deum, & intelligentias excludamus, quæ sunt entia separata à materia, & in hoc sensu hic eam diffiniuit Arist. Quarto sumitur pro vltima differentia specifica, rem in tali esse constituentem, prout consueuimus dicere, naturam hominis esse naturam rationalem. Alij vero dicunt, quod naturã primo sumitur pro vniuscuiusq. rei quidditate, & essentia, per diffinitionem explicata, prout dicimus in diuinis vnam esse naturã, & vnum esse, & vnionem verbi non esse factam in natura, sed in persona, quia natura humana non fuit mutata in diuinam, sed bene humana natura fuit assumpta ad personalitatem verbi. Secundo capitur pro vniuersitate rerum, prout de ea locutus est Aristot. 12. Metaph. tex. 38. dum dixit, totam naturã à primo principio pendere, & nos dicimus miracula supra naturam fieri, cum natura non possit illa efficere. Tertio accipitur pro naturali inclinatione rei, & sic dicunt Phylosophi naturam nihil frustra facere, quia omnia agit propter finem, & in hoc sensu dicunt illam optimum facere, superflua abhorrere, necessaria non denegare, in otio non stare, & vnicuiq. quod suum est tribuere. Quarto sumitur pro natiuo calore, ac vniuscuiusque animati temperamento, ex quatuor primis qualitatibus cõcreto, quo sensu Galenus libro artis Medicę, cap. 77. dixit, naturam esse opificem, & Medicum, ministrum. Quinto sumitur per generatione viuentium, vnde natura dicitur quasi nascitura, & sic stat per internis rei principijs, scilicet pro materia, & forma. Sed tu dic, quod si natura sumatur secundũ id à quo nomen imponitur, à generatione venit, & dicitur quasi nascitura, sed secundum id ad quod significandum nomen imponitur, multas acceptiones suprapositas recepit, inter quas est ista, quod significet principium intrinsecum motus, & quietis, & sic sumitur hic.

Tertio notandum venit. Phylos. recte in textu dixisse naturam esse principiũ, & causam motus, sed in assignanda ratione Doctores varie loquuntur. Albertus igitur Magnus ait nomen principij communius esse quam causæ, vnde dicitur de materia, forma, & priuatione, & nomen causæ, tantum dicitur de materia, & forma. Sed contra Albertum instat Benedictus Pererius. Primo, quia natura dicitur principium motus per se, & non secundum accidens, priuatio autem nõ potest esse principium nisi per accidens. Secundo, quia Aristot. solum materiam, & formã vocauit naturas. Sed ijs possumus dicere ad primum, quod in moueri priuatio est principium per se, & in motu esse per accidens, sicut etiam dicitur esse principium rerum naturalium per se in fieri, & per accidens in facto esse, & per hoc patet ad secundum, quia Arist. locutus est de natura, vt est principiũ motus per se, & in fieri, & in facto esse. Tenet autem Pererius Aristot. per eodem sumpsisse nomen principij, & causæ, prout etiam in primo dixit, exordiendum esse à cognitione principiorum, causarum, & elemẽtorum, pro eodem hæc sumendo. Sed hęc sententia multa habet peccata. Primo enim peccat in fundamento, quia nomina causæ, & principij distinguuntur, prout ostendimus in primo Phys. tex. primo. Secundo peccat notando Arist. superfluitate, & præcipue in diffinitione, quæ nihil superflui, vel diminuti cõtinere debet (teste Porphyrio cap. de genere.) Tertio peccat expresse contra Arist. quinto Diuinorum ibi expresse diuidentem principium à causa. *Natura est principium, & causa*

Sententia ergo S. D. est, quod natura dicitur principium ratione materiæ, & causa ratione formæ, quia natura non eodem modo est principium, & causa motus, & quietis, sed iuxta naturam rei mobilis actiue, vel passiue. Ferrariensis autẽ hic

hic sustinet, quod ly principium non refertur ad motum, & quietem, sed ad compositum, ex natura constitutum, & causa refertur ad motum, & quietem, vt sit sensus. Natura, vt dicitur de materia, & forma est principium rerum naturalium, & insuper est causa motus, & quietis eius in quo est, scilicet in composito, quia materia facit quod compositum sit aptum moueri, & forma ipsum mouere. Sed scito toti non conuenire mouere, sed moueri, quia dicit ordinem ad formam, vt ad principium motus. Dicitur autem naturam esse principium mouēdi eius in quo est immediate, & per ipsum mediate, alia mouendi.

Mouēdi & quiescendi. Aduertendum quarto circa (ly mouendi, & quiescēdi) quod duplex est motus. Primus dicimus Metaphysicus, cum sit actus potentiæ, à materia separatæ, verbi gratia, vel intellectus, vel voluntatis. Alium dicemus Phys. & hic in tres species diuiditur, idest in motum, augmēti, & decrementi secundum quantitatem, alterationis secundum qualitatem, & localis secundum diuersa vbi, & de hoc locutus est Phylosophus. Item quies dupliciter sumi potest. Primo vt est negatio motus. Secundo vt dicit quietem cuiuslibet rei in loco suo naturali, prout dicimus terram deorsum quiescere, & ignē sursum, & sic sumitur in diffinitione, nā primo modo natura poneretur principiū entis priuatiui. Vel dicamus cum Commentatis, quod quies bifariam sumi potest. Primo vt dicit terminum à quo, & hæc motui contrariatur. Secundo vt dicit terminum ad quem, & hæc est perfectio motus, quia omne quod mouetur ad hoc mouetur, vt quiescat in suo termino, sui perfectiuo, & hæc nō est negatio motus, sed eius pfectio, & sic sumpta est a Phylosopho in præsenti.

Explicatur. Aduertendum est autem circa easdem particulas mouendi, & quiescendi, quod natura in omnibus non est causa motus, & quietis, sed vnius, vel alterius, iuxta naturam rei naturalis; nam cœlum semper mouetur, & nūquam quiescit, & terra semper immobilis stat, vnde textus legendus est coniunctim, in ijs quæ vtrūq. suscipiunt, scilicet motum, & quietem, & disiunctim, in ijs quæ vnum tantum horum suscipiunt, scilicet motum, vel quietem.

Primo. Notandum est sexto circa (ly primo) aliquos dicere, quod ly primo idem significat quod secundum quod ipsum, vt sit sensus. Natura est principium, & causa motus, & quietis, primo, idest, vt natura est, & non per aliud, idest, non per principium extrinsecum, vt contingit in artificialibus. Sed alij interpretantur ly primo, vt idem sonet quod non instrumentaliter, nam esse principium motus stat dupliciter. Primo principaliter, & sic forma dicitur principium motus, & quietis. Secundo instrumentaliter, & sic aliqua qualitas, verbi gratia, grauitas in graui, & leuitas in leui possunt dici principia motus. Sed melius dicendum est, quod ly primo idem significat quod principium primum, & remotum, & non proximum. Et ideo sciendum, quod duplex est principium motus. Primum dicitur remotū, & primum, scilicet forma, vel anima. Secundum dicitur proximum, & immediatum, scilicet potētia naturalis rei, qua mediante anima, vel forma rem mouet ad proprium terminum, nam substantia non agit nisi mediante potentia, verbi gratia, anima non intelligit nisi per intellectum, & ita natura dicitur esse principium primum motus, & potentia proximum.

Eius in quo est. Aduertendum est septimo circa (ly in quo est) quod hæc particula ponitur ad differentiam artis, quæ non est principiū motus, eius in quo est, idest, non est principium intrinsecum, sed tantum est principium motus extrinsecum, & ideo sciendum tripliciter differre formam artificialem à forma naturali. Primo enim differunt, quia forma naturalis immediate vnitur materiæ, aliter si vniretur materiæ iam aliqua forma informatæ, esset accidens, cū omnis forma adueniens enti in actu accidentalis sit, & ideo cum forma artificiatorum accidentalis sit, aduenit enti in actu, vt figura Cæsaris, æri existenti. Secundo differunt, quia forma naturalis intrinsece recipitur in materia, & est quoddam intrinsecum composito, forma autem accidentalis solum recipitur in exteriori superficie, vt figura Cæsaris in exteriori superficie æris. Tertio differūt, quia forma naturalis recipitur in materia per qualitates actiuas, & passiuas, quibus disponitur materia ad eius rece-

ptionem, forma vero artificialis sine ijs recipitur.

Per se, & non secundum accidēs. Aduertendum est octauo circa (ly per se, & non secundum accidens) quod ly per se, ponitur ad differentiam ly per accidens. nam verbi gratia, Medicus infirmus, si mouetur ad sanitatem, per se ad eam mouetur, non vt Medicus, sed vt infirmus; vnde censeo diffinitionem naturæ sic esse interpretandā. Natura est principium, & causa, eius in quo est, motus, & quietis, primo, & per se. Ergo non secundum accidens, vnde ly, & non secundum accidens, explicat ly per se.

Analoga. Aduertendum est nono, quòd hęc non est quidditatiua diffinitio naturæ, sed potius descriptiua, nam diffinitio quidditatiua vniuoca est, & non analoga; forma enim est magis natura, quam materia cū sit actus, & materia potentia. Saluatur etiam inter naturas analogia proportionalitatis, quia quælibet harum suo modo est principium motus.

Quoad secundum conclusio est. Natura recte fuit diffinita sic. Natura est principium, & causa, &c. Probatur ex supradictis.

Ad primum respondetur ad maiorem, quod duplex est absolutum. Primum dicitur absolutum simpliciter, quia nullam dicit relationem, & tale nullo modo diffinitur per respectiuum. Secundum dicitur absolutum primario, & secundario relatiuum, quod quidem dicit relationē secundum dici, & tale potest diffiniri per relatiuum, sicut est natura, vnde materia, & forma vt substantiæ sunt absoluta, & vt principia motus sunt relatiua.

Ad secundum dicitur, quod natura distinguitur à se ipsa prout diuiditur in partem mouentem, & motam. Vel secundo dicendum, quod natura, vt principiū dicitur solum de materia, vel forma, & vt id quod mouetur de toto composito, quod potius vocatur à natura, vel constans ex naturis.

Ad tertium dicendum ad maiorem, quod idem non est causa oppositorum secundum idem, sed secundum diuersa vtiq. vt supra explicatum est. Vel secundo dicendum, quod contraria sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt perfecta, quorum vnum non ordinatur ad aliud. Alia vero dicuntur imperfecta, quorum vnum ad aliud ordinatur, & sic motus ordinatur ad quietem, tāquam ad terminum. Vel dicendum vt supra, quod quies vt dicit terminum motus, non ei opponitur, sed potius est eius perfectio.

Ad quartum satis dictum est in corpore.

Ad quintum similiter dictū fuit, quod diffinitio naturæ, vel intelligitur disiunctim, scilicet, quod sit principium, vel motus, vel quietis, vel accōmode, idest, pro natura mobilis, vel quiescibilis. Ad maiorem tamen notitiam difficultatis, sciendum est, cælos esse in duplici differentia. Nam quoddam vocatur empireum, quod ponitur sedes beatorum, & hoc secundū, S. D. p.p. q.66. art.3. & q.102. art.2. est immobile, motu quidem circulari, quia motus celorum circularis, & si non ordinetur ad consecutionem propriæ perfectionis, cum sic sua natura sint perfectissima, ordinatur tamen ad perpetuitatem generationis, vt tradit S. D. in 4. dist. 48. quæst. 2. art. 2. & ideo ad hunc finem generabilibus, & corruptibilibus tribuendum, necessarius est in eis motus, & non quies. Cum ergo cælum empireum non ordinetur ad generationem rerum, sed ad hoc, vt sit sedes Beatorum, ideo immobilis stat, quo ad motum circularem. Alij igitur erunt cæli empireo inferiores, ordinati ad motum, vt figura eorum circularis ad motum aptissima indicat, & perpetua eorum conformitas, & indeficientia in motu ostendit, & docuit Arist. primo de cælo, & mundo, cap. 3. & in secundo, tex. 2. & in 9. Metaph. tex. 17. In istis igitur natura est principium tantum motus ab intrinseco, non solum ratione materiæ, verum etiam ratione formæ propriæ, dantis cælo maximam inclinationē adhoc, vt ab intelligentia moueatur, & sic in ordine ad eam, dicamus totum cōpositum cæli moueri motu passiuo, quia intelligentia ipsum mouet effectiue. Vel tertio est dicendum, quod cælum mouetur, & non quiescit quo ad orbem, sed quiescit, & non mouetur quo ad polos, & ita terra, & si secundum totum videatur immobilis, tamen secundum partes diuersis motibus alteratur, & quatitur.

Ad sextum similiter dictum est, quod in graui respectu generantis reperitur principium passiuum motus, & respectu

pro-

propriæ formæ actiuum, vnde mouetur vt quod, & se mouet vt quo.

Ad septimum dicendum, quod materia, & forma non dicuntur mota sed principia motus, & ideo mouentur solum per accidens, idest vt sunt in re mota.

Ad octauum dictum est in quarto notabili.

Ad nonum, & decimum dictum est, artem quandoque imitari naturam, vnde quandoque induit modum naturæ, & si non sit natura, quæ est primum principium motus, vnde dicetur natura modaliter, & non realiter.

Ad vndecimum respondendo primo supponimus dupliciter posse intelligi artem alchimicam efficere verum argentum, vel aurum. Primo vt est ars, & regula extrinseca à rebus. Secundo vt applicat actiua passiuis, temperando sulphurem, & argentum viuum, quæ sunt materia auri, & argenti, & sic transmutando, hoc non facit vi artis intrinsece sed vi artificiosæ applicationis, vnde ars nō concurrit nisi vt conditio sine qua non. De primo igitur non est difficultas, in secundo autem stat cōtrouersia. Nam Alb Magnus lib. tertio de mineralibus, c. 9. Mirādulanus de euersione singularis certaminis lib. 9. sec. 7. & S. D. 2. 2. q. 77. ar. 2. quamuis hanc artem iudicent difficilem, non tamen eam faciunt impossibilem. Primo quia artis industria applicando actiua passiuis, generantur animalia, vi apes ex ventribus boum, & scorpiones ex herbis. Secundo, quia Angeli hoc efficere possunt, applicando actiua passiuis. In contrarium tamen stat S. D. secundo sent. d. 7. q. 3. a. p. & de potentia q. 6. a. p. Auerroes in parafrasi ad primum librum de generatione animalium, & alij multi, qui hanc artem prędicant vanam. Primo, quia aurum à calore solis efficitur, & nō ab igne, cum ignis non possit agere nisi vt instrumentum caloris æterei. Secundo, quia natura mineralibus locum assignauit in sinu terræ. Tertio, quia (vt ait Aegidius) ea quæ sunt perfecta in suo genere habent determinatum modum oriendi, & sic si natura ex minera deducit aurum, non ergo per artem chimicā, cum aurum inter mineralia sit perfectissimum. Et si ignis ex coitu radiorum, & actione alterius ignis generatur, hoc prouenit, quia in ijs latet eius qualitas ordinaria, quod vsque modo, in sulphure, & argento viuo visum non est. Hinc Ioannes 22. in extrauagant. Spondet, decernit, vt venditio talis auri sit prohibita, & quod illud vendens teneatur ad restitutionem in integrum. Romani etiam huius artis libros flammis dederunt, apud Cælium q. 7. lec antiq. Patet etiam eam esse reijciendam, quia nullus est vsque modo Alchimista, qui ostendere potuerit aurum alchimicum ita esse perfectum sicut est naturale, nam ignem non sustinet, colorem non seruat, in subtilissimas laminas deduci non potest, & medicinis non seruit. Concludendum est igitur, quod omnino est reijcienda, tum propter difficultatem eam inueniendi, tum propter vanas expensas, quę inutiliter in ea inuenienda fiunt, tum etiam quia esset de raro contingentibus, quod non accidit in generatione animalium ex herbis, &c. nec nos Angelis possumus fieri æquales, nec cum Dæmonijs participare licet.

Ad duodecimum dicitur, quod ars nō potest ab intrinseco moueri, & si id facere videtur prouenit, primo ex vi rei naturalis cum alio coniunctæ, vt facit Magia, de qua mirabilia leguntur apud Gullielmum Parisiēsem, in suo opere. Vel secundo id fiet arte Dæmonis. Vel tertio opera naturæ nos latente. Nō tamen cōflare poterit ars caput recte ad interrogata respondens, sicut quidam fabulantur de capite ab Alberto composito, nam sic ars posset dare intellectum, sine intellectiua anima, vel materiam animare, sine suo principio determinato, scilicet sine generante. Potest tamen esse, quod Dæmon includatur in aliquo quanto, & ex eo respondeat, sicut patet de Idolis Gentium. Ad argumentum igitur dicitur, quod illa, vel fuerunt arte Dæmonis, vel fuerunt aliqua arte sic aptata, vel Dæmonis subtilitate effecta, vel præstigio, & allucinatione sic apparentia.

Ad tertiumdecimum dicendum, quod annuli, & aliæ figuræ sub determinata constellatione fabricatæ, habeant effectū stat dupliciter. Primo ex arte, & figura, & hoc falsum est, vt docet S. D. 2. 2. q. 96. art. 2. Secundo ex materia, quæ arte magi redditur apta ad aliquam actionem in

vno tempore, quam in alio, & hoc non inconuenit, cum cæli agant in materiam prout eam inueniunt dispositam.

Ad decimumquartum dicimus, id totum esse Dæmonis arte effectum, vt homines à Dei cultu auertant, & ad vana, & superstitiosa conuertant, & ideo illi circuli, & similia bifariã considerari possunt. Primo vt figuræ sunt, & ita nihil habent cum Dæmone. Secundo, vt sunt signa pacti, & fœderis initi, inter Dæmonem, & maleficum, & ita per illa signa mouentur, voluntate inordinata, vt animam lucrifaciant.

LECTIO IV. & V.

S. D. II.

Videtur autem natura, & substantia. Tex. 7.

IN præsenti lectione reducemus ea, quæ dicuntur ab Arist. à textu septimo vsq; ad textum 17. exclusiue ad tres conclusiones. Secundo quædam explicabimus quibusdam annotationibus. Tertio circa dicta mouebimus quasdam quæstiones, & soluemus.

Materia est natura. Quoad primum ergo prima conclusio est. Materia est natura. Probatur primo hoc suppositio facto, scilicet, quòd natura idem significet, quod substantia semper manens. Illud quod semper in vnaquaque generatione manet, illud natura vocatur. Sed materia in quacunq. generatione semper manet. Ergo. Probat minorem exemplo Antiphontis de lectulo in terra proiecto germinante. Nam & si per germinationem mutet figuram, non tamen mutat materiam, cum semper lignum remaneat. Vnde factum est ait Phylosо. quod aliqui posuerunt terram, alij ignem, alij aerem, alij aquam principia rerum naturalium, affirmãtes omnia esse ignea, vel terrea, vel aquea, & mutari solum accidentalibus formis, & sic infinities generari, & corrumpi.

Forma est natura. Secunda conclusio est. Forma est natura. Probatur tripliciter. Primo. Sicut se habet forma artificialis ad rem artificiatam, ita se habet forma naturalis ad materiam. Sed à forma artificiali res dicitur artificiatæ, vt lectum dicitur à forma lecti. Igitur, & res naturales dicentur naturales à forma naturali, dante rationem, & nomen. Secundo. Illa est natura cuius virtute generans generat sibi simile. Sed agens naturale non generat sibi simile, nisi virtute formæ, qua mediante generat. Ergo &c. Minor supponitur vt nota, maior probatur communi, sententia antiquorum, ad hoc propositũ dicentium, substantiam nõ generare nisi substantiam. Tertio. Generatio dicitur natura respectu termini. Sed terminus generationis est forma, idest vnio cum materia. Ergo forma est natura.

Tertia conclusio est. Forma est magis natura, quam materia. Probatur. Illud magis est natura, quod facit rem esse in actu, quam illud quod constituit eam in potentia. At forma, cum sit actus, illa est quæ materiam, quæ in potentia est facit existere in actu. Ergo magis dicitur natura.

Intentio antiquorum. Quoad secundum primo notandum venit, circa dicta antiquorum, quod non valuerunt peruenire ad cognitionem materiæ primæ, & ideo quidam aerem, & alij aliud elementum fecerunt principiũ rerum naturalium, & ideo sequebatur, quod forma his existentibus adueniens, esset accidentalis.

Duo dixerunt. Secundo notandum est, antiquos duo dixisse. Primum est, quod materia est natura, tanquam primum subiectum vniuscuiusque generationis. Secundum est, quod omne materiæ adueniens est forma accidentalis, non ponentes discrimen inter formam substantialem, & accidentalem, quare dicebant formam substantialem aduenire enti in actu, quod idem affirmabant de forma accidentali. Primũ quidem Aristoteles concedit, vt communem animi conceptionem, secundum autem negat, affirmando formam esse magis naturam quam sit materia, quia ipsa est actus seu endelechia, & materia est potentia.

Duplex est natura. Tertio animaduertendum venit, quod cum natura sit principium motus, ideo duplex erit natura; cum duplex sit principium motus, nam principium passiuũ, cui subiectiue conuenit moueri erit materia, & principium actiuum motus, cui terminatiue conuenit moueri, erit forma.

D V-

DVBIA.

Vtrum terra sit principium rerum naturalium.

Contra supradicta vrgent aliqua dubia. Primum enim pugnat contra hoc dictum, quod aliqui posuerunt terram esse principium rerum naturalium. Nam in primo de Anima tex.32. Aristot. dixit, nullum antiquorum posuisse terrã principium rerum naturalium.

Terra secundum antiquos fuit principium rerum naturaliũ. Huic dubio bifariam occurrimus. Primo dicendo, cum S.D. primo Physicorum lect.2. quod nullus Antiquorum posuit terram solam esse principium rerũ naturalium, sed cum alio elemento vtiquè, vt patet de Parmenide ponente terram cum igne esse principium rerum naturalium. Secundo respondetur, nullum Philosophorum fecisse terram principiũ rerum naturalium, sed bene aliquos ex Poetis, vt Hesiodus, & sequaces.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum materia sit natura.

Videtur quod non. Nam naturam esse indemonstrabile est, per Aristotilem hic in tex.6. Sed materiam esse pluribus rationib. probauit Aristoteles primo Physicorum. Ergo.

Secundo. Quod est in potentia ad naturam non est natura. Sed materia est in potentia ad naturam, idest, ad esse principium motus, quia illum non principiat, nisi sit in actu. Ergo.

Sed ad primum patet per ea quæ supradicta sunt, scilicet naturam esse in vniuersali, & quoad an est indemonstrabile esse, non vero considerando naturã in particulari, & quoad quid est, sicut fecit Arist. in primo Physic.

Ad secundum similiter patet, quod materia ponitur principium passiuũ motus, & non actiuum, vnde non est necesse quod sit ens in actu, sed sub actu.

QVÆSTIO V.

Vtrum forma sit natura.

Videtur quod non. Illud quod accidit alicui non est natura. Sed forma accidit materiæ cum sit extra eius rationem. Ergo.

Secundo. Natura est quoddam respectiuum. At forma est quoddam absolutum.

Igitur non erit natura.

Circa hanc difficultatem arbitratur Scotus in 2.dist.19. quæst. vnica formam non esse naturam, nisi vt induit rationem principij passiui; nam tenet, quod esse principium, & causa motus hoc tantum conueniat principio passiuo. Hoc probat, primo. Quia natura dicitur principium mutationis, & motus, prout ei conuenit transmutari, & moueri. At tantum moueri, & transmutari conuenit materiæ, & mouere, & transmutare agenti. Ergo non conuenit formæ.

Secundo. Natura est principium intrinsecum motus. Sed principium actiuum, vt est actiuum, non est intrinsecum, potest enim esse quod agens, verbi gratia, Medicus in se habeat artem medicatiuã, idest, in mente, & per hanc sanetur, & tamen patet hanc non esse principium actiuum intrinsecum.

In contrariam stat communis sententia Doctorum expressa ab Arist. hic tex. 2.13.21. & 81. in quibus disertis verbis vocat materiam, & formam naturas.

Argumenta soluuntur. Ad primum ergo dicitur, quod minor est falsa. Nam & si in via Commentistarum tenentium formã non aduenire materiæ nudæ, sed sub aliquo actu habeat aliquam apparentiam, quia sic videtur accidens adueniens subiecto iam existenti, in via tamen Thomistarum argumentum nullum est, quia forma aduenit materiæ nudæ, vt est in potentia ad ipsam, vnde per eam, & cognoscitur, & diffinitur, non vt aliquid eiusdem naturæ cum ea, sed vt per eam est perfectibilis.

Ad secundum dicitur, quod duplex est absolutum, scilicet, secundum esse, & secundũ dici, & esse; modo forma est quoddam absolutum secundũ esse, & est quoddam respectiuum secundum dici, & sic dicitur principium, & causa motus.

Ad primum Scoti dicitur, quod transmutari, & moueri ab intrinseco conuenit naturæ ratione materiæ, sicut mouere, & transmutare ab intrinseco ei conuenit ratione formæ, agenti vero conuenit ab extrinseco.

Ad

Ad secundum negatur, quod principium actiuum motus non sit intrinsecū, idest naturale, nam & si ars Medica in Medico sit in intrinseco, idest in mente, non tamen est ei intrinseca, idest connaturalis, vnde non est natura, sed coadiuuat naturam ad sanitatem.

Colligamus ergo diffinitionem naturæ. Primo conuenire formæ, cum sit principium: actiuum generationis, & motus, tribuens esse, perfectionem, & speciem, vnde irrationabilis est opinio Scoti, quod formæ cōueniat diffinitio naturę, vt principio passiuo. Processit autem error Scoti, quia cum Simplicio tenuit, hic nō diffiniri naturam, viuentium, sed tātum inanimatorū contra id quod asseruit Arist. in initio huius libri dum dixit. (Natura sunt quidem animalia, & partes ipsorum.) Secundo conuenit diffinitio naturæ intrinsece, & proprie materiæ, & si non cum ea perfectione sicut conuenit formæ, vt expresse docet Aristo. tex. 4. & 5. Metaphy. cap. 4. & sic excluditur error Valesij contr. 11. ad Tirones, docentis materiam esse naturam tantum secundum quid. Tertio conuenit etiam priuationi secundum Alb. & Themistium, non simpliciter, sed secundum quid, quod docuit Aristot. ad finem primi cap. dum priuationem absolute non vocat naturam, sed quoddammodo, & ideo notanda est doctrina S. D. hic, scilicet, quod esse principium, & causam motus, non sumuntur in diffinitione naturæ vno modo, vel pro hoc, vel pro illo principio, vel causa; sed prout abstrahit à tali ratione, & suo modo conuenit vnicuique, quod est principium motus, & quietis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum forma sit magis natura, quam materia.

Videtur quod non. Nam cuius agens nobilius est, id etiam est nobilius. Sed agens materiæ Deus est, cum à Deo solo creata sit, agens vero formæ educens eam de potentia materiæ creatū est, & minus nobile agente increato. Ergo.

Secundo. Illud magis est natura, quod vniuersalius est, nam maior vniuersalitas est quid magis, minori vniuersalitate. Sed materia est vniuersalius principium motus forma, nam supradictum est multa habere in se principium passiuum motus, & non actiuum ergo.

In contrarium est Aristot. hic.

Ad primum ergo respondetur. Primo ad maiorem, quod est vera quādo agens illam rem producit propter se, & tanquā terminum productionis, materia autem non est, quod producitur, sed compositum, neque producitur propter se, sed propter formam. Secundo dicitur, quod valet quando agens intendit producere nobilissimum effectum secundum totum suum posse, vnde valet in agentibus naturalibus, & non in liberis, libere operantibus. *Argumenta soluuntur.*

Ad secundum dicimus, quod ly magis duo potest significare. Primum est hoc quod est vniuersalius, & sic materia poterit dici magis natura, vt sic absolute sumpta, nam vt est pars compositi eandem vniuersalitatem habet cum forma. Secundum est vt ly magis idem sonat, quod perfectius, & sic forma, est magis natura, idest perfectius, quam materia, sicut actus est quid perfectius potentia. Vel secundo dicēdum, quod materia sub ratione principij motus potest esse magis natura extensiue; sed forma erit magis natura intensiue, cum motus materiæ sit propter formam.

QVAESTIO VII.

Vtrum diffinitio naturæ conueniat Animæ.

Videtur enim quod non. Nam natura determinata est ad vnum, per Aristot. 9. diuinorum. At anima mouet ad multas partes, & ad omnes differentias loci. Igitur non erit natura.

Secundo. Anima est actus corporis organici. Ergo non erit natura. Probatur seq. quoniam secundum S. D. forma aduenit materiæ nudæ.

Tertio. Anima est actus corporis organici, sub augmento existentis. Sed multa sunt naturalia non organica, neć ab intrinseco augmentabilia. Ergo.

Quarto. Natura est actus corporis. Sed Anima intellectiua, vt est intellectiua separata est à corpore, & non est ei

Opiniones. affixa vt organo. Ergo.

Quoniam hanc quæstionem examinamus in primo de Anima, ideo nunc breuiter eam percurremus.

Primo ergo notandum est, Simpliciũ, & Alb. primo Physic. c.2. & lib. de origine Animæ, cap.4. tenuisse animæ non conuenire diffinitionem naturæ. Oppositum autem sentit hic S. D. cum communi fere.

Anima conuenit diffinitio natura inadæquate. Secundo ergo notandum, quod Anima dicatur natura stat dupliciter. Primo adæquate, adeo vt solum animata dicantur habere naturam. Secundo inadæquate, ita vt diffinitio naturæ conueniat animatis, & inanimatis suo modo, & hoc secundum affirmamus, sicut primum negamus.

Vt etiã est intellectiua. Tertio notandum est, quod maior difficultas versatur circa animam, intellectiuam an sit dicenda natura, de anima enim sensitiua, & vegetatiua non est tanta difficultas, cum hæ sint actus materiæ, & ei immersæ. Vt igitur rem ipsam penetremus considerandum venit, quod anima intellectiua non solum est natura, sed perfectissima natura, quoniam per talem animam homo habet esse specificum, & ab alijs animatis differt. Si igitur est vera forma corporis, vt est intellectiua, ergo erit vera natura, quia forma est natura, qua propter anima intellectiua est principium multorum motuũ in homine, vt actus ridendi, flendi, loquendi, & similium. Et quamuis secundum intellectum nõ sit terminus generationis, anima tamen quæ est intellectiua est terminus vnionis, & est corporea, si non vt quod, vt quo; Resolutio igitur est, quod anima intellectiua secũdum statum, quẽ habet in corpore est speculationis Phylosophi naturalis, sed secundum statum quem habet separatũ à corpore est contemplationis Metaph quia sic conuenit cum substantijs separatis.

Quoad secundum ergo conclusio est. Anima est natura, & ei conuenit diffinitio naturæ, etiam vt est intellectiua. Probatur. Anima intellectiua est quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo, per Aristot. secundo de Anima. Ergo est natura. Probatur sequela, quia & esse sentire, sunt quidam motus.

Confirmatur Auth. Aristot. primo de partibus animalium, cap. 1. & primo de Anima tex. 11. & in secundo in initio. Imo hoc etiam fuit diffinitum in Concilio Lateranẽsi, tertio sub Leone X. sess. 8.

Ad primum ergo dicimus ad maiorẽ, quod valet de natura inanimatorum.

Ad secundum dicitur, quod forma, seu anima aduenit materiæ nudæ, sed prius dispositæ, non per aliquod instans præcedens, sed pro eodem instanti, quia in mutationibus instantaneis, (vt est generatio) primum non esse præcedentium formarum, est primum esse subsequentis formæ, seu Animæ, vt in secundo de Anima docemus.

Ad tertium dicitur, quod probat diffinitionem naturæ non conuenire animæ adæquate.

Ad quartum dicimus, quod anima intellectiua bifariam sumi potest. Primo, vt pro hoc statu intelligit per conuersionem ad phantasmata materialia, & sic diximus eam posse esse speculationis naturalis. Secundo, vt extra corpus intelligit per species infusas, ad modum substantiarum separatarum, sine aliquo ordine ad materiam, & sic eam Metaphys. speculatur.

CAPVT II.

LECTIO VI.

S. D. III.

Cum vero diffinitum. Tex. 16.

POstquam Phylosop. ostendit quid sit natura, & quot modis dicatur, hic consequenter intẽdit probare quomodo Physica differat à Mathematica. Proponit ergo Aristot. dubium sic. Illæ scientiæ non differunt quę versantur circa eadem subiecta, seu vna est pars alterius. Sed sic se habeat Physica, & Mathematica, quia Mathematica est de lineis, longitudinibus, & superficiebus, & Physica pariter habet plana, idest superficies, & firma, idest soliditates, idest corpora, & longitudines, idest lineas, & etiam puncta. Confirmat dubium, quærendo vlterius, an Astrologia sit Physica, & argumentatur quod sic. Quia Physicus considerat quid sit Sol, quid Luna, quid terra,

ra, quæ etiam ab Astrologia, & Mathematica considerantur. His respōdet Aristot. à textu 18. vsque ad vigesimumprimum exclusiue, dicendo, quod Mathematica, & Physica diuersimode considerant idem obiectum, quia naturalis considerat solida, &c. vt sunt termini corporum naturaliū; & Mathematicus hæc considerat secundum se, vt sunt mensuræ. Item naturalis non abstrahit à motu, nec à materia naturali, & sensibili, at Mathematicus hæc considerat, vt sunt abstracta secundum Platonem, & abstrahentium non est mendacium. Hinc corrolarie reprehendit ratione ponentem Ideas separatas secundum rem, quasi esset necessarium, quod omne abstractum secundum intellectum, esset etiam abstractum secundum rem, hoc enim falsum est, quia intellectus aptus natus est adunata diuidere. Ex superiori autem differentia alterum deducit, videlicet Mathematicam, & Physicam habere diuersum modum diffiniendi, quoniam Mathematica diffinit sine materia, vnde se habet vt curuitas, & Physica vt simitas nasi, quæ non potest diffiniri sine materia, idest sine naso. Addit scientias medias magis esse naturales, quam Mathematicas, vnde per hoc intelligit solutum esse dubium de Astrologia, quæ est scientia media.

Ratio dubitationis. Circa supradicta autem, primo notandum venit circa ordinem, & textum, quod Aristot. dubitauit de Mathematica, & Physica, an essent vna scientia, quia habent vnum obiectum materiale, non vero hoc dubitauit de Metaphysica, quia hæc non consentit in obiecto cum supradictis, cum sit de omnino separatis à materia.

Mathematica, & Physica differunt. Secundo loco collige differentias, quibus differunt Mathematica, & Physica. Primo ergo differunt ratione demōstrationis, quia demonstrationes naturales, vt plurimum sunt a posteriori, & Mathematicæ à priori, vnde demonstrationes perfectissimæ vocantur. Secundo differunt ratione obiecti, quia Mathematica considerat quantitatem, quæ est accidēs, & Physica ens mobile, seu corpus mobile, quod per se, est de genere substantiæ. Tertio differūt ratione formali sub qua, quia Mathematica considerat quanta, vt sunt abstracta à materia secundum rationem, & Physica, vt non sunt abstracta à materia, nec secundum rem, nec secundum rationem. Quarto differunt ratione diffinitionis, quia Mathematica diffinit sine materia, Physica vero cum materia. Quinto differunt ratione extensionis, quia Physica cōsiderat plures res secundum substantiam, & accidentia, & Mathematica considerat solum eas secundum quantitatem.

QVAESTIO VIII.

Vtrum abstrahentium sit mendacium.

Videtur quod sic. Nam intelligens rem aliter quam sit, mentitur, & errat. Hoc facit abstrahens, dum verbi gratia considerat lineam coloratam, sine colore. Igitur.

Abstractio quid sit, & quotuplex sit. Pro solutione huius dubij sciendū est, quod abstractio idem sonat quod separatio vnius ab alio. Duplex autem est talis separatio, seu abstractio. Prima dicitur realis, quia vnum secundum rem separatur ab altero, vt anima à corpore in morte, & caliditas à manu, dum fit frigida. Secunda dicitur rationis, seu intellectus, quia ipsa separat quæ sunt idem subiecto, & re secundum considerationem; vnum considerando, seu intelligendo sine alio. Hæc autem abstractio rationis duplex est. Prima dicitur apprehensiua, quia per primam operationem intellectus est. Secunda dicitur compositiua, quia intellectus rem intellectam à tali ratione separat, & cum alia coniungit. In prima autem neque verum, neque falsum reperitur per se, in secunda vtique. Abstractio autem apprehensiua triplex est. Prima dicitur vniuersalis, quia per eam intellectus intelligit vniuersale, non intelligendo species eius, vel indiuidua. Secunda dicitur subiecti, quia intellectus per eam intelligit subiectum, non intelligendo eius passiones. Tertia dicitur formalis, idest secundum considerationem, & hæc dicitur Mathematica, secundum quam vnam eandemque rem secundum diuersas eius rationes, materiā non concernentes, rem considerat.

Secundo

Prius po- sest intel- ligi sine posterio- ri. Secundo notandum, quod velle abstrahere posterius à suo priori, errare est, quia posterius non potest intelligi sine suo priori, vt homo sine animali, sed abstrahere prius à suo posteriori non est errare, quia prius potest intelligi sine posteriori, vt animal sine homine. Modo inter prædicamẽta talis est ordo, quod substantia est prior omnibus accidentibus, & ideo potest sine his intelligi, & ita quãtitas est prior omnibus alijs accidẽtibus, & ideo sine eis considerari potest, & hoc est quod vult Phylosop. inferre, scilicet, posse intellectum considerare quantitatem sine qualitatibus sensibilibus, sine mendatio, & per hoc patet ad argumentum, nam intellectus potest considerare lineam, quæ est quantitas, absque colore, qui est qualitas. Vel dicendum ad maiorem argumenti, quod hæc propositio. Considerare rem aliter quam sit est mentiri, potest intelligi dupliciter Primo obiectiue, idest considerando rem sub diuersa, vel contraria ratione, secunda intellectus operatione. Secũdo modaliter, idest considerando rem materialem immaterialiter, & compositam simpliciter, & hoc non est mentiri, quia non est aliquid affirmare de re, quod ei non conueniat, vel negare ei aliquid quod cõueniat ei, sed est eam considerare secundum vnã rationem, & non secundum aliam.

QVÆSTIO IX.

Vtrum scientiæ mediæ sint magis Mathematicæ quam naturales.

VIdetur quod sic. Nam scientiæ sequantur ex obiecto. Sed Geometria de linea agit, Perspectiua de visuali, Musica de sonoro, & Astrologia de astris, (hæ enim sunt scientiæ mediæ.) Sed hæc obiecta sunt quanta. Ergo Mathematicæ.

Secundo. Illæ scientiæ magis accedunt ad Mathematicam, quam ad Physicam, quæ magis res considerant, vt sunt separatæ à materia, quam illa, quæ eas speculatur, vt sunt materiæ immersa. Sed hoc faciunt sciẽtiæ mediæ, vt patet. Ergo &c.

Tertio. Scientia denominatur ex principijs; sed principia mediarum scientiarum sunt Mathematica, vt conceditur. Ergo &c.

Quarto. Probatur auctoritate S. D. supra Boetium.

Pro enucleatione huius quæstionis, primo notandum est, quod scientiæ Mathematicæ sunt in duplici differentia. Quædam enim vocantur pure Mathematicæ, quæ per media pura Mathematica procedunt, nec de aliquo materiam concernente determinant, vt sunt Geometria, & Arithmetica, quæ sunt de linea, & numero, vt sic. Quædam vero dicuntur mediæ, quia procedunt ex principijs Mathematicis, & ea ad materiam applicant, vt sunt Perspectiua, quæ considerat lineam, vt est visualis, & Musica, quæ considerat numerũ, vt est sonorus, & Astrologia, quæ est de mensuris, vt sunt in corporibus cælestibus. *Scientiæ Mathemat. quędam puræ, & quędam mediæ.*

Secundo notandum venit, quod in scientijs medijs duo considerari possunt. Vnum tanquam formale, idest principia demonstrationis ex quibus procedunt, & ratione horum magis dicuntur Mathematicæ, quam naturales. Alterum tanquam materiale, idest subiectum circa quod versantur, & ratione huius, magis dicuntur naturales, quam Mathematicæ, quia versantur circa materiam naturalem, & per hoc patet ad tria prima argumenta nam scientiæ non solum considerantur ex obiecto, verum etiam ex principijs. *Ex parte obiecti et principiorũ.*

Ad quartum similiter dicitur, quod S. D. supra Boetium considerauit scientias medias ratione principiorum, & sic vocauit eas Mathematicas, hic autem eas considerat quoad materiam, & sic dicit eas naturales. Sed ex hac responsione hic oritur dubium, quia S. Thomas hic assignans rationem cur istæ scientiæ mediæ, sint magis naturales, quam Mathematicæ, ait hoc esse, quia denominatio fit à termino, secundum terminum autẽ magis sunt naturales. At in contrarium stat, quod formalius est magis denominatiuum; principia autem quid formalius sũt quam subiectum, circa quod versantur. Sed respondetur, quod formalitas obiectiua est illa, quæ denominat scientias, & non formalitas principiorum, quia scientiæ specificantur ex obiectis, & actiones ex principijs. Quoniam tamen S. D. tex. 20 & op. 70 Ferrariensis hic, q. 2. & Soncinas 6. Metaph. q. 11. magis in hanc sen-

tentiam videntur declinare, quod Perspectiua, Musica, & Astrologia, quæ scientiæ mediæ nuncupantur, magis dicantur Mathematicæ, quam naturales, & ideo solent inter Mathematicas connumerari. Ideo dicito, quod si secundum rem considerentur, magis dicuntur Physicæ, quã Mathematicæ, quia substantiam considerant, vt de Astrologia docet expresse Aristot. 12. Metaph. tex. 44. & hoc idem conspicimus in Perspectiua, dum sæpe eam errare contingit in figuris cognoscendis propter imbecillitatem visus hominum, & ita Musica est de sonis, vt sunt in voce sensibili, secundum rationem tamen magis appellantur Mathematicæ, quam naturales, quia procedunt per causam formalem, abstrahẽtem ab esse. Itaque ratione modi demonstrandi magis Mathematicæ, quam naturales dicuntur, sed ratione subiecti, cum materiam natu ralem inuoluant, dicuntur magis naturales quam Mathematicæ.

LECTIO VII.

S. D. IV.

Quoniam autem natura, &c. Tex. 20.

Scientia naturalis considerat materiã et formã

POstquam Phylosophus determinauit Mathematicas scientias, & Physicas, eandem rem considerare, transit deinde ad diffiniendum quousq. se extendat consideratio naturalis. A textu igitur 21. vsque ad 26. immoratur circa hoc, an eadem scientia consideret materiam, & formam, cum ambæ naturę dicantur. Respondet autem huic tacito dubio affirmatiue, scilicet ad Phylos. naturalem spectare, considerare materiam, & formam, quod tripliciter probat. Primo. Consideratio naturalis est sicut cõsideratio simi, sed consideratio simi est consideratio materiæ, & formæ. Ergo &c. Maior patet, quia in hoc naturalis discriminatur à Mathematico. Minor probatur, quia nasus se habet sicut materia, & simus vt forma. Secundo. Sicut se habet natura circa naturalia, ita ars circa artificialia, quia ars imitatur naturam. Sed scientia artificialis considerat materiam, & formam, nam Medicina considerat sanitatem tanquam formam, & neruos, coleram, & flegmam, tanquam materiam. Ergo &c. Tertio eadem scientia considerat finem, & ea quæ sunt ad finem, quia ratio eorum, quæ sũt ad finem, à fine sumitur. Sed materia ordinatur ad formam, vt ad vltimum, & optimum sui ipsius. Ergo ad eandem scientiam pertinet considerare vtrãque. Subdit tamen in tex. 26. Physicam considerare formam non absolute, quia sic est speculationis primæ Phylosophiæ, sed prout est in subiecto, sicut Medicus non considerat neruum absolute, sed qua tenus receptiuus est sanitatis.

Circa supradicta autem plura notanda veniunt. Primo ergo adnotandum est circa tertiam rationem, quod duo videtur Aristot. attribuere finij, quod sit vltimũ quoddã, & sit ad cuius gratia aliquid fit. *Duo sũt de ratione finis.* Primum non conuenit fini per se, secundum vtique, quia in hoc stat ratio causalitatis ipsius. Hinc Aristot. reprehendit Euripidem poetam (tacito tamen nomine) quia vocauit mortem, finem cuius gratia factus est homo. Hoc enim falsum est, quia homo non est factus vt moriatur, sed magis vt viuat, quia generatio ad esse tendit, & non ad non esse procedit, quare mors potest dici finis hominis per accidens, quatenus est vltimum vitæ eius. Finis autem duplex est, scilicet finis quo, & finis gratia cuius. Finis quo est ipsa operatio, sicut visio Dei est finis, quo Deus videtur. Finis gratia cuius, est finis vltimatus, cuius gratia omnia sunt facta, vnde Deus est finis, cuius gratia omnia sunt facta.

Secundo adnotandum venit, quod artes sunt in triplici differentia. *Ars triplex.* Nam quædam versatur circa materiam, vel eam facit, pro vt apparet in his, qui lateres, cæmenta, & similia faciũt. Quædam autem artificiata non facit, sed facta ad constructionem præparat, vt in illis constat, qui ligna dolant, vel leuigant, vel lapides sub aliqua forma construunt. Alia vero est ars quę formam in materiam introducit, vt quæ ex dolatis lignis nauem fabricat, vel ex politis lapidibus, Domũ construit, & hæc vocatur ars Architectonica, idest imperans, & ad hanc omnes aliæ artes ordinantur, ordinate, idest prima ars, ad secundam, & secunda ad tertiam.

Tertio adnotandum est circa hanc propositionem. *Ars imitatur naturam.* Ars imitatur naturam, quod

hoc

hoc in tribus apparet. Primo in operatione, quia sicut agēs naturale antequam vltimam formam in materiam introducat, prius eam præparat, & disponit, ita natura antequam formā introducat, materiam prius disponit per qualitates actiuas,& passiuas. Secundo hoc apparet in medio,& causa,quia natura intendit producere sibi simile secūdum speciem, ita, & ars intendit producere artificiatum simile ideæ ab artifice preconceptę in mēte, vt quod Domus ad extra, assimiletur Domui ab intra, idest ideæ existenti in mente artificis. Tertio hoc apparet in fine,quia ars, & natura propter finem operātur vnde infra Phylosophus dicit Deū, & naturam, & artem operari propter finem,& nihil frustra agere. Discriminantur tamē, quia natura producit effectum eiusdem speciei cum agente in esse naturali,nō sic ars,& propterea dicitur quod ars imitatur naturam, non absolute, sed in quantum potest.

Homo est finis omnium rerum.

Quarto adnotandum est circa alteram propositionem, scilicet; quod homo est finis omnium,hoc posse dupliciter intelligi. Primo quod sit finis omnium rerum absolute in genere entiū, & hoc falsum est,cum hoc sit Deo proprium. Secundo hoc potest intelligi in genere artificialium, & sic verum est, quia omnia artificialia ordinantur ad hominem. Vel secundo possumus dicere hominem esse finem omnium rerum creatarum. Dominatur enim piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs terræ. Immo astra,& Angeli facta sunt, & mittuntur propter eos, qui hæreditatē capiunt salutis. Immo Deus factus est homo, vt homo fieret Deus, per communicationem idiomatum.

QVÆSTIO V.

Vtrum consideratio materiæ, & formæ pertineat ad naturalem.

Videtur quod non, & primo probatur de materia. Nam eadem res,non spectat ad Metaphysicum, & ad Physicum. Sed de materia agit Metaphysicus in quinto Metaphysicæ. Ergo.

Secundo. Nulla scientia probat sua principia. At materia est principium rerum materialium, & probatur à Philosopho esse. Ergo &c.

Tertio. Nulla scientia probat suum subiectum esse ex primo Post. Sed materia est ens mobile,quod est subiectum in Physica. Ergo.

Secundo arguitur quod consideratio formæ non spectet ad Phylosophum naturalem. Nam naturalis ea considerat, quæ non sunt abstracta à materia. Sed anima saltem rationalis est abstracta à materia. Ergo &c.

Tertio arguitur contra id quod dictū est,scilicet Materiam,& formam esse relatiua. Contra. Sunt substantiæ. Ergo non sunt relatiua.

Quoniam hæ difficultates ex superioribus patent ideo non immoror, in enodatione earum. Patet enim materiam,& formam esse naturas, & principia rerum naturalium, vt bene considerauit Auerroes contra. Auicenam,sustinentem materiæ considerationem pertinere ad primum Phylos.

Ad primum ergo dicimus, quod Metaph. considerat materiam primam sub ratione entis, & naturalis, sub ratione principij entis mobilis.

Ad secundum dicimus, quod maior valet de principijs cognoscendi, idest scientiæ, & non de principijs essendi, vt est materia.

Ad tertium dicimus,nullam scientiam probare suum subiectum esse, sed aliquā eius partem subiectiuam vtiq. talis autem est materia.

Ad secundam difficultatem dictum est supra, vnde satis sit modo dicere Animam esse actum corporis.

Ad tertiam dicitur, quod materia, & forma, vt sunt entia secundum se considerata sunt substantiæ, sed, vt induunt rationem actus, & potentiæ, dicuntur relatiua secundum dici, & non secundum esse.

CAPVT III.

LECTIO IX.
S.D. V.

Determinatis autem his, &c. Tex. 27.

Hic est tractatus secundus principalis secundi Phys. in quo Phylos.intendit

tendit tractare de causis. In præsenti ergo lectione, quatuor agenda sunt. Primo enim reducemus textum ad quædã puncta. Secundo circa textum aliqua adnotabimus. Tertio aliqua dubia soluemus, & quarto loco quædam de causis disputabimus.

Primo ergo ex textu habetur, quòd postquam actum est de natura, modo tractandum venit de causis, quia tunc opinamur aliquid scire vere, cum rem per causam cognoscimus, propter quam res est. Agẽdum igitur erit de causis vniuscuiusque generationis, ad hoc vt sciamus quomodo materia, & forma, sint naturæ, & principia cuiuslibet generationis, ac simul tractandum erit de ceteris causis concurrentibus ad quamcunque generationem, & alterationem.

Secundo loco incipit Aristot. diffinire causas, à causa materiali incohando, vt à priori via generationis, & nobis notiori.

Causa quatuplex. Ait ergo causa materialis illa est, ex qua fit aliquid, cum insit, & permanet in re facta. Hoc autem probat, ex nobis notis in artificialibus exemplo argenti, ex quo fit statua, vt per hoc exemplum naturalia intelligamus. Alio modo dicitur causa, forma, & exemplar, seu ratio essentiæ, & dicitur actus materiæ ei dans esse sicut diapason dicitur forma duorũ, idest duarum proportionum, forma etiã dicitur de exemplari, vt hic docet Arist. quia sic voluit negare ideas separatas, ponendo formas materiæ vnitas, & quia forma est id, quòd primo à natura respicitur, cum ab ea sit esse. Tertio modo dicitur causa, vnde res incipit moueri, & talis dicitur efficiens. Quarto modo dicitur causa, id cuius gratia aliquid fit, & hæc dicitur causa finalis, sicut causa deambulationis infirmi est, ad recuperandam sanitatem. Distinguit autem de duplici fine, scilicet vltimo, vt est sanitas respectu infirmi, & medio vt sunt purgationes, & medicamenta, & alia instrumenta ordinata ad recuperandam sanitatem. Itaq. causa quadruplex est, scilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis.

Tertio ex diffinitionibus causarum tria corrolaria elicit. Primum est. Quod cum sint multæ causæ, contingit eas concurrere (in diuerso genere tamen causæ) ad producendum effectũ, non quidem eiusdem ordinis, verbi gratia respectu compositi substantialis, materia vt subiectum concurrit, forma vt dans esse; efficiens vt illud producens, & finis vt id cuius gratia aliquid fit. Secundum est, quod causæ sunt sibi inuicem causę, sed in diuerso genere causarum verbi gratia, finis secundum intentionem mouet agentem ad agendum, & agens secundum esse rem intentam ad finem perducit. Tertium est, quod idem potest esse causa contrariorũ, sed diuersimode, sicut gubernator nauis sua præsentia est causa salutis nauis, & sua absentia submersionis.

Quarto reducit omnes causas ad quatuor modos principales. Primus quorum est, quando res ex aliquo fit, sicut sillaba fit ex litteris, & ex sillabis termini fiunt, & ex terminis propositiones, & ita composita naturalia dicuntur materia artificialium, & elementa mixtorum. Secundus modus est quando aliquid fit, sicut ex forma, dicas informante, vel diffiniente. Tertius modus est aliud producere effectiue, & quartus mouere finaliter, de quibus infra.

Quo ad secundum primo notandum est circa ordinem, quod postquam Phylos. tractauit de natura, subito transit ad tractãdum de causis, & hoc propter tres rationes. Prima est, vt rerum naturaliũ causas sciamus, tunc enim arbitramur aliquid scire, cũ causas eius cognoscimus, vt dicitur primo Post. c. 2. Secunda causa est, quia superius dixerat materiam, formam, & priuationem esse principia, & causas rerum naturalium, vnde remanebat declarandum quo modo, & qualiter, & in quo genere causæ. Tertia est, quoniam tractaturus erat de omnibus naturis generabilibus, & corruptibilibus, & ideo opus erat ostendere per quas causas tales sint, & fiant. *Ordo.*

Secundo adnotandum venit, Metaphysicum, & Physicum de causis tractare, sed diuersimode. Primo, quia Metaphysicus de eis agit vt entia sunt abstracta a Materia sensibili, & Physicus vt eam concernunt. Secundo, quia Metaphysicus absolute agit de natura causarum, & de earũ numero secundum vnius cuiusque causæ rationem formalem, at Physicus de eis pertractat quatenus sunt principia entis transmutabilis. *Metaphys. & Physicus agunt de causis.*

D V-

DVBIA.

Circa supradicta autem. Primo dubitatur propterea, quod Phylosop. in ijs testibus sibi videtur contrarius. Nam in tex. 21. dicit, partes animalis se habere vt causam materialem animalis, & superius dixit, partes diffinitionis spectare ad causam formalem.

Secundum est, quoniam quandoque premissas vocat causas effectiuas conclusionis, & quandoque materiales. Hæc autem pugnant adinuicem.

Partes induunt rationē causarū materialis, et formalis. Ad primum primo de facili respondetur, quod partes integrātes compositum sapiunt naturam causæ materialis, & partes diffinitionis naturam retinent causæ formalis. Vel secundo dicitur cum S. D. quod partes diffinitionis (si de ijs solum loquamur) dupliciter considerari possunt. Primo in ordine ad diffinitum, & sic habent modum causæ formalis. Secundo in ordine ad diffinitionem, quam constituunt, & sic dicunt rationem causæ materialis.

Ad secundum dicitur, quod præmissæ vt inferuut conclusionem, eius dicuntur causæ effectiuæ, & vt conclusio ex ijs coalescit, dicuntur eius causę materiales, eam componentes.

QVAESTIO XI.

Quid nomine causæ intelligendum veniat.

Diffinitio causæ explicatur. Omissis multis diffinitionibus causæ a cæteris assignatis, dicimus cum S. D. in lib. de causis, quod causa est ad quod aliud, vt ab eo in esse dependens, per se, & proprie sequitur. Primo ergo diximus, quod est id ad quod aliud. Per ly aliud intelligendo distinctionē cadere inter causam, & effectum realem, qua propter dum multa in vno inspicimus, quæ secundum esse distincta non sunt, affirmamus vnum alterius causam esse non posse, vt pater filij in diuinis cum vnum sit eorum esse. Secundo diximus dependens, quia de ratione effectus est accipere esse à causa vel materialiter, vel formaliter, vel finaliter, vel effectiue. Ideo vnum relatiuorum, vt relatiuum est, non dicitur alterius causa, quia ab eo non accipit esse, vt relatiuum est, & si possit illud recipere vt vnum est generans, & aliud genitum, quia verbi gratia filius generatur à patre. Ita generatio non dicitur causa priuationis, quia & si ab ea pendeat, non tamen ei dat esse. Et ita homo non dicitur causa rationalitatis, cum vnum esse cum ea præseferat. Tertio diximus per se, ad remouendam causam per accidens, (vt Musicum respectu ædificij) & conditionem sine qua non, idest sine qua non sequitur effectus, quales sunt conditiones, locus, & tempus. Sed hoc intelligo de conditione sine qua non extrinseca, & non de intrinseca, seu immediata, vt est approximatio calefactibilis ad comburendum, & dispositio materiæ ad formam recipiendam. Quarto diximus proprie, quia perfectissimum in genere (vt est albedo in genere colorū) non dicitur proprie causa omnium colorum, sed primum in vnoquoque genere, si proprie sit primum in genere causalitatis, & non in esse perfectionis dicitur causa omnium, quæ sunt in vno genere. Quinto diximus sequitur, quia & si verbum diuinum Christi humanitatem terminauerit, non tamen dicitur eius causa, quia verbum humanitatem non produxit, sed eam ad se assumpsit. Hoc autem intelligitur, dum causa proprie causa dicitur, vt supra. Nam causa bifariam sumi potest. Primo communiter, & late, quo pacto priuatio dicta est causa ab Ar. 12. Metaph. tex. 12. & secundum Græcos principium dicitur causa, & ita improprie accipitur causa, vt tantum de causa agente verificatur, quo pacto. D. Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 28. omnem causam dixit esse efficientem, & Plato in Hyppia affirmauit vnum, & idem esse mouere, efficere, & causare. Secundo sumitur proprie prout supra, & sic dicitur de quatuor generibus causarum.

Genera causarū sunt tantumquatuor. Secundo notandum venit, quod quāuis prisci Phylosophi plures quam quatuor causas posuerint, tamen cum Arist. quatuor tantum constituendæ sunt. Nam quot sunt genera quæstionum, tot sunt genera causarum; Sed genera quæstionum quatuor sunt. Ergo & genera causarum. Probatur maior. Nam cum quæritur cuius gratia aliquid fit, per finem respondemus. Si à quo res fit interrogemur,

mur, ab efficiente responsum damus. Si ex quo res fit, per materiam rem esse dicimus. Si propter quid, per formam. Ad causam autem effectiuam reducitur causa instrumentalis, vt est calor respectu ignis, & serra respectu artificis, quia & si effectus principaliter non sit ab efficiente instrumentali, tamen ab eo est effectiue, instrumentaliter. Obiecta autem ad causam formalem reducuntur, quia actus causant in genere causæ formalis, non intrinsece quidem componendo, quia actus non componunt, sed extrinsece, actus mensurando, vt docet S.D. p 2.q.1.art.3. Exemplar quoque ad causam formalem reducitur, prout dicitur forma extrinseca. ad quam artifex aspiciens operatur, vt explicat Caietanus 1.p.q 6.art.4.& q.44. art.3.& ante ipsum D. Dionysius quinto capite de diuinis nominibus. August. lib. 83.quæst.& Boetius primo de Trinitate. Habet enim rationem similitudinis formalis, quia sicut forma in naturalibus dat esse rei naturali, ita in artificialibus exemplar dat esse exemplato.

Tertio notandum venit, quod in causa tria inspicere debemus. Primum est res, quæ denominatur causa, verbi gratia, materia, vt est potentia, forma vt actus, finis vt bonum, & efficiens, vt habens vim

Ratio causa in quo consistat. actiuam. Secundum est ipsa causalitas, quæ non est nisi quidam modus rei, à re ipsa realiter distinctus, cum res secundum se consideratá à causalitate præscindat. Tertium est quidam respectus ortus inter causam, & effectum, ex hoc quod causa ad effectum ordinatur, & ad eum respectum dicit. In primo ergo non consistit vera ratio causæ, cum sic res absolute intelligatur, nec in tertio collocatur, qa relatio effectus ad causam est posterior causa; quare vera ratio causalitatis collocanda est in modo vniuscuiusque causæ, secundum quod causare dicitur.

Præstãti à causarum. Quarto notandum est, quod causa, & effectus dupliciter considerari possunt. Primo vt causa dicitur causa, & effectus, causæ effectas formaliter, & sic causa, vt causa, semper est nobilior effectu, vt effectus est, quia nobilius est dare, vt est dare, quàm recipere, vt est recipere. Secundo possunt considerari quoad suas entitates, in quibus fundantur. His stantibus dicimus primo clarum esse causam effectiuam principalem suo effectu esse nobiliorem, si sit æquiuoca, quia id totum quod in effectu est, à causa principali est. Sed hoc non est verum de causa instrumentali, patet enim quod semen non est nobilius homine genito per illud, tanquam per instrumentum, & clarum est calorem instrumentum ignis, non esse ipso igne præstantiorem. Si autem sermo sit de causa vniuoca, dicendum venit cã esse eiusdem nobilitatis specifice cum suo effectu, cum quo semper stat, quod ratio causæ, vt est causa, præstat supra ratione effectus, vt effectus est. Loquendo autẽ de causa formali, asserimus eam non esse composito nobiliorem entitatiue, sed tãtum causaliter, nam compositũ habet esse formale à forma, sed vlterius materiam includit, & esse subsistens vt quod dicit. Forma est tamen præstantior materia, quia ei dat esse. De causa autem finali sermonem habendo affirmamus eam inter alias excellere, vnde vocatur causa causarum, sed hoc intellige in mouẽdo, nam entitatiue non semper est nobilior agente quem mouet, quia quis potest Phylosophiæ studere ob lucrum, & tamen possessio Phylosophiæ altior est pecunia. Materia autem vltimam tenet locum in causis, quoniam est veluti fex rerum.

LECTIO VIII. IX. & X.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Materia sit causa.

VIdetur enim quod non. Primo. Nam causa significat aliquid causare in actu. Sed hoc non potest conuenire materiæ, cum sit pura potentia. Ergo.

Secundo. Si esset causa, esset quia forma sustentaret. Sed hoc est falsum, cum non omnem formam sustentet, videlicet animam intellectiuam. Ergo.

Pro solutione huiusquæstionis, & intelligentia sequentium, recollendum est, Aristot. hic non agere de causis absolute, (hoc enim est opus Metaphysici) sed vt concernunt motum, & ideo satis ei fuit assignare propriam rationẽ suæ causalitatis cum motu. *Causæ hic considerãtur vt sunt cũ motu.*

Secundo etiam recollendum est, quod causæ quadrupliciter cõsiderari possunt. *Ordo ipsarum.*

Primo

Primo secundum ordinem generationis, & sic materia est prima, cum sit eius subiectum; Secunda est forma, quæ actuat, & dat esse materiæ. Tertia est efficiens, quod est principium motus, non intrinsecum, sicut est forma, sed extrinsecum vt est finis, qui est terminus generationis. Secundo considerantur secundum ordinem intentionis, & sic prima causa est finis, qui primo cadit in intentione, secunda est efficiens, motum à fine, tertia est forma, actuans materiam, & quarta est materia, actuata. Tertio modo considerantur secundum esse, & ita. Primum locum tenet efficiens, quod causat esse. Secundum tenet materia, ab efficiente disposita ad esse. Tertium obtinet forma, dans esse formaliter, & quartum locum habet finis, qui est vltimus in executione. Quarto considerantur secundum rationem agendi, & tunc primo loco stat forma, cum sit principium intrinsecum actionis, secundo efficiens, eius principiũ extrinsecum, tertio finis, ratio mouendi, & quarto materia, quæ solum recipit. Arist. autem in textu, primum ordinem seruauit.

Causalitas materia est passiua. Tertio notandum venit, quod causalitas materiæ consistit in recipere esse, & formam limitare. Nam natura eius non est causare actiue, vt alijs causis conuenit, sed passiue, vt eius naturæ congruit. Duplicem autem causalitatem habet materia ordinate, scilicet formam recipere, & limitare, & compositum facere.

Et limitatiua forma. Quarto adnotandum est, quod materia formam limitat. Sed scito quod duplex est limitatio. Quædam enim dicitur entitatiua, & sic quælibet res sua natura est limitata, cum non sit infinita, in perfectione; Altera dicitur limitatio modalis, quia eius amplitudo coarctatur ab alio in quo recipitur, & hoc modo dicimus formam à materia limitari, quia ab ea determinatur, ad hoc, vel illud esse in materia; nam si esset abstracta, retineret totam perfectionem suæ speciei.

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Causalitas materiæ stat in recipere. Probatur. De ratione principij passiui non est dare esse actiue, sed illud recipere passiue. At Mat. est principium passiuum. Ergo &c. omnia nota.

Ad primum ergo dicitur ad maiorem, quod valet de causis actiuis, & non de passiuis, vt est Mat.

Ad secundum dicimus, materiam sustentare animam intellectiuam posse intelligi dupliciter. Primo quoad actum in formandi, & sic eam sustentat, vt proprium actum. Secundo quo ad esse, & sic eam non coarctat, vt ab ea separari non possit; omnes autem alias formas eductas de potentia materiæ sustentat, & quoad actum informandi, & quoad esse.

QVAESTIO XIII.

Vtrum forma det esse.

Videtur enim quod causalitas formæ non stet in dare esse. Nam primo. Agens est illud quod dat esse. Ergo non forma; cum distinguantur.

Secundo. Si actuat Materiam, & ei dat esse, actuabit omnem materiam, & ei dabit esse. Sed hoc est falsum in materia cæli, cum habeat perpetuum esse. Ergo &c.

Pro intelligentia huius quæstionis notandum est, quod forma duo habet, scilicet dare esse materiæ, quæ de se, est pura potentia, & ex vnione eius cum materia habet vlterius constituere compositum. Nam compositum, formæ comparatum, non habet rationem causæ constituentis, sed effectus constituti. Nec officit, quod sic effectus esset præstantior causa, quia verum est causam esse præstantiorem effectu, quãdo id totum quod in effectu est, à causa est, secundum modum causæ; modo compositum vltra perfectionem formæ, includit etiam perfectionem materię sub forma, & subsistentiam vt quod, vt in Metaphysica ad longum ostendo. *Forma actuat materiã & cõstituit compositum.*

Secundo notandum est, quod sicut potentia materiæ per quam redditur apta ad recipiendam formam, non est aliquid ab ea distinctum secundum rem, & ei superadditum, ita pariter nec aptitudo formæ ad informandam materiam, est aliquid ei superadditum, & ab ea realiter distinctum; qua propter forma secundũ suam substantiam, & essentiam materiã informat, vt docet S. D. secundo contra Gentes, c. 8. & p p. q. 76. ar. 7. & Comm. secundo lib. de anima tex. 8. & 8. Metap. tex. 15. *Per seipsam immediate*

tex.15. & Scotus in secundo dist.12.q.p. Nam si per superadditum ei materiæ vniretur, vnio materiæ, & formæ non esset immediata per se, & substantialis, quia inter ipsa intercederet illud medium, distinctum ab illis. Et quamuis ad hanc rationem formæ, materia præuijs dispositionibus disponatur, tamē in vnione formæ illæ præuiæ dispositiones corrūpuntur, ita vt primum esse formæ, sit primū non esse præcedentium dispositionum.

Prout ordinatur ad actuandam materiā ab agente. Tertio cōsiderandum venit, quod duo sunt pensanda in forma. Primum est eius substantia, & entitas, per quam differt à materia, vt entitas in actu ab entitate in potentia, & hoc modo non habet quod sit causa, aliter semper causaret, quod falsum esse cernimus in anima intellectiua separata. Secundum est illud, quod habet veluti propriam passionem, scilicet actuare, & informare materiā, non quod tamen sit passio ab ea realiter distincta, sicut nec potentia materiæ realiter distinguitur à materia, sed quia est eius modus, & natura, & secundum hoc habet rationem causæ. Nam intelligimus formā prius materiam informare, & deinde illam in vno composito substantiali vnire. Vnio autem formæ cum materia disposita, nō est à naturali impetu formæ secundum se consideratæ, sed est à virtute agētis, eam ordinantis, ad actuandam materiam, vnde semper ad generationem hominis indiget virtute agentis, ad hoc vt vniatur materiæ, quare non potest propria virtute naturali, & præcise se vnire, ita docet Capreolus in 4.d.43. q.2. art.3. & Scotus q. 3. & est sententia Aristot. ponentis formam semper dependere ab agente.

Modus formæ. Quarto loco colligendum venit, quod modus causandi formæ est coarctare amplitudinem materiæ. Nam cum materia prima secundum se sit indifferens, & in potentia ad omnes formas, hæc forma facit, quod materia stet solum sub illa forma, & hoc tam in naturalibus, quam artificialibus. Secundo loco igitur principali ponitur hæc conclusio. Causalitas formæ stat in actuare materiam, & efficere compositum. Probatur. Quia est actus materiæ, & ex vnione eius cum materia fit compositum.

Argumenta soluuntur. Ad primum ergo dicendū, quod agens dat esse effectiue, & forma formaliter actuando materiam, vt diximus.

Ad secundum dicitur, quod forma semper dat esse formaliter, vel per generationem, vt in generabilibus, vel per creationem, vt in creabilibus, semper enim agens actuans materiam, vel eam creās, vel generat sub forma, vel concreat cum forma.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum causalitas efficientis stet in agere, seu efficere.

Videtur quod non. Nam Deus omnia efficit, & agit secundum illud Apostoli 2.Corinth.3. Omnia in omnibus operatur. Ergo nulla alia erit causa effectiua.

Secundo. Multæ sunt actiones sine termino, vt saltare, cantare, citharizare, & similes. Ergo de ratione efficientis non est rem efficere, idest terminatiue producere, &c.

Causa multiplex est. Pro resolutione huius quæstionis, multa adnotanda veniunt. Primo igitur adnotandum est, quod causa efficiens multiplex est. Prima dicitur prima causa effectiua, quia ipsa absolute, & simpliciter à nulla alia causa depēdet, & omnes aliæ causæ ab ea sunt. Secunda dicitur causa secunda, quia a prima dependet. Hæc autem duplex est. Prima dicitur principalis in genere creatorum, quia per propriam virtutem agit in effectum, verbi gratia intelligentia quæ mouet cælum. Secunda dicitur instrumentalis, quia agit virtute causæ principalis, verbi gratia, calor naturalis dicitur instrumentum animæ, ad nutritionem, & augmentum animati. Vlterius causa principalis duplex est, scilicet æquiuoca, quæ producit effectum diuersæ speciei, vt dum Deus, & sol hominem producunt; & vniuoca, quæ producit effectum eiusdem speciei, vt homo sic generat hominem. Prima semper est perfectior effectu, vt eo altior; secunda nequaquā, nisi vt diximus supra. Item causa principalis, quædam dicitur per se, quia per se producit effectum, vt statuarius per se facit statuam, & quædam dicitur per accidens, quia nō per se producit effectum, sed coungitur

causæ,

causæ, per se illum producenti, vt dum musicum, vel album esse, coniungitur statuario facienti statuam. Causa autem per accidens dupliciter sumitur. Primo ex parte causæ, quia id quod est per accidens causæ coniungitur, vt dum musicũ coniungitur statuario. Secundo ex parte effectus, quia id quod est per accidens coniungitur effectui per se, vt dum inuentio non intenta thesauri, coniungitur effossioni sepulchri per se intenti. Insuper causa per accidens ex parte causæ duplex est, scilicet Physica, & moralis. Physica est illa, quæ habet influxum realem in effectum, necessario, vel libere, dummodo influxus sit realis; moralis vero illa est, quæ obiectiue mouet, vt sunt consulens, præcipiens, & non impediẽs, quando potest, & tenetur impedire, quæ causæ, & si Physicæ dicantur per accidens, moraliter tamen possunt dici per se, quia in genere morum per se causant effectum, verbi gratia absentia gubernatoris Nauis, Physicæ est causa per accidens eius subuersionis, cum causa per se sit fractio Nauis, moraliter tamen est causa per se, quia non perijsset, si adfuisset, vnde ei imputatur per se culpa. Causa vero instrumentalis duplex est, scilicet coniuncta, & separata. Coniuncta est illa, quæ cõiungitur causæ principali agenti, vt calor naturalis coniungitur animæ ad nutriendum animal. Separata est illa, quæ concurrit vt simplex instrumẽtum, sicut facit dolabra ad faciendum scamnũ.

Effectiua est primũ principium à quo actio procedit. Secundo notandum venit, quod quamuis multiplex sit causa effectiua, tamen omnis talis causa debet esse primũ principium suo modo, à quo actio procedat, si sit causa per se, per se, si per accidens, per accidens, si principaliter, principaliter, si instrumentaliter, instrumentaliter. Sic enim distinguitur à materia, à qua actio non procedit, sed in eam procedit, & à forma, quæ materiam actuat, & in eam procedit formaliter, & non effectiue, sicut procedit à causa efficiente. Et ita distinguitur à fine, quia ab eo non procedit actio quo ad executionem realem, sed tantum quoad intentionem.

Eius causalitas stat in agere. Tertio ergo deducendum venit cum S.D. quinto Metaph. tex. 2. quod causalitas efficientis stat in agere, & efficere. Hoc enim primo deducitur ex verbis S.D. vt supra, dicentis causam esse efficientem, in quantum agit. Secundo, quia ab actione dicitur agens, & ab efficere efficiens. Tertio, quia per agere, & efficere causa effectiua cõstituitur in actu. Nec verum est quod agere, vt agere sit effectus agentis; agere enim non sit, vnde agere est efficientem in actu cõstituere, & res actu erit eius effectus; quapropter actio dicitur ab agente procedere, & in passo subiectari, vt ei coniungitur, quod agitur, non vero vt dicit simplicem actionem vt sic.

Diuersitas opinionum de efficientia rerum. Quarto adnotandum venit secundum S.D. in 2.d.p.q.p.art.4. & 3. contra Gentes, cap. 69. & p.p.q.105 art.5. quod circa efficientiam secundarum causarum multæ fuerunt opiniones. Prima quæ solet attribui Petro Aliacensi, & Gabrieli in 4.d.p. fuit, quod secundæ causæ nihil effectiue producant, sed Deus sit ille, qui ad earum præsentiam omnia efficit. Sed hęc opinio errat in fide, cum Scriptura dicat Deum dedisse terræ, germinare herbam virentem, & animam viuentem, Arboribus fructus facere, Soli illuminare, Animalibus generare, igni calefacere, &c. Nam ad dignitatem primæ causæ pertinet assumere secundas causas ad producendos suos effectus, quoad executionẽ, & si non quoad primam cohordinationem, ita enim suauiter operatur omnia in omnibus.

Secunda sententia fuit Auicebron, in libro fontis vitæ, negantis corporibus efficientiam, & illam tantum spiritualibus attribuentis. Sed hæc vt superior reijcitur, nec enim necesse est, vt omnis causa effectiua tactu corporeo penetret rem in quam agit, sed sufficit quod eam, vel extrinsece tangat, vel virtutem suam in illam immittat.

Tertia sententia fuit Auicennæ, in primo suæ suffr. cap 10. & 4. suæ Metaphys. cap. 4. & 5. scilicet, quod prima intelligentia secundam produxit, & secunda tertiam, & sic vsque ad vltimam, quæ tãdem omnes formas in materiam introducit, adeo vt corpora solum operentur, non in producendo formam, sed disponendo materiam. Sed hæc opinio duos errores continet. Primus est, quod omnia non sint à Deo creata, & secundus quod corpora solũ accidentia dispositiua

producant, & non formam, cum clarum sit Leonem generare Leonem, & Bouē, Bouem. Vltima igitur sententia communiter recepta est. Quamlibet causam secundam, propriam virtutem habere ad proprium effectum producendum, vt docuit Aristot. 7 Phys. à textu 29. vsque ad 39. & 5 Metaph. cap. 2. & 1. Metheorum cap. p. de qua re ad longum ago, in 8. Metaph. ibi vide.

Deus operatur cū secundis causis. Quinto adnotādum venit, quod Deus operatur omnia in omnibus, non solus, sed cum causis secundis, concurrendo cum ipsis, non solum immediatione virtutis, attingendo omnem productionē, verum etiam suppositi, habendo immediationem suppositi cum secunda causa, non vt causa totalis eiusdem ordinis cum secunda, sed vt causa totalis diuersi ordinis, sufficiens, & perfecta. Nam & si causa secunda totalis dicatur sufficiēs in suo ordine, non tamen talis dicitur absolute, & simpliciter, vnde dependet à Deo, à quo habet efficientiam, & motionem. Ideo merito S. Augustinus quinto super Genesim ad litteram cap. 20. reijcit opinionem illorum (quam postea recepit Durandus in secundo d. p. q. 5. & d. 37. q. p.) qui dixerunt Deum secundas causas cum suis virtutibus produxisse, & postea eas reliquisse vt ipsemet sine alio Dei concursu effectus suos producerent. Hoc enim repugnat Domino nostro dicenti. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, & Actorum 17. vbi dicitur. In ipso sumus, mouemur &c.

Modificando prius eas. Sexto notandum venit, quod dupliciter possumus imaginari Deum concurrere cum omnibus causis ad agendum. Primo per impressionem alicuius praeuij mouentis causam ad agendum, prius, non prioritate temporis, sed naturae, quasi causa secunda secundum se sit veluti in actu primo ad agendum, quare si debeat exire in actum secundum, opus sit Deum ei aliquid prius imprimere, mouens eam ad agendum. Secundo non per impressionem alicuius, secundā causam praecedentis, sed per actualem motionem, & efficaciam receptam à prima causa, prout secunda causa non mouet, nisi mora à prima. His stantibus dico clarum esse apud S. D. p. p. q. 107. art. 5. ad secundum, & Capreolum in 2. d. p. q. 2. art. 3. & Aegidium art. 6. quod actio Dei mouentis secūdam causam ad agendum, non est distincta actio in genere actionis, & motionis ab actione secundae causae. Sed secundo tamen dicendum venit, quod cum hec actio sit Dei, & Creaturę, independens vt est Dei, & dependens, vt est Creaturae modificatiua, & determinatiua secundae causae ad agendum, vt docet idem S. D. p. p. q. 19. art 8. ideo necesse est praeintelligere in hac actione quoddam prius determinatiuum actionis Creaturę, non secundum prioritatem temporis, cum in vno, eodemque instanti supponantur prima, & secunda causa agere, sed prioritate naturae, & causalitatis, quia secunda causa non intelligitur sic agere, nisi vt prius intelligitur sic determinata ad agendum, non enim repugnat vnam eandemque actionem esse à duabus causis totalibus, & subordinatis diuersorum ordinum. Itaque concurrunt ambae causae, prima, & secunda, sed non eodem modo, quia prima agit independenter, & modificendo, & secunda dependenter, & vt modificata. Hinc primo infertur, Deum omnia suauiter operari in omnibus, idest secundum naturam secundarum causarum, ita vt in agentibus liberis, libere operetur, in necessarijs, necessario, & in contingentibus, contingenter, quia omnes causas modificat, & applicat ad agendum, non cōtra ipsorum naturam, sed iuxta eam; quapropter hic concursus in omnibus secūdis causis modificatus, erit effectiue, vt ab vna Dei virtute procedit, sed multiplex erit subiectiue, cum diuersificetur secūdum naturam suscipientium. Secundo deducitur Deum non solum agere comitando, & conseruando virtutem causae secūdae, sed etiam agere in causam, eam modificando, & applicando ad agendum, cum virtus secundae causae sit etiam primae, quamuis diuersimode. Tertio deducitur, quod Deus eodem modo operatur sine secunda causa, sicut operatur cum ea producendo effectum, quia tunc gerit vices virtualiter, & aequiualenter secundae causae.

Instrumenti actio ī quo cōsistat. Septimo notandum venit circa actionem causae effectiuae instrumētalis, quod varius est modus dicendi de eius concursu ad agendum, cum causa principali. Nam Scotus in 4. dist. 5. q. 1. & Durandus

in

in 2.dist.1. quæst.4. num.12. sunt in sententia, non esse instrumento aliquã actionem propriam necessariam ad agendum cum principali agente, & ideo sufficere tantum eleuationem eius factam à Deo. Sed hic modus dicendi reijcitur. Primo. Quia sic instrumentum tantum passiue concurreret, & non actiue, hoc autem falsum est, cum instrumentum connumeretur inter causas effectiuas. Secundo, q.a sic Deus posset assumere omnes creaturas indifferenter ad certam, & determinatam actionem, vt quantitatem, & relationem ad creandam animam Petri, quia in instrumento non pensatur secundum hanc opinionem, id quod ei conuenit secundum suam naturam, sed solum attenditur diuina motio, & tertio quia sic Deus non ageret suauiter, assumendo secundas causas, vt instrumenta ad producendos effectus eis commensurabiles. Hinc cõspicitur falsum esse, quod phantasma non concurrat instrumentaliter secundũ aliquid sibi proprium ad speciem intelligibilem eliciendam, & ita species sensibilis ad sentiendum, concurrũt enim suo modo, vt ostendo in tertio de Anima.

Secunda sententia tenet Deũ non posse assumere quamlibet rem vt instrumẽtum ad aliquem effectum producendum, qua propter esse necessariam vnitatem in instrumento effectui proportionato, vnde secundum hos, nec sacramenta, nec passio Christi sunt instrumenta physica gratiæ, sed tantum moralia. Sed etiam hæc sententia sic generaliter intellecta non bene quadrat, quia sacramenta assumi ad causandum gratiam, sustinet Scola D.Tho. & Deus potest vbi improportio reperitur, proportionem facere. Vltima igitur sententia est S.D 1.p.q 45.art 5.& ibidem Caietani, scilicet quod instrumentum debet habere aliquid proprium, scilicet propriam operationem, vel quid aliud ratione cuius ei correspondeat effectus, & hoc proprium debet esse proportionatum effectui, vel naturaliter, vel per eleuationem, ita vt tale sit, vel fiat. Hinc dicimus creaturam non posse creare, nec principaliter, cum non sit infinitæ virtutis, nec instrumentaliter, quia non potest eleuari, & sic proportionari ad habẽdam hanc operationem, vt sibi propriam, scilicet ad agendum in nihil, quod est necessarium ad creandum.

Octauo notandum venit duo esse in efficiente quibus agit. Primum dicitur principium primum, & radicale actionis, & hoc est substantia, verbi gratia, anima in intellectione. Secundum dicitur proximum, & immediatum, & hoc est potentia, vt intellectus ad intelligendum, & voluntas ad volendum, quia substantia non agit nisi mediante potẽtia, & sic dicimus accidens esse immediatum principium actionis, & generationis, sed in virtute substantiæ, & vt dicitur substantia causaliter, & si non entitatiue, vt ad longum ostendi in 7. Metaph.q 6. *Potẽtia est immediatum prĩcipiũ operationis.*

Ad primum ergo dictũ est, quod Deus operatur omnia, vt causa prima, cũ quo stat, quod quilibet effectus naturalis habeat suam causam proximam. *Argumẽta soluũtur.*

Ad secundum dicitur, quod illæ actiones cum sumantur vt in fieri, sufficit vt causa effectiua dicatur eorum causa vt in fieri, immo sufficit, quod sint à saltante, modulante, effectiue, &c.

De causa finali.

Tradit Aristot. cap.8. huius, & primo de partibus animalium c. primo, & primo Metaph.c.3. quod propter ignorantiam causæ finalis multi errauerunt, qua propter de fine multa sunt dicenda, remittendo lectorem ad plura alia, quæ de ipso diximus in 5. Metaph.

Primo ergo distinguẽdum venit quot modis sumatur, ne in æquiuoca laboremus. Finis ergo duplex est, scilicet. Primus, & proximus. Finis primus est vltimum appetibile, & desiderabile, ratione cuius omnia fiẽnda sunt, & hic finis est summum bonum, idest Deus ipse. Finis proximus ille est, qui immediate, & proxime ab agente intenditur, verbi gratia sanitas, vel cibus. Finis primus dicitur vltimus simpliciter, & proximus secundum quid, quia per agentem naturaliter quandoque non ordinatur ad finem vltimum, ad quem tamen ordinari potest, & debet. Quare non est de ratione omnis finis, quod non sit appettibilis propter alterum, sed tantum hoc conuenit vltimo fini, & si etiam proprio conuenire possit, non aptitudinaliter, cum natura finis proximi ordinetur ad finem vltimum, *Finis quotuplex sit.*

mum, sed actualiter, quia agens tunc actualiter non intendit finem vltimum.

Secundo diuiditur finis in finem cuius, & cui. Finis cuius est ille finis, qui intenditur ab agente, propter quem assequendum agens mouetur, vnde adeptus, dicitur finis factus, vt dum infirmus sumit medicinam propter sanitatem, sanitas enim est finis cuius, idest propter quẽ medicina sumitur, quæ assequuta dicitur finis factus, idest consequutus. Finis cui, qui etiam dicitur finis præsuppositus, est ille cui volumus finem cuius, verbi gratia infirmo sanitatem. Hi autem duo fines iuxta ea, quæ tradit S. D. p. 2. q. 1. ar. 8. & quæst. 2. art. 7. & quæst. 11. artic. 2. ad tertium, complete non habet nisi rationem vnius finis, quia finis cuius, ordinatur ad alterum, idest ad finem cui scilicet sanitas ad infirmum, vbi autem vnum est propter alterum, vnum dicitur tantum.

Tertio diuiditur finis elicitiue ex Aristot. 2. de Cælo, cap. 3. & in hoc 2. cap. 7. in finem operationis, idest quo mediante perficitur operans, vt generatione generans, & in finem rei factæ, vel genitæ, idest terminatis rem factam, vel genitã, quæ est forma terminans, vel generationem naturalem, vel factionem artificialem, quia introducta forma, cessant factio, & generatio.

Quarto diuiditur in finem formalem, & obiectiuum, seu quo, & qui. Finis formalis est operatio, qua mediante agens consequitur obiectum, vt clara Dei visione beatus fit beatus. Obiectiuus est obiectum ipsum, quod assequimur per finem formalem, verbi gratia Deum per claram Dei visionem.

Est vera causa realis

Secundo notandum venit, clarum esse in doctrina Arist. quod finis est vera causa realis. Hoc enim docuit hic cap. 3. & 2. Metaph. & 5. cap. 3. & probatur primo experientia in agentibus intellectualibus, operantibus aliquid à proposito, & non à casu deliberate, & non deliberate; effectus enim realis non dependet nisi à causa reali, scilicet à mouente realiter, intentionaliter, quare & si finis quoad executionem dicatur effectus agentis, idest vt est finis rei factę, vel genitæ, quo ad intentionem tamen agentem mouet.

Prima eius ratio est bonitas rei apprehẽsa.

Tertio annotandum est, quod prima ratio motiua in fine est bonitas rei, ex qua sequitur, quod radicaliter, & in actu primo fiat appettibilis, & consequenter moueat agentem ad eius consequutionem. Quod autem finis habeat rationem appettibilis, tripliciter intelligi potest. Primo quasi appettibilitas sit communis bono, & malo, quasi vtrumq. sit appettibile secundum se, vt amor, & odium, peccare ex malitia, & ex ignorantia, & sic Scotus in primo dist. 1. quæst. 4 & in 2. d. 43. quæst 2. & Ocham in tertio dist. 13. dub. 3. tenent appettibilitatem esse communem bono, & malo, quod probant, quia eadem est potentia contrariorum. Ergo voluntas quæ est potentia appettitiua, mouebitur à bono, & à malo. Sed hæc sententia est contra Dionysium de diuinis nominibus cap 4. D. Aug. secũdo confessionum, cap. 6. & 18. Greg. Nissenũ lib. de Opificio hominis cap. 20. Damascenum lib. 2. fidei c. 21. & Aristot. 1. Ethic. cap. 1. Hi enim omnes clamant, quod nemo intendens ad malum operatur, quia quidquid homo appetit, etiam si malum sit, illud tamen appetit sub ratione boni. Secundo etiam probatur talis opinio falsa. Quia voluntas mouetur ab intellectu secundum quod illi repræsentat obiectũ, sed intellectus nõ repræsentat obiectum voluntati, nisi sub ratione eligibilis, & conuenientis. At malum vt malum intelligibile est, vt repugnans voluntati. Quod autem dicunt potentiam esse contrariorum, intelligitur quando vtrũque habet rationem conuenientis cum potentia, non vero quando vnum habet rationem disconuenientis, quia tunc in conueniens fertur positiue, & in disconueniens negatiue. Secundo modo potest intelligi, quod appettibile dicat rationem boni non cum determinatione, sed cum indifferentia, verbi gratia, ire in plateam sine determinatione boni, vel mali (nam dantur actus indifferentes.) Sed & hæc opinio reijcitur. Primo, quia indifferens, vt est indifferens non mouet, sed vt apprehenditur tanquam conueniens, vnde indifferentia actus consistit in actu signato; nam in actu exercito nihil mouet nisi apprehendatur sub ratione conuenientis. Et ideo dicendum est cum S. D. p. 2. q. 1. art. 4. & Alensi 1. p. quæst. 12. & Aristot. hic tex. 31. & 1. Ethic. cap. 7. quod appettibilitas finis mouet in actu exercito, vt finis

finis apprehenditur sub ratione determinata boni, & conuenientis.

Eius causalitas stat Iattrahere. Quarto notandum venit, quod causalitas finis bifariam considerari potest. Primo radicaliter, & quasi in actu primo, & sic habet mouere, attrahere, allicere, & inuitare voluntatem ad sui amorem, obiectiue. Secũdo actualiter, vt hæc omnia habet in actu secundo, & sic in actuali attractione consumatur tandẽ eius causalitas actualis, & formalis, vt docet S.D. de potentia quæst.5.art.1.& quæst.22.de veritate, art.2. & est sententia Alberti Magni 5 .Metaph.tract.1.cap.3.Soncinatis,quæst.2. Auicennæ in 6. suæ Metaph.tract.5.cap.5.Heruei quod.2.quæst.1.& quæst.8.& Antonij Ruuio hic tract.5.de causa finali,quæst.3.contra Connimbricenses hic, cap.7. quæst.21. ponentes aliquid reale saltem intentionale impressum realiter in motum ad finem, vnde dicunt quod in hac impressione consistit actio finis. Hæc enim vera sunt de ratione fundamentalis finis,non autem de formali,& cõpleta. Verum est tamen,quod si per impressionem præcedentem actionem intelligamus primam radicem motionis, verum dixerunt cum S.D.p.2.q.2. artic.1. quia causaliter, impressio conuenientiæ finis præcedit actionem actualem motionis finis.

Omnes actus humanisũt propter finem. Quinto notandum venit cum S. D. p. 2.q.1.art.1. omnes actus humanos (sint circa finem, vel circa media ad finem, ante, & post consequutionem finis) esse propter finem, & ideo esse effectus causæ finalis. Sed hoc intellige non eodem modo, quia actus humanus vt est circa finem est necessarius specificatiue, quia appetitus naturaliter trahitur à bonitate finis, vt docuit S.D. cum Ferrariensi p.contra Gentes c.75. scilicet quod causalitas finis in hoc consistit, quod propter ipsum alia desiderentur, non specificatiue, quia sic mouetur volũtas à fine, sed elicitiue, & libere, idest cum indifferentia eligibilitatis horum, vel aliorum mediorum ad finem. Ita actus humani antequam finis sit adeptus sunt circa ipsum, vt circa rem habendam, at dum adeptus est, sunt circa ipsum, vt circa rem habitam, & possessam, ex quo tunc appetitus cum fine coniungitur, & sic per eum terminatur, & perficitur, vnde illa coniunctio non excludit finem, sed ipsum includit, quo ad eius esse adeptum.

Sexto esset disputandum an finis moueat voluntatem vt ab extra est, vel vt in apprehensione ponitur, sed hanc quæstionem discussimus in quinto Metaph. q.2. ibi vide.

De causa exemplari.

Exemplar quid sit. Exemplar secundum S. D. p.1.q.15. art.1. idem est quod forma, & similitudo, & secundum Platonicos dicitur Idea. Exemplar autem sic diffinitur ab eodem S. D. quæst.3. de veritate art.1. his verbis. Exemplar est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis, determinantis sibi finem. Primo ergo ponitur ly forma loco generis, quoniam multiplex est forma. Secundo dicitur quam effectus imitatur, ad differentiam formarum, ad quas effectus non sequuntur. Tertio dicitur ex intentione agentis, ad differentiam formarum, & imaginũ, quæ non sunt institutæ ad repræsentandum simile. Quarto dicitur determinantis sibi finem, ad differentiam formarum naturalium, quæ per se non determinat sibi finem. Hæc autem diffinitio proprie, & necessario conuenit exemplari interno, quod sibi efformat artifex, ad similitudinem cuius intendit aliquam rem ei similem facere, nam exemplar externũ, verbi gratia domus fiendæ, descriptum in papiro, vel tabula, quamuis retineat veram rationem exemplaris iuxta illud. Fac iuxta exemplar, quod tibi in monte non stratum est, non tamen hoc exemplar semper est necessarium, quia Artifex sine eius descriptione potest operari, secundum exemplar quod in mente habet. Cætera quæ spectare possunt ad causam exemplarem habes in octauo Metaphys. vbi de Ideis agitur, & dicemus 1.p. quæst.15.

QVAESTIO XV.

Vtrum causæ sint sibi inuicem causæ.

Videtur quod non. Primo. Nam causa causæ, est etiam causa causati, ex lib. de causis, propositione prima. At si materia est causa formæ, & forma materiæ,

riæ, erit etiam causa sui ipsius, quia scilicet causat formam, & causatur à forma.

Secundo. Idem non potest esse prius, & posterius. Sed causa vt causa, est prior causato, & vt causata erit posterior. Ergo

Tertio. Finis est prima omnium causarum simpliciter. Ergo non dependet ab efficiente, quia sic esset causa solum secundum quid.

Quarto. Causalitas formę est actuare. Sed hoc non potest habere materia, sicut nec finis habet ab efficiente, vt sit id cuius gratia aliquid fit. Ergo causæ nō sunt sibi inuicem causæ.

In contrarium est Arist. hic tex.30. & 5.Metaph.tex.2.

Causæ sunt sibi inuicem causæ. Dicendum ergo venit, quod propositio Phylosophi vera est, his conditionibus subintellectis. Prima est, quod generaliter erit vera, ascendendo in causis, ob necessarium nexum quem habent inferiora cum superioribus, non vero erit vera generaliter descendendo, nam materia dependet à forma, forma ab efficiente, & efficiens à fine, nō autem omne efficiens, & finis à materia, & forma dependent, vt patet in separatis, cum hoc tamē quod efficiens semper dependeat à fine, vel actualiter, vt patet in creatis, vel virtualiter vt in Deo, quia omnia propter suam bonitatem operatur. Sed hæc prima conditio quamuis necessariam connexionem causarum ostendat, non tamen explicat, quomodo causæ sint sibi inuicem causæ, cum notum sit, materiam non causare esse formæ. Ideo secunda conditio erit, quod causæ sunt sibi inuicem causæ suo modo. Ideo forma est causa materiæ, vt ei dat esse, & materia est causa formę, vt eam sustentat, & limitat, finis erit causæ efficientis quoad operationem, quia agens agit propter finem, & efficiens erit causa finis quo ad terminum, quia efficiens conducit motionem intentionalem finis ad executionem, & terminum. Ideo apponitur. Tertia conditio, vel dicamus additur tertia glossa, scilicet quod causæ sunt sibi inuicem causæ, respectu vnius in quo concurrunt, hoc in quam intelligitur aliquo modo prout possunt, & conuenit. Hinc materia dicitur causa formæ sustentatiue, quia eam sustentat, efficientis receptiue, quia eius actionem, & formam ab eo inductam recipit, finis dicitur causa suppositiue, quia finis non mouet agentem ad aliquid agendum, nisi materiam supponat, in quam actio fieri debet. Ita forma est causa materiæ quoad informationem, efficientis quoad terminationem, quia eius actionem terminat, & finis quo ad perfectionem, quia finis mouet ad esse perfectum, prout possibile est.

Itaque inuenimus causas aliquo modo esse sibi inuicem causas.

Ad primum ergo dicimus, quod hæc propositio. Quod est causa causæ, est etiam causa causati, valet tantum in eodē genere causarum, & nō in diuersis. Ideo verbi gratia, sol est causa lucis, & caloris, quia ad hæc effectiue comparatur, nō vero est causa materiæ, nec formæ, quia materia, & forma sunt in alio genere.

Ad secundum dicimus ad maiorem, quod idem secundum eandem rationem, non potest esse prius, & posterius, causa, & effectus, at secundum diuersas rationes, & in diuerso genere causarum, in quibus solum propositio verificatur vtique, vt ostensum est.

Ad tertium dicitur, quod finis non vocatur prima omnium causarum simpliciter, omnibus modis. Sed simpliciter prioritate motionis, quia primo mouet.

Ad quartum diximus, quod causæ non sunt sibi inuicem causæ quoad esse, quasi vna producat esse alterius, sed dicitur causa causæ aliquo modo, & suo modo, vt declaratum est.

LECTIO XI.

S. D. VI.

Modi autem Causarum, &c. Tex. 32.

POstquam Phylos. ostendit quot modis dicantur causæ, modo intendit declarare quot sint modi causarum.

Primo ergo dicitur, quod si modi causarum secundum numerum, seu in particulari sumantur, multi sunt. Sed principales pauciores reperiuntur. Primus ergo modus erit, quod aliqua causa dicitur prior, & altera posterior, verbi gratia sanitatis causa prior erit Medicus, prout dicitur Artifex, & posterior, vt dicitur Medicus. Hic autem modus saluatur in

Causis

Causis eiusdem generis ad effectus comparatis.

Secundus modus causarum est, quod quædam causæ dicantur per se, scilicet quæ operantur in quantum tales, & quędam dicuntur per accidens, quæ operantur non in quantum tales, sed prout accidunt causis, per se agẽtibus, verbi gratia statuarius vt statuarius est per se causa statuę, quod autem statuarius vocetur Policletus, hoc est per accidens. Subdit quod tam causæ per se, quàm per accidens, quędam sunt priores, idest vniuersaliores, & quædam posteriores, idest minus vniuersales verbi gratia statuarius erit causa vniuersalior quam homo, vel animal. Scito autem quod causa per accidens hic sumitur vt dicitur talis ex parte causæ, & non ex parte effectus.

Tertius modus est, quod quædam causæ dicuntur actu operantes, idest quæ actualiter operantur, & quædam potentia operantes, quæ non actu operantur, sed sunt in potentia ad operandum, sicut ædificans actu, dicitur causa domus in actu, & ædificare potens dicitur causa in potentia. In his autem causis, accidunt modi superius positi scilicet vniuersalis, & particularis causæ, per se, & per accidens.

Quartus modus causarum est, quod quædam dicuntur causæ complexæ, & quædam incomplexæ, quare subinfert hos modos vniuersaliter esse sex, qui tandem in duodecim resoluuntur, scilicet causa vniuersalis in actu, & vniuersalis in potentia, particularis in actu, & particularis in potentia, per se actu, & per se potentia, per accidens actu, & per accidens potentia, simplicis actu, simplicis in potentia, complexa in actu, & complexa in potentia.

Vniuersale duplex in causando, & in prędicãdo. Secundo loco principali assignat quædam discrimina inter modos harum causarum. Primum ergo est, quod causa in actu semper simul est cũ effectu in actu, causa in potentia, nequaquam. Secundum est, quod in scientia oportet semper quærere primam causam, idest immediatam, vel secundum alios vniuersalem. Tertium est, quod effectibus debent assignari proportionariæ, & propriæ causæ, & hæc erunt quasi pro corrollarijs.

Sed circa supradicta primo notandum est cum S.D. quod causa vniuersalis duplex est. Prima dicitur vniuersalis in prædicando, quo modo dicimus Artificem sanare infirmum. Secunda dicitur in causando, secundum quam dicimus solem hominem generare tanquam causã generationis vniuersalem, hominem vero tanquam causam proximam, & propriam. Conueniunt autem istæ causæ in hoc, quod sunt magis abstractæ, quam minus vniuersales. At hoc intelligas de abstractione formali, qua quantum res magis à materia elongantur, tanto abstractiores dicuntur, & sic perfectiores, non autem hoc verum est de abstracto abstractione vniuersalis, qua confusum, idest genus abstrahitur à distinctis, idest speciebus, & indiuiduis, tale enim abstractum non dicitur perfectius minus abstracto, sed imperfectius, & confusius.

Causa, et effectus simul sũt accommode. Secundo notandum venit circa illud dictum, scilicet quod causa, & effectus simul sunt, hoc posse dupliciter interpretari. Primo vt causa, & effectus dicantur semper simul esse actu, & hic sensus est falsus, quia ædificator potest esse, & non ędificare. Secundo vt dicantur esse simul accommode, ita vt causa eo modo quo est causa, semper simul sit cum suo effectu, ita vt si est causa in actu, simul sit cum effectu in actu, vt sunt simul illuminare, & illuminatio; si erit causa in fieri, simul sit cum effectu in fieri, sicut calor simul est cum calido dum calefit; si erit causa in potentia, sit simul cum effectu in potentia, vt est domus ædificanda cum ædificatore, potente ædificare.

Vniuscuiusq; effectus summa causa est q̃renda. Tertio adnotandum est circa alteram propositionẽ, ab Ari. assumptam tex. 38. Quod oportet vnius cuiusq. causã summam quærere, quod per causam summã aliqui interpretantur, causam proximã, & mediatam; quare dicunt hanc causam debere habere tres conditiones. Prima est, quod sit per se; quia effectus per se, non est reddenda causa per accidens; Secunda est, quod sit propria, & non vniuersalis, vnde si interrogetur cur Medicus sanat, non bene respondebimus dicendo, quia est Artifex, non enim omnis Artifex sanat, sed dicemus, quia est Medicus, quia vt Medicus sanat. Tertia est, quod sit immediata, quoniam si Medicus sanat, sanat inquantum est Medicus. Oppositum

positum videtur sentire S. D. dum ait, quod per causam summam intelligimus causam vniuersalem, quia si interrogemur, cur homo ædificat, non satisfaciemus dicendo, quia est ædificator, quia interrogans vlterius instabit, cur sit ædificator, & sic erit ei respondendum, quia habet artem ædificatiuam, & tunc cessabit omnis inuestigatio, & satisfactũ erit interroganti. Sed hoc intellige, non de causa vniuersali cõmuni, sed de propria. Secundo hoc intellige, quando interrogator quærit de prima radice effectus, & non de immediatæ causa. Tertio, quod loquimur de prima causa non absolute, sed in illo genere. Et quarto, quod loquimur de termino rei scitę, quia secundum se scitur per immediata.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum vnius, & eiusdem effectus possint esse plures causæ totales, eiusdem ordini, &c.

Videtur quod sic. Sint tres ignes æqualis virtutis, eodem modo stupæ approximati, & horum quilibet per se, & vt causa totalis possit illam stupam cõburere, tunc simul eam comburant, cum omnes illæ tres causę sint totales, & eiusdem ordinis, & effectiuæ, profecto vnius & eiusdem effectus erunt plures causæ totales, &c.

Secundo. Demus Sortem esse à Platone, ita vt non possit esse ab alio, & Plato sit ab Euripide, quod non ab alio, & sic in infinitum. Tunc enim apparebit generationem horum indiuiduorum in infinitũ tendere, & sic in essentialiter ordinatis, erit processus in infinitum. Hoc autem est contra Aristot. 2. Metaph. Ergo &c.

Tertio. Idem effectus potest simul à pluribus causis corrumpi. Ergo & fieri. Antecedens patet, quia homo potest simul corrumpi, & ab igne, & à ferro. Consequentia probatur, quia non videtur maior ratio de generatione, quam de corruptione.

Quarto. Plures causæ possunt producere eandẽ sensationem, vt si plures soni sibi succedentes causent auditionem, vel plures albedines, potentiæ visiuæ immutationem, (fiat hoc vel naturaliter, vel supranaturaliter.) Sed tunc eiusdem sensationis erunt plures causæ totales, & eiusdem ordinis. Ergo &c.

Quinto. Ponamus vnum luminare illuminare in summo vnam aulam, tunc Deus addat huic aulæ alterum luminare in summo illuminans eandem aulam, tũc certe eiusdem effectus, id est illuminationis aulæ, erunt duæ causæ totales, & eiusdem ordinis.

Sexto. Plures Dæmones idem corpus vexant, & vexare possunt, vt causæ totales vexationis. Ergo eiusdẽ effectus possunt esse plures causæ totales, &c.

Septimo. Demus duos Angelos in eodem instanti, suam virtutem applicare, vt duas causas totales ad vnum locum, & vnus mentem alterius ignoret, & in eodem instanti vterq. intendat producere vnum, & eundem effectum, tunc apparebit, quod vnius, & eiusdem effectus erũt plures causæ effectiuæ.

Sed in contrarium stat Arist. hic.

Eiusdem effectus non possunt esse plures causæ eiusdẽ generis.

Pro decisione huius quæst. primo sciendum est, quod causæ quædam sunt eiusdem generis, & quędam diuersorum generum. Causæ eiusdem generis sunt, quæ eodem genere causandi causant, sicut sunt duæ causæ efficientes, duæ formales, &c. Causæ autem diuersorum generum illæ sunt, quæ in diuerso genere causandi ad effectum producendum concurrũt, vt causa materialis, formalis, &c. Quod igitur eiusdem effectus possint esse plures causæ diuersorum generum admittitur, sed quod possint esse plures eiusdem ordinis hoc est, quod controuertitur. Nam quidam affirmatiuam tenent, sed communis opinio negatiua est.

Nec ordinis.

Secundo ergo notandum, quod causæ eiusdem generis sunt in duplici differentia. Nam quædam dicuntur eiusdem generis, & ordinis, vt duæ causæ effectiuæ, proximæ, & immediatæ. Aliæ vero dicũtur diuersorum ordinum, vt causa prima effectiua, & proxima, finis vltimus, & proximus &c. Modo admittimus eiusdẽ effectus posse esse plures causas diuersorum ordinum, quia verbi gratia, sol et causa vniuersalis generat hominem, & homo vt causa particularis, vnde hoc disputamus de causis eiusdem generis, & ordinis.

Sed

Totalis. Sed tertio notandum est, quod loquimur de causis eiusdem generis, & ordinis, & totalibus, quæ scilicet ex se, & nullo alio sibi addito sufficiunt ad producendum effectum, nam quod eiusdem effectus, eiusdem generis, & ordinis possint esse plures causæ partiales, verbi gratia, multi trahentes Nauem, non cadit sub difficultate, sicut nec quando hæ causæ respiciunt diuersos effectus secundũ numerum, sermo enim est de vno eodemq. effectu secundum numerum.

In naturalibus. Quarto vlterius notandum est, quod quædam sunt causæ naturales, & quædã voluntariæ. Causæ voluntariæ sunt, quæ libere operantur, & ad finem mouentur, secundum quod ipsæ determinant. Causæ vero naturales sunt, quæ determinate ad finem mouentur. Non negamus quod causæ liberæ possint habere plures fines totales, vt quod homo vadat in Plateam, vt amicum videat, panem emat, vt Inimico reconcilietur, sed hoc negamus in causis naturalibus, & determinatis.

In generatione. Quinto adnotandum venit, non esse eandem rationem de productione rei, & de eius corruptione, quia natura ad generationem procedit determinate, ad corruptionem vero confuse, & inordinate, vnde non videtur inconueniens, quòd plures causæ eiusdem generis, ordinis, & totales concurrant ad rei corruptionem. Hoc tamen absolute non est accipiendum, si in causis his eundem modum operandi postulemus, in actu secundo.

Sexto igitur notandum, quod ad vnitatem effectus non solum requiritur vnitas materiæ, quæ nimis generalis est, loquendo de materia prima, sed requiritur etiam vnitas agentis, & formæ, de qua re in quinto agemus.

Conclusio probatur. Quoad secundum ergo conclusio negatiua est. Eiusdem effectus non possunt esse plures causę, eiusdem generis, & ordinis, & totales Probatur primo. Natura abhorret superfluum, qui si superfluitatẽ admitteret, vitiosa esset, & non bona, cõtra illud Genesis primo. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Ergo eiusdem effectus non possunt esse plures causæ totales, &c. quia vna esset superflua.

Secundo. Determinatus effectus à causa determinata procedit. Ergo eiusdem effectus non possunt esse plures causæ, &c. Probatur sequela quia si. A. effectus esset à B. E. & D. causis totalibus, si esset à B. causa determinata, non esset à C, vel D.

Tertio probatur auctoritate Phylosophi in 5. Metaph.

Argumenta soluuntur. Ad primũ dicitur, quod tunc non causarent vt plures causæ, sed per modum vnius. Alij dicunt quod illa stuppa non combureretur, quia ignes illi in applicatione virtutis se impedirent. At aliqui impugnant hanc responsionem, quia ibi esset causa in actu, debite approximata, & ibi esset cõbustibile. Sed dicitur, quod illi ignes impedirentur à natura vniuersali, abhorrente superfluum, & cõfusum.

Ad secundum dicimus, quod in Causis necessario connexis non sit processus in infinitum duobus modis potest intelligi. Primo ita vt omnes istæ Causæ simul, & in actu operentur, & hoc est falsum. Secundo ita vt aliqua ex his causis actu operetur, alia vero nequaquam, & hoc verum est. Nam Plato filius est à Sorte patre, vt à causa in actu, ab Auo, vero, Prouo, & Attauo, est vt a Causis non actu operantibus, sed virtute, & potentia.

Ad tertium dictum est, quod procedit de corruptione, nos autem loquimur de generatione. Sed vlterius addimus, quod non eodem modo operarentur, sed concurrerent vt concausæ.

Ad quartum dicendum, quod non esset eadem sensatio, quamuis a potentia non apprehẽderetur variatio, variaretur tamen effectus, quia variarentur causæ.

Ad quintum respondemus sicut ad primum.

Ad sextum dicendum, quod plures Demones esse in vno loco stat dupliciter. Primo materialiter, quia reperiuntur intra terminos continentis. Secundo formaliter, & vt Causæ totales operantes, secundum totam eorum potẽtiam ad vexandum corpus. Primum admittimus, & secundum negamus, dato quod quilibet Dæmon esset causa totalis vexationis.

Ad septimum dicimus, quod casus est impossibilis in Angelis beatis cum hi agant ex diuina ordinatione. Secundo dicimus, quod vel tunc se impedirẽt quãdo virtutem suam ad effectum producendum applicarent; vel si non se impedirent,

rent, vel à natura vniuersali non impediuntur, tunc vt concausæ concurrerent. Sed cõtra arguitur, quia si ponamus vnũ Angelum mentem alterius ignorare, & consequenter in eo instanti in quo alius virtutem suam applicat ad producẽdum effectum, & ipse eam applicet propter eundem effectum, cum idem non possit esse instans applicationis, & impedimenti, videtur eiusdem effectus esse plures Causas totales. Respondetur, quod applicatio vtriusque virtutis erit in impedimentum, quia natura abhorrens superfluum, non permittet has virtutes suos producere effectus.

QVÆSTIO XVII.

An per absolutam Dei potentiam vnius, & eiusdem effectus, possint esse plures causæ totales, &c.

Negatiuam opinionem habuit Scotus, in 2.d.20.q.2. & in 3.d.p.q.2. Capr. in 2.d.2.q.vnica, art.3. & in 3.d.p.q.p.art.3. Ferrariensis tertio contra Gentes, cap.68. Iauellus 5.Metaph.q.7.& Soncinas q. 6. quam probant.

Primo. Quia implicat duas causas adæquatas, ad eundem effectum concurrere, si enim causæ sunt adæquatę, vna non admittit aliam, quia sic non esset causa adæquata.

Secundo. Sic idem effectus bis produceretur. Nam actiones distinguuntur per causas agentes diuersas. Tunc essent duę Causæ. Ergo & duæ actiones, & duo effectus.

Tertio. Quia sic effectus à nulla earum dependeret, nam si dependet ab A. tanquam à causa totali, non dependebit à B &c.

Quarto. Quia effectus determinatus, est à causa determinata.

Oppositum tenet Caiet.p p.q.52.ar.3. Fonseca 5.Metaphys.cap.2 1.q.15. sect.p. Suarez in Metaph. disp.26.sect.4. & Ruuio hic, tract.de comparatione causarum q.2.& Probatur primo. Quia Deus potest facere, vt per modum vnius causæ concurrerent, & secundo agendo ne mutuo se impedirent, quod malum non esset in ordine ad eius prouidentiam, pro eo tempore, sic has causas disponentem.

Ad primum ergo dicitur, quod essent duæ Causæ adæquatæ ex parte causæ, nõ vero ex parte effectus, quia ab ijs dependeret sicut ab vna Causa.

Ad secundum dicimus, quod tunc illæ actiones vnirentur in vno termino.

Ad tertium dicitur, quod ab vtraque esset per modum vnius.

Ad quartum dicimus, quod tunc determinatus effectus, esset à determinata causa, quia quamuis illæ causæ essent plures materialiter, non tamen formaliter, quia se haberent per modum vnius.

CAPVT IV.

LECTIO XII.

S. D. VII.

Dicitur autem fortuna, & casus, &c. Tex. 40.

Postquam Phylos. causas diffiniuit, & numerum earum tradidit, modo consequenter agit de causis vniuersalibus, & immanifestis.

Primo ergo dicit, quod postquam dictum est de causis, insuper tractandum restat de Casu, & Fortuna, & quomodo differant, & quid vtrumque sit. Aggrediendo ergo negotium ait, aliquos fuisse, qui fortunam, & casum negauerunt, duabus rationibus ducti. Prima est. Quæ habent determinatam causam, à casu, & fortuna non fiunt. Sed omnia habent determinatam causam, quod enim aliquis fodiendo sepulchrum inueniat thesaurũ habet determinatam causam, idest ipsam fossionem, sine qua thesaurus non esset inuentus. Secunda ratio est. Quia Antiqui agentes de generatione, & corruptione, nullam mentionem fecerunt de fortuna, & casu, quia existimauerunt hæc non dari.

Secundo loco soluit prædictas rationes, & ad secundam dicit, mirabile fuisse antiquos non fecisse mentionem de fortuna, & casu agentes de principijs rerum naturalium, quare debebant tractare de fortuna, & casu, vnde eis incumbebat inquirere an fortuna sit causa, vel non, & an in rebus reperiatur, vel non. Inconueniens est ergo ait Phylos. quod Antiqui

nō fecerint mentionem de fortuna, nam si tenuerunt eam esse, debebant de ea mentionem facere. Si negauerunt eam esse, obstabit Empedocles, qui dixit à fortuna fuisse, aerem supra terram collocatum esse, voluit enim quod lite res separāte acciderit, & fortuito euenerit, quod aer super terram collocaretur. Primam autem rationem soluebit infra.

Tertio loco ponit opiniones quorundam, qui fortunam, & casum admiserunt. Dicit ergo, quosdam fecisse cælum a fortuna, & à casu esse, ponentes fortunam, & casum causas cæli, & omnis motus stellarum, & reuolutionum mundi. Quæ opinio videtur fuisse Democriti, dum dixit, ex concursu attomorum, cælum, & astra casualiter facta fuisse.

Quarto loco hanc opinionem refellit. Mirabile est enim (ait Phylos. animalia, & plātas habere causam determinatam, & non esse à fortuna, & casu, nam homo solum ex semine Maris, & fæminæ generatur, & oliua, ex semine oliuæ, & ideo mirum erit quod corpora cælestia excellentiora, & diuiniora, à fortuna, & casu sint.

Quinto loco adducit alteram positionem Antiquorum, tenentium fortunam, & casum esse causas immanifestas, quadā diuinitate falcitas. Quibus opinionibus stantibus, pollicetur se velle tractare de fortuna, & casu secundum veram Phylosophiam.

De fortuna multi tractāt. Circa supradicta primo notandum est, quod de fortuna agunt multi. Sed diuersimode. Nam Rethor agit de fortuna augendo, aut minuendo. Minuendo, verbi gratia delictum homicidij alicuius dicet. Casus omnino fuit inopinatus, sedato enim animo domo exiuit, & finis fuit ad inuisendum amicum non loricatus, non sociatus, accidit vt inimicum inueniret, & impensate eum occiderit. Augendo vero, sociando casum, omnibus conditionibus eum aggrauantibus. Item Logicus de casu, & fortuna tractat excludendō fortuita, & casualia à scientia, & diffinitione. Metaph. vero agit, & ipse de contingentibus, & fortunis, tum quia est generalis Artifex, tum quia demonstrat bona omnia necessario euenire. Item Moralis de his sermonem facit, ostendendo an fœlicitas nostra possit cōsistere in rebus fortuitis, & quantum fortuita existimare debeamus. Theologus vero agit de fato, & fortuna, vt ostendat nihil posse accidere præter diuinam prouidentiam, omnia suauiter disponentem. At Physicus de his tractat reijciendo falsas veterum opiniones de fortuna, & casu, & disputando an sint Causæ, & quæ causæ.

Fortunæ descriptio. Secundo notandum venit circa vltimā opinionem fortunæ, videlicet quod esset quædam causa immanifesta, & diuina, quod tantæ excellētiæ fuit apud veteres fortuna, vt multa tēpla ei ædificauerint, & consecrauerint. Eam autē pingebant, mulierem cæcam supra rotam voluntatem, veste alba, & nigri coloris indutam. Distinguebant rotam in quatuor partes, & in vnaquaque Regem cum diademate constituebant. Qui in suprema parte sedebat, diadema in capite habebat, & dicebat. Regno. Qui vero in infima parte proiectus stabat, diadema ad pedes tenebat, & dicebat Regnaui. At qui in parte cadente insidebat, cum diadema pariter cadente remanebat, & dicebat Regnabō. Sed qui in parte assurgente cōsurgebat, diadema in manu tenebat, & dicebat Regnabo. Pinxerant ergo eam supra rota, vt innuerent fortunam volubilem esse, & in fortuitis nullam spem esse collocandam, sed tantum in virtutibus, & bonis operibus esse constituendam. Fecerunt eam cæcam, vt annuerent eam quandoq. bona malis dare, & quandoq. bonos malis subijcere. Eam induerant duplici colore, scilicet albo, & nigro, vt ostenderēt eam duas partes habere, idest fortuniū, seu dicamus bonam fortunam, & infortunium, idest malam fortunam de quibus infra.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum aliqua eueniant fortuita.

Videtur quod non. Nam omne quod fit, habet determinatam causam. Sed determinata causa habet determinatum effectum. Ergo non fortuitum.

Secundo. Omne ens per accidens reducitur ad ens per se. Ergo omnis effectus per accidens, reducitur ad causam per se. Sed causa per se nihil fortuito operatur, vt hic Phylos. testatur. Ergo, &c.

Tertio. Omne volitum, & ordinatum ab aliqua Causa, non potest dici fortuitum. Sed omnia quæ eueniunt in hoc inferiori Hemisperio à prima Causa volita sunt, & ordinata. Ergo &c.

Quarto. Omne vere causatum, veram habet causam. Sed omnis effectus est vere causatus. Ergo habebit causam per se, & non per accidens, idest fortuitam.

Quinto. Omne quod est, à legitima causa est, teste Platone. Sed legitima causa per se producit effectum. Ergo nihil erit à fortuna.

Sexto. Omnis Actio terminatur ad determinatum finem, per Phylosoph. infra. Ergo nihil erit fortuitum, & casuale.

Effectus fortuit' respicit causam proximam.

Pro resolutione huius quæstionis. Primo erunt aliqua notanda, & deinde formaliter erit respondendum argumentis.

Quo ad primum ergo, primo notandum est, non esse inconueniens, quod vnum duobus comparatū respectu vnius vnam rationem habeat, & respectu alterius aliam. Nam si effectus ad causas proximas compararetur, non erit inconueniens, quod aliquid fortuito eueniat, idest præter intentionem agentium particularium. At si compararetur ad Causam vniuersalem, hic effectus nō erit fortuitus, sed intentus, nam verbi gratia. Dominus mittit duos seruos in forum, ad emendum pisces, vno ignorante aduentum alterius, modo sibi occurrunt in foro, hic occursus respectu seruorum est casualis, sed respectu Domini eos mittentis non est casus fortuitus, sed intentus. Causæ autem vniuersales sunt Deus, & intelligentia mouens cœlum, & respectu horum non datur fortuna, & casus, vt ostendo in 8. Metaph.

Et vniuersalē quomodo.

Secundo sciendum venit, quod intelligentia dupliciter cōsiderari potest. Primo in ordine ad effectus, quos ipsa regulariter vt causa à Deo ordinata producit, & sic nihil accidit fortuito respectu intelligentiæ, cum sit causa vniuersalis. Secundo potest considerari in ordine ad Deum, aliquid super naturam disponentem, vt fuit quando stare fecit solem contra Gabaon, & retrocedere tempore Ezechiæ, & sic respectu eius potest aliquid fortuito euenire, quia tunc comparata ad causam vniuersalissimam se habet, vt causa particularis.

Tertio tandem sciendum, quod Alb. anceps fuit, an respectu primæ causæ aliquid fortuito euenire dicendum sit. Negatiuam enim partem tripliciter probauit. Primo. Quia sic periret liberum arbitrium, dato quod omnia immobiliter eueniant, vt à Deo ordinata, nam immobile ineuitabile est. Secundo. Quia sic intenderet monstra. Sed hoc est inconueniens, quia sic peruersa esset eius actio, & præter ordinem, & inclinationem datam naturæ. Tertio. Quia tunc nihil esset frustra simpliciter, quia intentum à primo agente, non potest dici frustra. Sed hæc sententia reijcienda venit, vt pugnans contra perfectionem primæ, & vniuersalissimæ causæ. Vnde ad primum dicitur, quod immobile est immutabile in sensu composito, idest vt scitum, vt volitum, & vt prouisum à Deo, sed non in sensu diuiso, idest in ordine ad suas causas immediatas, quia Deus vult omnia euenire suo modo, necessaria, necessario, contingentia, contingenter, & libera libere.

Ad secundū dicimus, quod Deus monstra intendit, prout vult ea euenire, non per causas necessarias, sed per defectibiles, & impedibiles.

Ad tertium. Negatur assumptum, quia nihil est frustra respectu primæ causæ, sed tantum respectu causæ immediatæ.

Ad primum principale, primo negatur maior absolute. Secundo dicimus, quod omne quod fit, si fiat a determinata causa efficaci, & non impedita, necessario erit, at causæ naturales defectibiles sunt, & impedibiles.

Ad secundum. Primo respondemus ad maiorem, verum esse quod omne per accidens reducitur ad ens per se, sed non tanquam ad causam proximam, sed vt ad primam, & sic omnes effectus fortuiti reducuntur ad Deum, tanquam ad causam per se. Secundo dicitur ad eandem, quod omne ens per accidens reducitur ad causam per se, non quod sit per se causa illius accidentis, sed alterius, ad cuius esse consequutiue sequitur effectus per accidens, & sic verum est, nam fodiens terram, per se intendit fossionem, sed per accidens consequitur eam inuentio thesauri. Tertio dicitur, quod sensus propositionis est duplex, scilicet quod omne accidens reducitur ad substantiam, &

quod

quod omnis effectus per accidens, supponit effectum per se.

Ad tertium dictum est.

Ad quartum dicimus, quod haec maior. Omnis effectus habet veram causam, potest dupliciter intelligi. Primo vt habeat veram causam per se, & determinatam, & hoc verum est de eo, quòd per se producitur. Secundo vt intelligamus habere veram causam, idest ei propriam, & sic verum est, quod illud quod per accidens producitur, habet propriam causam, idest non per se agentem, sed per accidens.

Ad quintum dicendum, quod ly legitima causa stat pro proportionata causa, & sic verum est, quod causa proportionata effectui fortuito, non est causa per se, sed per accidens.

Ad sextum dicendum ad maiorem, quod vera est respectu intendentis finē.

CAPVT V. & VI.

LECTIO XIII.

S. D. VIII.

Primum itaque cum alia semper eodem modo. Tex. 48.

ASsignatis opinionibus antiquorum de fortuna, & casu, procedit Phylos. ad veram diffinitionem fortunae, quā vt deducat multas distinctiones ponit, ex quibus tandem diffinitionem fortunae concludit. Prima ergo diuisio est. Quod quaedam semper fiunt, & necessario, vt ortus solis in mane, & occasus in sero. Quaedam vero fiunt frequēter, vt quod in cane sint aestus, & siccitates, & in hieme frigora, & pluuiae, & quaedam fiunt raro, vt quod homo nascatur cum sex digitis. Tunc subinfert fortunam non accidere in ijs, quae fiunt semper, vel vt plurimum, sed in ijs quae raro, & vt in paucioribus eueniunt. Secūda distinctio est, quod quaedam fiunt propter finem, & quaedam non. Tertia est, quod quae propter finem operantur, quaedam mouentur à natura, & quędam à proposito, seu à voluntate, quia tam natura, quam voluntas si mouentur, & operantur, mouentur, & operātur propter finē. Quarta distinctio est, quod quae fiunt propter finem, & à proposito, quaedam fiunt propter se, & necessario, & quaedam fiunt propter accidens. Subinfert ergo, fortunam accidere in agentibus à proposito, ob aliquem finem, quorum actio aliquādo frustari contingit, vnde sic elicit diffinitionem fortunae. Fortuna est causa per accidens, in his quae raro eueniunt, & à proposito agunt, propter finē. Hinc concludit quod fortuna in his accidit, in quibus intellectus reperitur.

Circa ista autem. Primo notandum venit circa primam diuisionem, scilicet, quod quaedam semper eueniūt, quaedam vt plurimum, & quaedam raro, quod ea quae necessario eueniunt. Primo incorruptibilia sunt, nam quae generationi, & corruptioni subduntur, deficere possunt. Secundo debent habere necessarium ordinem ad effectum, ita vt ille effectus sub alia ratione non saluetur. Et tertio, quod ab alia causa impediri non possit. Ea autem quae vt plurimum eueniunt habent quidem ordinem ad effectum, sed haec actio, quandoque potest frustrari. Primo ex dispositione superioris causae naturalis. Secundo ex debilitate agentis. Et tertio ex indispositione materiae. Ea autem quae raro accidunt, ordinem non habent ad aliquam causam per se, sed per accidens, idest quatenus contingit, quod causa per se, possit deficere. *Quadā fiūt semper, q̄dā necessario quadā raro.*

Secundo notandum venit circa secundam distinctionem, nempe quod quadā fiunt propter finem, & quaedam non. Quod alicui potest accidere dubiū, quomodo aliqua sint, quę nō operentur propter finem, cū natura, & intellectus propter finem agant. Ideo dicendum venit, quod aliud est omnia habere finem, & aliud omnia directe fieri propter finem. Primum admittimus, sed secundum negamus, nam verbi gratia, quis oppiperā coeram comedit. pro fine huius comestionis non habet in pletionem ventris, sed delectationem gustus, & tamen impletio ventris est finis operis, sed non operantis directe. Vel dicendum, quod agens indeliberate operans non dicitur operari propter finem, vt si sibi confricet barbam, dum de re necessaria cogitat. *Non omnia agūt propter finem directe.*

QVAE-

QVÆSTIO XIX.

Vtrum recta sit diffinitio fortunæ.

Videtur quod non recte sic diffiniatur fortuna. Fortuna est causa per accidens, in ijs quę in minori sunt, secundum propositum, eorum quæ fiunt propter finem; Et primo probatur quod nõ sit causa per accidens. Nam fortuna, & volũtas sunt circa idem. Sed intellectus, & voluntas sunt causæ per se. Igitur, & fortuna.

Secundo. Id quod est secundum propositum, est intentum. Sed id quod est à fortuna non est intentum. Ergo fortuna non est causa in his, quæ sunt secundum propositum.

Tertio. Id quod est ordinatum ad finẽ determinatum est. Sed id quod est à fortuna non est determinatum. Ergo quod est a fortuna non est propter finem.

Quarto. Id quod est à proposito, est secundum finem. Ergo committitur nugatio in diffinitione dum dicitur, quod fortuna est causa secundum accidens, in his &c.

Quinto. Phylosophus libro de bona fortuna dixit Fortunam esse impetum factum in anima, motam à Deo, vt est auctor totius naturæ. At impetus non est causa, sed effectus. Ergo male dicitur, quod fortuna sit causa.

Sexto. Eclipsis Lunæ, vel Solis de raro fiunt, & tamen non sunt a fortuna. Ergo fortuna non est in his quæ raro fiunt.

Septimo. Quis pergit ad ludum, vt lucretur, & de facto lucratur, & tamẽ hoc est fortuitum. Ergo fortuna potest esse in per se intentis.

Octauo. Sint duo homines, vnus quorum vt plurimum vincat, & alius vt plurimum perdat. Modo perdat, qui pluries vicit, tunc erit á casu, cum ille non intellexerit perdere. Ergo fortuna potest esse in his, quæ vt plurimum fiunt.

In contrarium est Phylos. hic.

Opiniones de fortuna Pro resolutione huius quæstionis. Primo notandum venit circa ly fortuna est causa, quod de fortuna triplex est opinio. Prima Boetij lib 7. de consolat. prosa prima, tenentis fortunam nõn esse causam, sed effectum, idest causam inopinatam, & extra intentionem agentis, vt si accidat quod vadens in forum ad emendum prandium inueniat amicum, vnde sic diffiniebat fortunam. Fortuna est inopinatus casus, ex fluentibus causis, in his quæ ob aliud geruntur euentus, & sic de fortuna solent homines communiter loqui. Secunda opinio est Aristot. sentientis fortunam non esse effectum, sed causam. Nam causa bifariam potest producere effectum. Primo per se, sicut fodiẽs sepulchrum, per se fossionem facit, & ex intentione. Secundo per accidens, causando quidem effectum, sed præter intentionem suam; nam fodiens sepulcrũ, fossionem intendit, si autem thesaurum inueniat, extra eius intentionem erit, nõ enim fuit per se intenta, & hoc secundo modo dicit Aristot. fortunam esse causam per accidẽs, idest extra intentionem operantis. Tertia opinio fuit Platonis, facientis quidem fortunam causam, sed superiorem, & ordinatricem, vnde Plotinus Platonicus eam sic diffiniuit. Fortuna est Dæmoniaca potestas, causas in ordinatas, ad inuicem connectens.

Fortuna est causa ex parte effectus. Secundo adnotandum venit circa eandem partẽ, scilicet, quod fortuna sit causa per accidens, quod dicitur causa per accidens, non ex parte causæ, quia scilicet accidit causæ, nihil operando ad effectum, sed dicitur causa per accidens ex parte effectus, quia scilicet accidit effectui, sed præter intẽtionem agentis, quia scilicet accidit effectui, & non causæ, id est fossioni sepulchri, quod fodienti coniuncta existit inuentio thesauri.

Hoc tripliciter potest intelligi. Tertio notandum, quod tripliciter aliquid potest coniungi ei, quod est per se. Primo necessario, sicut descensus lapidis necessario cõiungitur remouẽti prohibens, quia eo ipso quod prohibens remouet impedimentum lapis descendit. Secundo non necessario, nec in pluribus, sed pro eo tunc, pro quo ei coniungitur, sicut excitatio rixę non coniungitur domui ædificatæ, nec necessario, nec vt plurimum, sed pro eo tunc solum, pro quo ex aliqua causa rixam suscitat. Tertio omnino indifferenter, vt quod dum Corriscus domum ingreditur, corruschet, nam ingressus domus, nihil ad corruscationẽ facit. Fortuna itaque non dicitur primo modo causa per accidẽs, quia remouens prohi-

prohibens vere est causa per se, & potest fieri a proposito, nec tertio modo dicitur causa per accidens, quia nihil faceret ad effectum, erit ergo causa per accidens secundo modo, quia accidit effectui ex positione causalitatis causæ, sed præter intentionem.

In his quæ in minori sunt. Quarto notandum venit circa illam particulam. In his, quæ in minori sunt, quod per hanc intelligit Phylosoph. fortunam non esse causam necessariam, quę semper, vel vt plurimum producat effectum, sicut est motus cæli, qui dum solem ad Orientem rapit, diem facit, & dum ad Occidentem transit, noctem causat. Nec est causa necessaria pro tempore suo, & datis necessarijs, sicut est ecclipsis Lunæ quæ necessario sequitur, quoties vmbra terræ inter nos cadit, & Lunam; Nec est causa agens vt in pluribus, vt est quod homo hominem generet cum quinque digitis, sed est causa per accidens in his quæ raro eueniunt, vt quod homo nascatur cum sex digitis, & in casualibus, & in fortuitis, quod fodiens sepulchrum ad sepelliendum mortuum inueniat thesaurum, hoc enim raro euenit, & præter intentionem, & spem fodientis, & si posset hoc intendere absolute.

Quinto notandum circa eandem partem, quod aliquid de raro eueniat, stat dupliciter. Primo in ordine ad causam suam, secundum se consideratam, quia scilicet talis causa secundum se considerata raro producit effectum, vt quod fossio sepulchri causet inuentionem thesauri. Secundo in ordine ad tempus, ita vt ly raro sonet, raro in tempore. Secundo hoc modo non intelligitur, quia ecclipsis Solis & Lunæ, coniunctiones Planetarum, & similia raro fiunt, & tamen non sunt per accidens, quia habent suam causam determinatam, qua posita in actu, infallibiliter effectus sequitur. Intelligitur ergo primo modo. Sed & hoc dupliciter intelligi potest. Primo considerando causam cui accidit casualis, vel fortuitus effectus, vt in se est, verbi gratia fossio vt fossio est. Secundo vt est comitata talibus circunstantijs, verbi gratia quod fiat fossio vbi est thesaurus. Primo modo intelligitur, & non secundo modo, quia sic producit necessarium effectum.

Non in his quæ sunt ad vtrumlibet. Sexto notandum venit, quod quamuis reperiantur contingentia ad vtrumlibet, quæ scilicet non sunt nec vt in pluribus nec vt in paucioribus vt sortem sedere, & non sedere (quod raro, & vt plurimum fieri potest) tamen in his contra Auicennam non datur fortuna, vt bene dixerunt Alexander, Themistius, & Commentator. Primo, quia à causa ad vtrumlibet, vt est ad vtrumlibet, nulla actio prouenit; dicit enim tantum indeterminationem, & non efficientiam, at fortuna est causa effectiua, & si per accidens, vt supra. Secundo, Quia causa ad vtrumlibet non determinatur nisi ab aliqua alia causa, cum secundum se sit ad vtrumlibet, fortuna autem est causa determinata, non per se, sed per accidens, quia necessaria sequela coniungitur tali actioni, vt inuentio thesauri huic fossioni, idest in hoc loco, vbi iacet thesaurus, quamuis formaliter dicatur causa per accidens, quia præter intentionem euenit.

In his quæ sunt ad propositum. Septimo notandum venit (circa ly secundum propositum) quod per hãc partem intelligit Phylosoph. dicere fortunam non solum debere esse in agentibus cognoscentibus, vt sunt animalia bruta, sed etiam in eligentibus aliquid facere. Itaque fortuna est causa per accidens, quæ accidit his, quæ raro fiunt, & reperitur in agentibus à proposito, idest secundum electionem, & non tantum secundum cognitionem, quare subdit quæ fiunt propter finem, scilicet electum. Quod autem fortuna sit in agentibus a proposito, bifariam intelligi potest. Primo vt ly secũdum propositum cadat super effectus fortuitos, vt sit sensus, quod effectus fortuitus est ex electione, in his quæ propter finem operantur. Secundo vt ly secundum propositum cadat supra actionem causæ, vt sit sensus. Fortuna accidit actioni agentis a proposito, & propter finem, & hoc secundo modo intelligitur, & non primo modo, nisi virtualiter, & materialiter, idest ex parte rei, non vero formaliter, idest ex parte agentis, quoniam talem effectum non intellexit.

Et propter finem. Octauo notandum est circa illam vltimam particulam, scilicet (quę fiunt propter finem) quod actiones etiam hominum duplices sunt. Primæ dicuntur deliberatæ ad aliquem finem, vt quod quis

Vadat

vadat ad forum, adipisces emendum. Aliç vero vocantur naturales, vt nutrire, augere, vel dicuntur humanæ, & indeliberatæ, vt confricare barbam, aliud cogitando. Fortuna igitur non dicitur esse in actionibus naturalibus, & indeliberatis, sed potius in eis dicitur esse casus. In actionibus ergo deliberatis, & electis ad finem est fortuna, vt diximus. Neque videatur tibi repugnantia, quod fortuna dicatur in agentibus à proposito propter finem, & quod non sit intenta, quia non est ens per se, sed ex accidenti, idest istis coniungitur, præter eorum intentionem, dum propter finem operantur.

Conclusio probatur. Secundo ergo loco principali ponitur conclusio. Recte diffinitur fortuna dum dicitur. Fortuna est causa secundum accidens. Probatur. Illa est bona diffinitio, quæ constat ex genere, & differentia, vel ex aliquo habente rationem generis, & differentiæ, & facit differre diffinitum à quolibet alio. Talis est ista. Ergo. Maior est nota, minor probatur. Nam ly causa se habet vt genus, quia duplex est causa, scilicet per se, & per accidens. Ly per accidens se habet vt differentia, faciens eã differre à causis per se. Ly in his quæ in minori sunt, ab his quæ vel semper, vel vt plurimum eueniunt. Ly secundum propositum a casu, qui est in naturalibus, & indeliberatis, & ly propter finem, ab agentibus ab alio directis in finem.

Argumenta soluuntur. Ad primũ dicimus ad maiorem, quod circa idem sunt voluntas, & fortuna, sed non eodem modo, quia voluntas est circa finem intentum per se, & circa fortunam, vt est causa per accidens.

Ad secundum dicimus ad maiorem, quod illud quod est secundum propositum est intentum, si sit per se secundum propositum, modo fortuna non est per se secundum propositum, quia non intenditur, sed per accidens, quia scilicet accidit effectui per se intento.

Ad tertiũ dicimus ad maiorem, quod valet de per se ordinato ad finem, & non de ordinato per accidens, vt est fortuna.

Ad quartum dicimus, quod esse a proposito propter finem stat dupliciter. Primo subiectiue idest respectu agentis, & sic quod est a proposito, est propter finẽ, quia hęc duo sunt in agente intellectuali. Secundo obiectiue, & sic differunt, quia solum actio hominis deliberata dicitur propter finem, & fortunæ indistincte.

Ad quintum dicimus ad maiorẽ, quod fortuna dupliciter cõsiderari potest. Primo moraliter, idest secundum quod de ea homines vulgariter loquuntur. Secundo Physice, idest secundum id quod est. Primo modo fuit considerata a Phylosopho in lib. de bona fortuna, solent enim homines dicere hunc, & illum esse fortunatum, ex bono influxu cæli. Secundo vero modo hic de ea loquitur Phyl. Vel dicas secundo, quod Phylosoph. lib. de bona fortuna loquutus est de fortuna vt reducitur ad causam per se, idest ad Deum, qui per se, & ex intentione omnia disponit, hic autem loquitur de fortuna in ordine ad homines, qui non penetrantes effectum a Deo prouisum, videntes illum esse præter eorum intentionem, illum dicunt esse fortuitum.

Ad sextum diximus, quod fortuna non solum est in illis, quæ raro fiunt, sed etiam non habet causam determinatam, vt habet ecclipsis.

Ad septimum dicendum, quod effectus intentus, & si raro eueniat, non tamen dicitur fortuitus, vnde intendere victoriam in ludo, & vincere, etiam si raro accidat, non est fortuna; Vel secundo dicitur, quod ille qui vadit, vt vincat, & raro vincit, dum vincit, fortuite vincere dicitur secundum quid, idest in ordine ad effectum quem raro vidit per se, non vero simpliciter, quia vere iuit ad ludum, animo lucrandi.

Ad octauum dicitur, quod ille qui vt plurimum perdit, si vincit, a casu vincit, quia raro, & qui vt plurimum vincit, & modo perdit a casu perdit, quia raro. Sed tamen nota, quod hic effectus qui raro contingit respectu vtriusq; dicatur fortuitus potest dupliciter intelligi. Primo actualiter ex parte agentis, & sic proprie nullus horum potest dici fortuitus, quia non est extra istorum intentionem. Secundo virtualiter ex parte agentis, & actualiter ex parte actionis, quæ non est determinata, vt actio est simpliciter fortuita, vt plurimum, vel raro producat effectum, & ita casus adducti sunt fortuiti, quia ille qui de raro vincebat, & modo vincit, considerare potuit se potius debere perdere, quam vincere, propter minorem

norem excellentiam in arte ludendi, & si hoc non considerauit, sed sperauit se debere vincere, temere iudicauit.

LECTIO XIIII.

S. D. IX.

Et causa quidem per se, tex.51.

IN hac lectione tria faciemus. Primo explicabimus literaliter, quæ ab Aristot. dicuntur, à textu quinquagesimo, vsque ad sexagesimumquintum. Secundo circa hos textus aliqua adnotabimus. Tertio quædam dubia proponemus, & dissoluemus.

Quoad primũ primo ergo habet Phylos. quod fortuna habet infinitas, & indeterminatas causas, & consequenter est incognita, & immanifesta, vnde formetur sic ratio. Infinitum est ignotum. Sed fortuna est infinita, cum habeat infinitas causas. Ergo erit incognita, & immanifesta. Maior nota est ex superioribus. Minor probatur, quia eiusdem effectus fortuiti possunt esse infinitæ causæ, verbi gratia, quod ego inueniam amicum potest esse in causa ire ad inuisendum parentes, ad deambulandum, ad emenda necessaria, & similia.

Secundo dicit, quod illi qui negauerunt fortunam esse, in partem bene dixerunt, pro quanto fecerunt fortunam causam per accidens, & consequenter quæ fere nihil sit. Nam ea quæ sunt, in duplici differentia sunt. Quædam simpliciter sunt, & per se causæ sunt, & hæc absolute esse dicuntur. Alia vero per accidens sunt, vt est fortuna, & talia secundum quid esse dicuntur.

Tertio dicit aliquos dixisse fortunam esse sine ratione, propterea quod illud quod non euenit semper, vel vt in pluribus, sed raro dicitur esse extra rationẽ, & fines. Talis est fortuna vt superius diximus. Igitur dicenda esse videtur sine ratione.

Quarto mouet dubium circa id quod dictum est, fortunam multas habere causas, quarum aliquæ remotiores, & aliquę proximiores sunt. Nam quod aliquis sanetur potest accidere, aut quia depilatus est, aut quia ventus sufflauit, & ideo videndum est respectu cuius causę effectus dicatur fortuitus. Respondet Phylosop. quod causæ remotiores minus dicuntur causæ, & proximiores magis.

Quinto loco diuidit fortunam in bonam, & malam. Bona fortuna dicitur, quæ aliquid boni affert ex incidenti, & mala, quæ aliquid mali affert, quare diuidit fortunam, in duas species, idest in eufortunium, seu dicamus bonam fortunam, & infortunium, idest malam fortunam. Dupliciter autem dicitur eufortunium, & infortunium. Primo de bona, & mala fortuna, vt supra, & secundo de proxima dispositione, vnde infortunium alicuius dicitur, quando fuit in proxima dispositione ad aliquod bonum consequendum, & illud bonum speratum amisit, & ita eufortunium vocatur, quando quis de seruitute ad libertatem, & de catenis ad sceptrum inopinate transit, nam quod parum distat, nihil distare videtur.

Sexto loco asserit fortunam esse incertam, quod probat, quia id quod per accidens euenit, incertum est. At fortuna est causa per accidẽs. Igitur erit incerta.

Septimo loco docet quomodo differãt fortuna, & casus. Dicit ergo quod primo differunt, quia casus est communior, quam fortuna, cum omne fortuitum sit casuale, non autem omne casuale fortuitum. Secundo differunt, quia fortuna est in agentibus à proposito, & practice, id est secundum iudicium rationis, casus vero reperitur in naturalibus, & in carentibus discursu. Quapropter infantes, bruta, & inanimata proprie non possunt dici fortunata, quia non habent vsum, & iudicium rationis, Metaphorice tamen quandoque fortunata appellantur, prout Protarchus dixit lapides ex quibus constructa sunt templa Deorum esse fortunatos, quia reuerebantur, & hoc ad similitudinem hominum; nam illi homines dicuntur bene fortunati, qui diuitijs affluunt, & in honore habentur; econtra vero illi infelices appellantur, qui egestate opprimuntur, & ab honoribus deiiciunt. Casus etiam absolute in animatis, & inanimatis reperitur, vnde ambo casualia dici possunt, scilicet, quod equus fugiens ad fontem vt biberet, in bello non sit occisus, in quo omnes alijs equi occisi sunt; nam ex fuga casualiter sal-

natus est, non enim venit ad fontem, vt mortem fugeret, sed vt biberet, & ita casuale est quod tripoda, idest tres habens pedes cadat, & tunc fit accommodata ad sessionem alicuius.

Fortuna est cognoscibilis ī particulari. Pro maiori explicatione supradictorum. Primo venit notandum, quod cum fortuna naturā infiniti sapiat, ideo quod sit cognoscibilis, vel diffinibilis stat dupliciter. Primo in communi, quo ad communem rationem, & sic est cognoscibilis, & diffinibilis, sicut etiam hoc modo sunt cognoscibilia, & diffinibilia accidētia, contingentia, corruptibilia, & infinita. Secundo in particulari, prout est in hoc, & in illo effectu fortuito, & casuali, & sic cum non dicat determinatam causam, & possit ex infinitis causis accidere, dicimus eam in particulari non esse cognoscibilem, idest, vt dicit causam per accidens, vel effectum à causa per accidens procedentem.

Pendet ab infinitis causis. Secundo adnotandum venit, quod fortuna procedat ex infinitis causis, duobus modis potest intelligi. Primo vere, & realiter, & sic falsum est, quia cum infinitum non detur in rerum natura nec etiam dantur infinitæ causæ. Secundo nō repugnanter, & sic verum est, quia casus fortuitus non determinat sibi hanc causam, quod ab alia esse non possit, cum nō habeat causā per se, sed tantū ꝑ accidēs.

Non est sine ratione in ordine ad Deum. Tertio adnotandum est circa id quod dicit Phylos. scilicet fortunam esse sine ratione, hoc qnidem esse intelligendum in ordine ad causas particulares, de raro effectum producentes, non vero hoc esse accipiendum in ordine ad Deum ipsum, primam, & vniuersalissimam causam, omnia fortiter, & suauiter iuxta altissimam, ac benignissimam prouidentiā suam disponentem, & exequentem.

Diuiditur ī duos modos Quarto sciendum est, quod diuisio fortunæ in eufortunium, & infortuniū, non est diuisio generis in suas species, cum fortuna non sit genus, vnde est enumeratio in modos suos. Nam fortunæ duplex est essendi modus. Primus est bonus, quo bona dicitur, & bona promittit, & efficit, malaque euitare facit. Secūdus dicitur malus, quo mala minatur, & efficit, vel à magno bono deijcit, & hoc est quod voluerunt annuere Poetæ, dum fortunā cū duabus faciebus descripserūt.

Casus sumitur trib⁹ modis, & differt à fortuna. Quinto notandum est, quod casus tripliciter sumi potest. Primo communiter, secundum quod etiam effectus fortuiti casuales nuncupari possunt. Secundo proprie, prout distinguitur á fortuna, quod casus non est in agentibus à proposito, & fortuna vtique Tertio sumitur improprie, vt idem sonat, quod vanum frustatorium, & innane. Hac autem occasione scito, casum, & fortunam multipliciter differre. Primo (vt diximus) quia fortuna ponitur solū in agentibus à proposito, casus vero in agentibus naturalibus, in pueris, & in bestijs. Secundo, quia in plus se habet casus quā fortuna, vt supra, Tertio, quia fortuna proprie sibi videtur vendicare, eufortunium, & infortunium, cum homines sint illi, qui dicantur fortunati, & non fortunati; Casus vero secundum similitudinem sibi determinare videtur fortuniū, & infortunium, vnde dicebat Phylos. lapides templorum similitudinarie esse fortunatos, quia habentur in magnum honorem, illi vero qui quotidie conculcantur, infortunatos esse, quia omni honore priuantur. Tandem differunt, quód causa fortunæ solet esse extrinseca, & casus intrinseca.

Differt etiam à frustra, et temere factō. Sexto notandum est, quod quamuis secundum rem idem videantur esse casus, & fortuna, vanum, frustra, & temerarium, tamen distinguuntur secundum proprias rationes. Nam casus, & fortuna sunt extra intentionem agentis, & frustra non est extra intentionem agentis, sed executionis operis, quia agens non potest illud ad finem traducere. Vanum vero illud dicitur, quod in aliquem finē ordinatur, sed indocte, & insipienter, vt si quis vellet Deo auxiliari, vt homicidiū committeret, hoc enim vanum est. Temere vero illud dicitur, quando actio ad finem contrarium ordinatur, bonum quidem per accidēs, vt si febricitans vinum biberet, & sic sanitatem consequeretur.

QVÆSTIO XX.

Vtrum fortuna sit causa immanifesta, & indeterminata.

Videtur quod non. Primo. Nam verbi gratia inuentio thesauri pro causa nota,

sa nota, & determinata habet fossionem sepulchri, & non aliam. Ergo effectus fortuitus habet causam notam, & determinatam.

Secundo. Effectus necessario ab hac causa proueniens, ita vt ab altera esse non possit, habet causam manifestam, & determinatam. Sed effectus fortuiti, & casuales tales sunt, nam si homo non fodisset sepulchrum, non inuenisset thesaurum, & si non generasset hominem, eum non generasset cum sex digitis, & nisi equus currisset ad flumen, vt biberet, manus militum num euasisset. Ergo fortuna dicit causam manifestam, & determinatam.

Causa fortunæ in cõmuni sũt indeterminata. Pro notitia huius quæstionis. Primo recollendum est, quod hic loquimur de causis fortunæ in communi, quibus non repugnat talem effectum producere, vnde loquimur de fortuna vt sic, & non respectu huius determinatæ causę quę iam produxit effectum, vel ad eum producendum ordinatur, & ex hypotesi potest dici necessaria, idest ex suppositione.

Secundũ se, & ex parte effectus. Secundo sciendum est, quod bifariam contingit, quod aliqua causa dicatur determinata. Primo ratione sui ipsius, quia secundum se non magis inclinatur ad hunc effectum proctum producendum, quam ad alium. Secundo ex parte effectus, quia scilicet effectus non ita dependet ab hac causa, quin possit ab alia dependere, & vtroque modo fortuna dicitur causa indeterminata. Ex parte quidem causę, quia verbi gratia fossio sepulchri secũdum se non magis inclinatur ad inueniendum thesaurum, quam serpentem, vel librum. Ex parte etiam effectus, quia verbi gratia inuentio thesauri non magis dependet à fodiente sepulchrum, quam puteum, vel terram, vt ibi plantaret vineam.

Quia fortuna est causa p accidẽs. Tertio sciendum est, hanc esse differentiam inter causas per se, & per accidens, quod dum interrogamur de effectu per se, certudinaliter respondemus, per causam per se; dum vero interrogamur de effectu, qui processit à causa per accidens, non possumus certam assignare ei causam, quod ab alia esse non possit. Modo cuilibet agenti est certus finis, extra cuius intentionẽ, effectus fortuitus procedit, vnde effectus fortuitus, non dicitur habere causam certam, & determinatam.

Quarto notandum est, quod cuiuslibet agentis sit determinatus finis dupliciter intelligi potest. Primo loquendo de fine operantis, & hic multiplex esse potest, quia quis potest fodere terram, vt ibi mortuum sepeliat, arborem plantet, herbas eradicet &c. Secundo loquendo de fine operis, qui finis vocatur intrinsecus, & hic vnus est, ex vno opere procedens, cum ergo plures possint esse fines operantis, si vnum attingat, quem non intellexit, tunc dicitur operari fortuito, & casualiter.

Ad primum igitur dicendum, quod fortuna sit causa determinata potest dupliciter intelligi. Primo absolute, & hoc est falsum, cum non sit causa per se, sed per accidens. Secundo ex suppositione applicationis causæ, aptæ ad producendum vnum effectum, quamuis non intentum. Et sic fortuna habet causam determinatam, quia dum res est, necesse est eam esse. Vel dicendum, quod effectus fortuitus potest habere causam determinatam Physice, idest in ordine ad causã suam Physicam, non vero habet causam determinatam moraliter, idest agentem ex intentione, quia euenit præter intentionem agentis.

Ad secundum dictum est. Currit enim de causa Physica, & non morali, in particulari, non in communi, ex suppositione, non absolute.

QVAESTIO XXI.

An Aristoteles sibi contradicat.

Videtur quod sic. Nam dum distinguit fortunam à casu, asserit, fortunam habere causam ab extra, & casum ab intra. At in textu 64. affirmat etiam casum habere causam extrinsecam.

Ad hanc difficultatem respondetur, quod aliqua causa dupliciter potest dici extrinseca. Primo secundum intentionẽ, ita vt illa dicatur causa extrinseca, quæ est extra intentionem agentis. Secundo secundum re, quia scilicet causa est extrinseca. Primo modo loquutus est Philos. dum distinxit fortunam à casu. Nam cum fortuna sit in agẽtibus à proposito,

sed extra eorum propositum, idest extra intentionem, ideo dicitur causa extrinseca, at casus cum sit in agentibus naturalibus, actiones quorum natura est ptincipium intrinsecum, ideo casualia dicuntur habere causam intrinsecam. Vel dicendum venit, quod cum fortuna sit in agentibus à proposito, propter finem, ideo in effectibus fortuitis causa dicitur extrinseca, idest extra propositum; casus autem, & casualia cum sint in carentibus ratione, per impetũ in eis impressum ab intelligentia non errante, ideo ratione huius motionis intrinsece, casualia dicuntur habere causam ab intra.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum detur fatum.

Videtur quod non. Nam D. Gregorius dicit in Hom. Epiphaniæ. Absit à fidelium mentibus, vt fatum aliquid esse dicant. Ergo non datur fatum.

Secundo. Ea quæ fato aguntur, non sunt improuisa, sed prouisa, per D. Aug. quinto de Ciu. Dei dicentem, quod fatum dicitur, quasi ab alio effatum. Ergo non datur fatum fortuitum, & casuale.

Tertio. Si daretur fatum, esset in creaturis. Sed hoc est falsum, per D. August. quinto de Ciu. Dei dicentem, fatum esse Dei voluntatem, seu potestatem. Ergo non datur.

Quarto. Si fatum datur. Vel est substantia, vel accidens. Non substantia, cum non semper subsistat. Si accidens, ergo multiplicabitur secundum quantitẽ substantiarum, & accidentium, cum accidens multiplicetur ad multiplicationem subiecti. Ergo non erit vnum fatum.

Quinto. Si daretur, esset immobile, per Boetium dicentem. Quod est immobilis dispositio. Sed per eundem quarto de consolatione, fatum est mobile. Ergo non datur.

Quinto. Sic quæ fato euenirent, immobiliter euenirent, & sic perirent contingentia, & libertas nostra.

In contrarium stat Boetius quarto de consolatione, vbi fatum sic diffinit. Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quoque nectit ordinibus.

Pro resolutione quęstionis. Primo notandum venit, quod de fato dupliciter loqui possumus. Primo secundum opinionem veterum. Secundo secũdum veritatem. Si de eo primo modo loquamur, sic reijcitur, cum D. Aug. in Ioannem Tract. 37. & quinto de Ciuit. Dei, & D. Gregorio vt supra. Nam Antiqui dixerunt fatum scilicet casum, & fortunam, quæ fatalia ab ipsis dicuntur, euenire absque aliqua ordinatione superioris causæ, id est sine diuina prouidentia, adeo vt diuinam prouidentiam omnia ordinantem tollant. Sed & alij ex opposito dixerunt, omnia quæ sic apud nos fortuito euenire dicuntur, necessario quidem euenire, ex dispositione cœlorum, & influxu siderum, siue hæc pertineant ad actus humanos, siue ad naturales, vnde fatum secundum hos, est necessaria, immutabilis, & immobilis dispositio siderum, in qua vnusquisque natus est. Sed hæc opinio damnatur. Primo; Quia repugnat, actus voluntatis liberos, esse a sideribus immutabiliter coactos. Vnde etiã Astrologus ait, quod sapiens dominabitur astris. Secundo. Quia sic fatum non esset idem quod fortuna, & casus, quæ ponuntur causæ per accidens; nam cœlum si necessario agit, & ad vnum determinatum mouet, omnino tollitur causa per accidens. Si igitur de fato secundo modo loquamur, idest secundum veritatem, sic dicimus dari, quia fatum hoc modo sumptum, non est nisi diuina prouidentia, omnia suauiter, & fortiter disponens. Hæc enim diuina dispositio ad causas secundas relata dicitur casualis, vel fortuita, idest extra intentionem earum. At in ordine ad Deum vniuersalem prouisorem, fatum dicitur quasi prolocutum, & dispositum.

Opiniones de fato.

Secundo ergo notandum, quod fatum bifariam considerari potest. Primo vt est in Deo ordinante, & disponente omnia, & sic in eo non dicitur fatum, sed prouidentia. Secundo vt est in causis medijs, quibus Deus prouisum ad executionem perducit, & sic fatum dicitur casuale, & fortuitum, quia Deus voluit, & disposuit quod contingentia, & fortuita euenirent per causas contingentes, defectibiles, & impedibiles.

Fatum dupliciter sumitur.

Ideo tertio notandum venit, quod hęc dispositio-

Dupliciter

ter consi-deratur. dispositio causarum secundarum,quæ fatum nuncupatur bifariam considerari potest. Primo in sensu diuiso, idest secundum se, & ita effectus earum poterunt esse contingentes, & casuales,quia earũ causæ vere impediri possunt in suis actionibus, & possunt multa euenire extra illarum intentionem.Secundo in sensu cõposito, idest, vt à Deõ intelliguntur dispositæ, vt eo modo quo effectum producunt illum producere habeant, & sic dicuntur necessario agere, non necessitate coactionis, cum Deus non immutet, vel inuertat naturam harum causarum, sed necessitate immutabilitatis, quia impossibile est,quod illud quod Deus disposuit euenire, non eueniat, & eo modo, quo vult illud euenire.

In naturalibus reperitur. Quarto ergo notandum,quod res sunt in duplici differentia. Quædã enim Deus facit per causas secundas, & hæc omnia fato subduntur, quia subduntur secundũ se causis defectibilibus,& non necessitantibus. Alia vero à Deo immediate efficiuntur,vt fuit creatio vniuersi,& vt est miraculorum operatio, glorificatio sanctorum,& similia,& ista longe sunt à fato,à casu,& à fortuna.

Ad primum ergo dicitur,quod Gregorius reprobat fatum, vt ipsum posuerunt Antiqui, scilicet vt causam necessitatem.

Ad secundum dicitur, quod procedit de fato, vt diuinam prouidentiam nominat, & non vt dicit ordinem causarum secundarum defectibilium,&c.

Ad tertium similiter dicitur, quod procedit de facto causaliter,idest,vt dicit ꝓuidentiam; nos autem loquimur de fato essentialiter, idest, vt dicit ordinem causarum secundarum.

Ad quartum dicẽdum, quod fatum est accidens, quia est ordo, & dispositio secundarum causarum. Quoad autem sit dispositio secundarum causarum, dupliciter potest intelligi. Primo,quod sit dispositio de genere qualitatis, & hoc negamus. Secũdo quod sit dispositio,idest ordo,& connexio causarum inter se, secundum dependentiã vnius ab altera, & hoc affirmamus. Hic autem ordo bifariã considerari potest. Primo in ordine ad suum principium, & sic est vnus vnitate ordinis. Secundo in ordine ad causas ordinarias,& sic est multiplex, prout multiplicantur ordinatæ; sed hæc multiplicatio est materialis. Non sequitur autem,quod cum ordo sit relatio, relatio agat, maxime cum fatum sit cum causa, sed sequitur, quod ordinata, idest causæ quæ sub sunt illi ordini,& relationi, ipsæ agant.

Ad quintum dicitur, quod factum est mobile, vt nominat causas ordinatas, & immobile,vt dicit diuinam prouidentiam ordinantem.

Ad sextum dicimus, quod fatum non tollit contingentiam, nec libertatẽ, quia omnia ei subsunt, vt diuinam prouidentiam important,non necessitate coactionis,sed immutabilitatis,vt supra.

CAPVT VII.

LECTIO XV.

Sed moderum, causarum, in quibus est, vnde principium motus.
Tex. 65.

A Textu 65. vsque ad 75. tria principaliter docet Phylos. Primo ergo docet fortunam, & casum reduci ad causas efficientes. Hoc probat,quia casus,& fortuna, vel accidunt agentibus naturalibus, vel intellectualibus, vt supra; sed tam agentia naturalia,quam intellectualia sunt causæ efficientes. Ergo sunt causæ efficientes. Hinc inuenit contra illos, qui dixerunt fortunam,& casum esse causas cæli sic. Si casus, & fortuna sunt circa causas agentes, voluntate, vel natura, necessarium est ponere naturam,& intellectũ esse causas alicuius partis vniuersi per se; At causa per se præcedit causam per accidens,modo fortuna,& casus sunt causæ per accidens. At hoc est inconueniens, dicere quod aliquis sit prius causa cælo. Ergo cælum non potest esse à fortuna, & casu.

Secundo docet, quod non sunt plures causæ quam superius sint assignatæ,quod probat sic. Tot sunt causæ,quot sunt propter quid. Sed tantum sunt quatuor propter quid. Ergo tantum quatuor causæ. Hoc totum explicat in causa formali per lineam,in mouente, & finali per pugnã, in materiali per corruptibilitatem corporis,ex contrarijs elementis constituti.

Tertio docet ad naturalem spectare, consi-

considerare quatuor genera causarum, & omnia sunt clara in textu.

Sufficientia causarum. Circa supradicta primo notandum est, circa id præcipue, quod dicit Phylosoph. quatuor esse genera causarum, & considerationem earum spectare ad naturalē, quod ex hoc deducimus sufficiētiam causarum cum D.Tho.tex.69. Nam causa est ad cuius esse sequitur alterius esse. Esse ergo causæ, bifariam considerari potest. Primo absolute, & tale esse significat formam, ad quam sequitur esse. Vel secundo potest sumi quatenus reducit rem de potentia ad actum, quod si effectiue erit efficiens, si subiectiue, idest, sit subiectum transiens de potentia ad actum, erit materia. Omnis autem generatio, & actio alicuius gratia fit, & sic habemus causam finalem.

Forma, efficiens, & finis, quomodo sint idem numero. Secundo adnotandum venit, quod forma, efficiens, & finis sint idem quandoq. numero, contingit dupliciter. Primo in causis vniuocis, & hoc verum est, loquēdo de fina'i in generatione, non autem de fine rei genitæ, nam forma dat esse actu, efficiens effectiue, & finis est esse sub sistens rei. Secundo in causis æquiuocis, idest diuersarum specierum, & generum, & sic est falsum, quia cum æquiuoca, seu analoga distent genere, vel specie, non possunt conuenire in vna vnitate numerali, ita vt dicantur esse idem numero.

Tria sūt negotia Physica. Tertio adnotandum est circa alteram illam propositionem, quod tria sunt negotia. Primum circa immobile. Secundum circa mobile, sed incorruptibile, & Tertium circa mobile, & corruptibile. Per primum negotium aliqui intellexerunt Metaphysicam, per secundum Mathematicam, & per tertium Physicam, quia hæ tres sunt scientiæ reales, speculatiuæ, per Arist.6.Metaph. Sed hæc expositio non placet S. D. quia Astrologia, quę magis est naturalis quam Mathematica, est de ente mobili, sed incorruptibili. Per immobile igitur negotium exponit S. D. Metaphys. quæ considerat abstracta à motu, & à materia, quæ entia dicuntur immobilia. Per mobile, sed incorruptibile, intellexit libros de Cælo, & de Anima, quoniam cælum, & anima rationalis sunt entia incorruptibilia. Per mobile vero, & corruptibile intellexit alia entia, generationi, & corruptioni subiecta. At si licet aliter exponere textum, dico Philosophum in eo tres partes Phylosophiæ naturalis annuisse. Prima est in qua agit de primo motore, qui immotus, mouet, & hæc habetur in octauo Phys. Secunda est de cœlo, & Anima, vt supra, Tertia alias partes Phylosophiæ naturalis respicit, vnde ista sunt tria negotia Physica.

Quarto adnotandum est circa tex.74. in quo Phylos. dicit reddendum esse propter quid, & inde quod sequitur, sicut quod sole appropinquante ad polum arcticum dicimus eum magis calefacere, & recedente infrigidare, & quod si aliquid ex cōtrarijs genitum est, corruptibile sit. Notandum inquam est, non esse semper necessarium in omnibus quod aliquid sequatur, hoc enim verum est in agentibus necessarijs semper, in agētibus, vt in pluribus, sed in raro producentibus effectū, non accidit intentum, sed aliud ex indispositione materiæ. *Ad propter qd aliquid sequitur*

DVBIA.

Primum dubiū occurrit circa tex.65. in quo dicitur quod fortuna, & casus reducuntur ad causas efficientes; nam videtur quod etiā reducantur ad alias causas, quoniam si sutor intendat facere vestem, & inueniat pannum à tinea corrosum, casus reducetur ad causam materialem. Item si pictor intendat leonem facere; & faciat equum, casus erit in forma, & sic reducetur ad causam formalē. Item si quis Romam vadat ad visitanda limina Apostolorum, & Cardinalis fiat, erit fortuna in genere causæ finalis. Item si equus fracto freno ad fontem fugiat, vt bibat, & tunc manus militum euadat casus erit in genere causæ efficientis.

Pro resolutione huius dubij notādum est, quod Boetius voluit casum, & fortunam non esse causas, sed effectus fortuitos, & consequenter posse reperiri in omni genere causæ, sed oppositum hic docuit Aristot. dum connumerat casum, & fortunam inter causas efficientes.

Secundo adnotandum est, quod casus, & fortuna reducantur ad causas efficientes potest bifariam intelligi. Primo solū, & hoc non est verum, vt obiecta probauerunt. Secundo vt ad notiores, & famosiores,

siores, & hoc verum est, nam fodiens sepulchrum, & sic inueniens thesaurum, reducitur ad causam effectiuam, idest ad fossionem sepulchri. Vel dicendum, quod si casus, & fortuna reducantur ad alias causas, non tamē ad eas reducuntur præcise, sed simul cum causa efficiente.

Ad primum igitur dicitur, quod panni corrosio dupliciter cōsiderari potest. Primo, vt est rei corrossibilis, & sic non est à casu, sed per se. Secundo, vt habet ordinem ad efficientem, idest ad furorem intēdentem incidere vestem in pannum integrum, & sic dicitur casus, & fortuna, vnde concludit intentum nostrum.

Ad secundum similiter dicitur, quod equus pictus pro leone, dicitur fortuna solum respectu pictoris intendentis pingere leonem, & pingentis equum, & sic dicendum est ad alia exempla.

Secundo dubitatur circa alteram propositionem hic assertam, scilicet, quod naturalis considerat solum mouens, quod mouendo mouetur. Nam oppositum habetur 8. Phys. vbi probat dari vnum primum motorem, ex motu æterno, omnino immobilem, octauus autem Phys. est pars scientiæ naturalis.

Secundo, quia dicit talem motorē non habere in se potentiam mouendi, nam si talis motor mouet, necesse est quod in se habeat potentiam mouendi. Ad hęc breuiter dicitur, & ad primum, quod Physicus probat primum motorē omnino immobilem quoad an est, vt Physicus, & si quoad aliquā prædicata quidditatiua, de eo etiam agat, hoc facit indutus habitu Metaphysico.

Ad secundum dicitur, quod valet de potentia actiua motiua, nō autem de passiua, qua dicatur moueri, & de qua intelligit Phylosophus.

CAPVT VIII.

LECTIO XVI.

Dicendum quidem igitur primum.
Tex. 75.

HIc incipit Arist. disputare an natura agat propter finem, vnde primo ait in textu, duo hic esse diffinienda, scilicet quod natura, est de numero illarum causarum, quæ agunt propter finem. Secundum est, an necessitas rerum naturalium pendeat solum à materia, vel etiā pendeat ab agente, forma, & fine, causa autem huius est, quia omnes antiqui reducebant necessitatem ad causam materialem, dicentes omnia euenire ex necessitate materiæ, vt quod aliqua essent frigida, & aliqua calida. Et quamuis aliqui aliquo modo tetigerint causam effectiuam, vt Anaxagoras ponens intellectum diuidentem chaos, & Empedocles litem, & amicitiam, non tamen eam attigerunt, nisi in generali, vnde nobis restat de ea tractandum in speciali. Secundo loco ponit quoddam argumentum illorum qui tenuerunt omnia à casu euenire, & non propter aliquem finem, idest vt melius, vel vtilius quid fiat, vnde formatur sic argumentum. Illa quæ necessario eueniunt, non fiunt ob aliquem finem. Sed omnia necessario eueniunt. Igitur non fiunt propter finem. Maior videtur clara, quia quod necessario fit, non propter melius fieri dicitur. Minorem probabant, quia quod Iuppiter pluat, non est vt frumentum crescat, cum contingat ipsum pluuia corrumpi, sicut patet in frumento in area posito, dum pluit. Hoc igitur euenit, quia sol vapores ad regionem frigidam attrahit, in nubes condensat, & aquam conficit, quæ cum sit grauis, & omne graue, naturaliter tendat deorsum, hinc pluit. Ita pariter, quod dentes anteriores sint acuti, & maxillares plani, non fuit à natura, vt acuti essent apti ad scindendum cibū, & maxillares ad masticandum, sed fuit in causa concursus materiæ ad illas partes in generatione. Et quia poterat contra eos obijci, multa esse ordinata ad bonū, vt quæ semper, vel vt in pluribus eueniunt, hinc ait, ipsos solere respondere omnia in principio facta esse à casu, quāuis modo propter bonum sub vno esse, & vna ratione conseruentur. Sed tertio loco confutat Phylos. supradictam opinionem multis rationibus. Prima est. Omnia quæ fiunt, aut fiunt propter finē, aut à casu. Sed quæ fiunt à natura non fiunt à casu. Ergo fiunt propter finem. Probat minorem. Quæ fiunt à casu, non fiunt nec semper, nec frequenter, sed raro, vt quod multum pluat in diebus canicu-

nicularibus, & fit æstus in hyeme, hoc enim est à casu, quia raro accidit. Sed quæ fiunt à natura semper, vel frequenter eueniunt. Ergo fiunt propter finem.

Secunda ratio est. Ea fiunt propter finem ab arte, quæ si fierent a natura, eodem modo fierent. Sed si natura domum construeret, non eam faceret alio modo, quam modo ars faciat, verbi gratia ponendo fundamentum in ima parte, & tectum in superiori. Ait tamen, quædam fieri ab arte, quæ non possunt fieri à natura.

Tertia ratio desumitur ex manifestis naturæ, quia videmus araneas facere telas vt capiāt muscas, & formicas in æstate congregare grana, vt possint ea comedere in hyeme, vnde multi dubitauerunt num agerent intellectu.

Consideratio naturæ agētis propter finē est vtilis Circa supradicta primo notādum est, quod hæc quæstio, vtrum natura agat propter finem, vtilis est. Primo ad perscrutandam diuinam prouidentiam, quo niam cum videamus naturalia in finem tendere, nociua fugere, & bona prosequi, non cognoscendo finem, deducimus ea omnipotentis Dei prouidentia, ac motione, moueri, ac gubernari. Secundo est vtilis ad sciendum, an omnia eueniant ex necessitate materiæ, Nam si quædam propter finem fiunt, non omnia ex necessitate materiæ absoluta proueniunt. Tertio est vtilis ad sciendum quomodo multa animalia operentur propter finē, & intellectu, ac iudicio sint orbata.

Pluuia quomodo generetur. Secundo propter exemplum alatum de pluuia, sciendum est quomodo generetur. Considerandum ergo venit, tres esse aeris regiones. Prima terræ proxima, & hæc calescit, & frigescit secundum, quod sol directis, vel obliquis radijs eam illuminat, ac percutit. Secunda dicitur media, quæ cum radijs solis causantibus reuerbationem, & repercussionem non sit subiecta, frigida remanet. Tertia dicitur suprema, & sphæræ ignis propinqua, & ideo extuans est. In secunda aeris regione pluuiæ generantur ex vapore aquoso, & humido, a sole ibi attracto, & in nubem condensato. Nam cum in illo vapore quædam partes calidæ conseruentur, dum ad mediam regionem aeris, quæ frigida est accedunt, ipsa nubes comprimit, quia prōprium est frigidi constipare, & congregare. Quare cum calor circunstans vrgeat, nubes se comprimendo, pluuiam emittunt vnde in æstate cum maiori impetu descendit, quia tunc calor circunstans, magis constipat, & inuehit in humorem humidum, & aquosum.

DVBIA.

Qvæ autem dicta sunt in superioribus, dubijs non carent, & primo dubitatur circa illud dictum, quod antiqui non posuerunt causam effectiuam, sed solum materiam. Nam per Aristot. antiqui posuerunt calidum, & frigidum, & quidam litem, & amicitiam, causas rerum. Sed hæc spectant ad causam effectiuam. Ergo sibi contradicit, dum asserit ipsos non posuisse causam effectiuam.

Ad hoc respondetur, quod in calido, & frigido duo sunt. Primum est actio calidi, & frigidi, sunt enim qualitates actiuæ Secundum est ratio agendi, idest finis actionis horum. Primum antiqui admittebant, cum sensu constet calidum, & frigidum agere. Secundum negabant, idest quod propter finem agerent, dicentes hoc contingere ex necessitate materiæ. Sed hæc responsio non placet Toleto, quia etiam actio est ad finem. Sed hoc friuolum est, quia non disputamus de veritate rei, secundum quam verum est actionem esse propter finem, sed disputamus hic de sensu antiquorum. Non tamen abhorremus eius responsionem, quod duplex est agens. Primum dicitur purum, quia non componit cum re acta, vt dum ignis, ignem facit. Secundum dicitur compositum, quia compositionem facit, vt patet de quattuor elementis in mixto. Secundum concedebant, & ad materiam reducebant; Primum vero negabant, nolendo admittere tale principium esse distinctum a re acta. Sed possumus etiam dicere, ipsos posuisse calidum, & frigidum, litem, & amicitiam esse principia effectiua rerum, non secundum veritatem, & intellectum, sed solum secundum extimationem, & sensum, secundum quod etiam diximus in primo Physicorum.

Secun-

Secundum dubium accidit circa aliud dictum, videlicet, quod quæ eueniunt, vt in pluribus, sunt propter finem. Nam corruptio, vt in pluribus euenit. Sed corruptio est contra finem, cum finis habeat rationem boni conseruatiui, & corruptio mali, & destructiui.

Ad hoc breuiter (omittendo quæ dicunt Commentistæ) dicitur quod corruptio non sit propter finem istæ dupliciter. Primo ex parte rei corruptæ, & hoc verum est, quia nulla res intendit sui ipsius corruptionem. Secundo ex parte agentis intendentis nouam formam introducere, ad corruptionem prioris in materia, & sic dicitur esse propter finem, quia corruptio vnius est generatio alterius.

Tertium dubium est circa hoc, quod animalia agant propter finem. Nam quæ propter finem agunt, saltem ab extimatiua mouentur. Sed araneæ, & formicæ videntur carere extimatiua, cum hæc habeant determinata organa in capite, quæ non videtur posse assignari formicis, & araneis. Confirmatur, quia sic sequeretur araneam nõ facere telam nisi prius muscas senserit. Sed hoc est falsum, vt patet in aranea modo genita.

Pro solutione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod quidam dixerunt animalibus esse insitam cognitionẽ finis. Sed hoc est falsum, quia nec in vniuersali, nec in particulari cognoscunt finem, vt infra ostendemus. Dicendum est igitur, quod mouentur extimatiua, & phantasia circa obiectum tamen semper præsens, quia de futuro non iudicant, sed obiecto præsente illud, vel vt nociuum fugiunt, vel vt proficuum sequuntur.

Sciendum est tamẽ secundo, quod quędam animalia videntur futurum cognoscere, sicut formica quæ in æstate grana cõgregat, propter hyemem, & bruta, quæ dum in pascuis morantur futuram pluuiã cognoscendo, voracius comedunt, & domum redire quam citius cõtendunt. Ideo sciendum, quòd animalia sunt in duplici differentia. Quædam enim solum iudicant conuenientiam, & discõuenientiam præsentem, & nullo modo de futuro cogitant, vnde non sibi in futurum prouident, vt patet in muscis. Alia vero sibi in futuro prouident de cibo, non cognoscendo tamen futura, & hæc vocantur animalia prudentia naturali quidem, & potius metaphorica prudentia non vero rationali, & propria.

Tertio sciendũ est igitur, quod cognoscere futurum stat dupliciter. Primo sub ratione futuri, conferendo præteritum, cum præsenti, & hæc cum futuro, quod est scire futurum, vt futurum. Secundo sub ratione præsentis, & hoc modo animalia, & primo modo homines dicuntur cognoscere futurum, nam dum formica in æstate grana congregat, suam necessitatem prӕsentem existimat, non cogitando de hyeme, quãuis Deus illam moueat ad congreganda grana, & ad iudicandum de necessitate præsenti, propter futurum.

Ad primum ergo respondetur, quod duplex est phantasia. Prima dicitur determinata, quia habet determinata organa, & est circa determinatum obiectum. Secunda dicitur indeterminata, quia non postulat determinata organa in capite, & hæc fertur circa obiectum præsens, & tantum exigit extimatiuam, & phantasiam. Ad confirmationem dicẽdum venit, quod apprehensio æstimatiue, & phantasiæ dupliciter pensari potest. Primo vt causatur à sensibili exteriori, ex frequentatis actibus, & sic causat memoriam. Secundo, vt ab obiecto exteriori præcise causatur, cũ inclinatione quadam naturali. Prima reperitur in animalibus habentibus auditũ. Secunda vero etiam in alijs, vt in araneis, & muscis, vnde in ijs non est necessaria memoria præteritorum.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum animalia bruta agant propter finem ab ipsis cognitum.

Videtur quod sic. Nam hoc tenet Porphirius lib. 3. de abstinentia, vbi docet omnibus animalibus, quibus natura dedit visum, & memoriam, dedisse etiã rationem, & locutionem, & interpretationem, quam habuerunt (ait) Appollonius Tianeus, & Tales Millesius. Idem de Anaxagora refert Plutarcus, immo ipse videtur deuenisse in hanc sententiam, in dialogo inscripto, quod brutis ratio insit.

Secundo. Virtutes sunt animæ intellectiuæ dotes. Sed multæ de ijs in brutis apparent, vt magnanimitas in leone, fideli-

tas in cane, pietas in ciconijs, fides coniugij in turturibus, prudentia in Elephantibus. Ergo habent rationem.

Tertio. Ars est actus intellectus, sed multæ sunt artes in brutis, vt ars texendi telam in aranea, instruendi exercitum in grue, regendi nauem in miluo, eijciendi malum sanguinē in hippopotoma. Ergo.

Quarto. Annunciare futura est intelligentis ea. At multa bruta futura annunciant, vt tempestates, aeris mutationes, & certius quam Astrologi, per scientiam Astrologiæ pronuncient. Ergo.

Quinto. Addiscere est actus rationis. At multæ volucres, & bestiæ addiscunt voces proferre, ac plurimos actus fere humanos facere. Ergo.

Sexto. Syllogizare est intelligentis. Hoc facit canis (ait D. Basilius hom. nona Hexam) quia si leporem persequitur, & in persequendo ad triuium venerit, cum primum duplicem viam odorauerit, nec odorem leporis senserit, tertiam viam ingreditur, sic syllogizans, quod per eam necessaria oporterit illam fugisse.

Sed in contrarium stat primo, omnium fere sapientum consensus, qui belluas ratione orbatas asserit.

Secundo stat diffinitio hominis, nam ipse diffinitur, vt animal rationale, alia vero animalia dicuntur irrationalia.

Tertio stat, quod sic agerent ex electione, & ita in eorum actionibus esset laus, vituperium, meritum, & demeritum, honor, & contumelia, quæ omnia sunt cogitatione sapientum aliena.

Quarto. Hoc probat S. D. secundo contra Gentes, cap. 82. quia omnes belluæ habent determinatum modum operandi, non sic homines, qui artibus assuescunt, rationibus viuunt, ac in diuersas operationes distrahuntur.

Ad primum ergo dicitur, quod illi Phylosophi voluerunt intelligere, in brutis esse rationem non vere, & secundum rē, sed secundum imitationem, & quod habent suos cantus, & voces per quas congregantur, & fugiunt, motæ ab intelligentia non errante.

Ad secundum dicimus, quod bruta in enumeratis non mouentur intellectu, sed impetu naturæ, imittando virtutes proprias intellectualium.

Ad tertium, idem dicitur, quod illæ non sunt artes proprie, sed imitationes artium.

Ad quartum dicitur, quod illæ annunciationes futurorum sunt motus facti in eis ab intelligentia non errante, vt docet S.D. p.p. q.86. art.4.

Ad quintum dicimus, quod probat maiorem, & minorem imitationē veræ prudētiæ plus esse in quibusdam animalibus, quam in alijs, non vero probat in eis esse veram prudentiam, cum cognitione vocum ad placitum, cum discursu, & collatione præteriti, cum futuro, nullo motiuo præsenti existente.

CAPVT IX.

LECTIO XVII.

Peccatum autem fit, & in his, tex. 82.

POstquam Phylosophus quibusdā rationibus, ex principijs proprijs desumptis, opinionem antiquorum negantium naturam agere propter finem, euertit, modo ex principijs eorumdem antiquorum idem probare contendit. In his ergo duabus lectionibus primo explicabimus tex. Aristot. à tex. 82. vsque ad 90. Secundo circa hos textus aliqua annotabimus. Tertio quædam dubia adijciemus, & quarto videbimus an natura agat propter finem.

Quo ad primum. Primo loco Phylosophus refutat quoddam argumentum antiquorum quo ducebantur ad negandum naturam agere propter finem, quia scilicet in operibus naturæ peccata, idest monstra accidebant. Argumentatur ergo primo sic. Sicut se habet ars in artificialibus, ita se habet natura in naturalibus. Sed ars, verbi gratia scribendi, quamuis agat propter finem tamen in ea accidunt peccata, idest errores, sicut etiam contingit in arte medica medicum malam medicinā tali morbo aptare, ergo ex hoc quod peccata, & monstra in naturalibus accidunt, tollendum non est, quod propter finem non agant. Hinc conuincitur Empedocles naturam agere propter finem, dum dixit, in principio mundi quasdam substantias media parte fuisse boues, & media leones. Nam talia animalia fuisse, opus est fateri, quia cum natura agat propter finem, non

potuit

potuit ea ad vnitatem specificam cum generante deducere. Secundo probat naturam agere propter finem sic. Vbi sunt determinata principia, & determinata media agendi, ibi est determinatus finis. Sed in generatione determinata sunt principia, & media, nam semen prius est molle, postea fit durum, & deinde incipit viuere vita animæ vegetatiuæ, antequam animal perfectum fiat. Ergo in omni generatione, finis quoque erit determinatus. Tertio hoc probat. Si propter peccata naturæ ab ea subtraheretur ratio agendi propter finem ita vt omnia à casu eueniant, sequeretur, quod in arboribus tolleretur ratio finis, quia in his minus apparet ratio finis. Sed hoc est falsum (experientia teste) cùm in arboribus insertis videamus eas diuersos fructus producere. Ergo &c. Quarto si omnia casu euenirent, ita ut quodlibet posset produci à quolibet, sequeretur, quod ex semine hominis, leo posset generari, & ex semine leonis, capra, &c.

Secundo soluit Phylosophus motiuum illorum qui tenuerunt omnia à casu, & ex necessitate materiæ, & non propter finem euenire, sic contra eos arguendo. Id quod, vel semper, vel vt in pluribus finẽ consequitur, nisi impediatur, propter finem esse, fatendum est, & non à casu, vel ex necessitate materiæ. Sed naturalia si non impediantur semper suum finem determinatum, & certum cõsequuntur, &c. Ergo sunt propter finem.

Tertio soluit tertium motiuũ antiquorum, negantium naturam agere propter finem, quia scilicet non deliberat. Nam contra hos sic arguit. Ars certissima, verbi gratia scribẽdi, vel citarizandi propter finem est, & tamen non deliberat, ergo neque est necessarium naturam deliberare, ad hoc quod agat propter finem.

Monstra dicũtur peccata naturæ. Quo ad secundum primo notandũ est, quod Phyl. vocat monstra peccata naturæ, ob duplicem causam. Prima est, quia peccatum nihil aliud est quam auersio à fine recto, dum enim per peccatum à Deo auertimur, finẽm nostrũ derelinquimus. Secunda est, quia peccatum defectum significat, vnde Theol. dicunt peccatũ esse priuationem boni. A simili ergo dicimus, monstra esse peccata naturæ, quia cum natura intẽdat sibi simile perfectũ producere, pro quãto potest, dum impeditur, accidit monstrum, quod ideo dicitur defectus naturæ.

Nõ quodlibet fit ex quolibet. Secundo notandum venit circa illam propositionem, quod non quodlibet fit ex quodlibet, sed simile fit à simili, quod de fieri rei dupliciter loqui contingit. Primo in generatione, & sic verum est, quod simile sibi simile generat, & non quodlibet fit ex quolibet, quoniam semen generantis in vna specie, non est aptum ad aliam speciem. Secundo in quocũque alio fieri, etiam per alteratione, vt dum aqua fit aer, & aer ignis, & sic habet aliquam difficultatem in Metaphys. examinatam.

DVBIA.

Vtrùm monstra sint intenta à natura.

Videtur enim quod sic. Nam habens causam determinatam, per se fit. Sed monstra habent causam determinatam idest defectum materiæ, vel agentis. Ergo sunt intenta a natura.

Secundum dubium est contra id, quod asserit Philos. scilicet in arboribus non accidere monstra. Nam contra stat experientia, quia videmus arborem vnam insertam, producere fructus arborum diuersarum specierum, verbi gratia oliuas, poma, & pira &c. Hoc autem videtur monstruosum. Igitur etiã in arboribus reperiuntur monstra.

Tertio dubitatur cõtra alteram propositionem, scilicet Quod quæ fiunt per se, non possunt produci, nisi ex determinato semine. At contra stat, quod quis sic arguere poterit. Ergo quæ sunt a casu, ex quolibet semine fieri possunt. Sed hoc est falsum, quia monstrum in natura humana nõ fit nisi ex semine hominis, & inuentio thesauri, sub terra reconditi, non est nisi a fodiente terram, cum tamen hic effectus sit casualis.

Mõstrũ quid sit Pro resolutione horum dubiorum multa erunt fienda, in speciali autem pro resolutione primi. Primo videbimus quid sit monstrum. Secundo quot sint eius genera. Tertio quot, & quę causæ, & Quarto an à casu vel per se sint.

Quo ad primum dicimus. Monstrum secundum rem esse naturalem effectum, degenerantem a solita, & ordinaria dispo

ſitione generandi in vna ſpecie. Secundũ ætimologiam vero nominis (teste Cicerone ſecundo de natura deorum) monſtrum dicitur a mõſtrando, quia futuram aliquam calamitatem ſuperuenturam ſignificat, quare monſtra a quibuſdam alijs dicta ſunt internuntia iræ deorum, qua propter Romani vbi aliqua monſtruoſa accidiſſe audiebant, in quolibet anno, in remedium multas expiationes, & ſupplicationes faciebant, ad placandam iram deorum.

Ad hoc autem vt aliquid dicatur monſtruoſum. Primo requiritur, quod ſit naturalis effectus, quia in artificialibus monſtra non reperiuntur proprie, ſed tantum metaphorice.

Secundo requiritur, quod ſit defectus naturalis, nam natura non vitiata, neque aliquo impedimento detenta, rem perfectam producit, & non monſtruoſam. Tertio requiritur quod raro eueniat, quia eſt a caſu. Quarto requiritur, quod deficiant a ſimilitudine ſaltem indiuiduali generantis, ex quo dicuntur monſtra. Quinto, quod ſint inſolita in ſuo proprio ordine indiuiduali, quare pygmæi, gigantes, & ſimiles, qui eodem modo in ſuo ordine ſolent generari, non poſſunt vocari monſtra abſolute, & ſi aliquo modo, per comparationem ad ordinarios homines.

Genera monſtrorum. Quo ad ſecundum dicimus, quod multa ſunt genera monſtrorum. Primum eſt in ſexu, vt patet in Hermaphroditis, habentibus vtrumque ſexum. Secundum eſt in quantitate, vt ſi naſceretur homo cum capite magno vt modius eſt, vel paruo, vt eſt granum tritici. Tertium eſt in quantitate, & qualitate, vt ſi produceretur homo cum magna craſitie, vel macie. Quartum eſt in ſitu, vt ſi naſceretur homo cum capite inuerſo, vel cum pedibus ſupra ſpatulas. Quintum eſt in figura, vt ſi produceretur homo ambulans ſuper terram cũ manibus, more brutorum. Sextum eſt in victu vt dicitur de canibalis, & antrophofagis, qui dicuntur comedere carnes humanas. Septimum eſt in numero, vt ſi naſcatur animal cum duobus capitibus, vel homo cum tribus manibus &c.

Cauſe monſtrorum Quo ad tertiũ idest quo ad cauſas propter quę fiunt monſtra. Has enim dicimus quinque eſſe. Prima ergo attenditur penes diminutionem materiæ. Secunda penes ſuperfluitatem eius. Tertia propter qualitatem agentis, materiæ improportionati. Quarta propter malitiam continentis, intrinseci, vel extrinseci Quinta propter conſtellationes, de quibus omnibus breuiter dicemus. Prima ergo cauſa ex qua monſtra oriri dicantur eſt diminutio ſeu defectibilitas materiæ, & hoc contingit tripliciter. Primo ſecundum magnitudinem, vt cum infans naſcitur paruus, ſicut ouum. Secundo ſecundum numerum, vt dum naſcitur infans ſine aliquo mẽbro verbi gratia ſine vna manu. Tertio ſecundum numerum, & quantitatem, vt dum infans naſcitur paruus quantitate, & defectuoſus in aliquo membro. *Defectibilitas materia* Quare autem hæc monſtra accidant dicimus ex duplici cauſa procedere. Primo ex debilitate agentis, vel imaginatione, nam agens pauci ſeminis filios, nanos, & minimos producit. Et ad hoc multum facit imaginatio eiuſdem agentis. Secundo ex debilitate materiæ, quia ſcilicet ſemen remanet tenue, & debile.

Superfluitas materia. Secunda cauſa monſtrorum, eſt ſuperfluitas materiæ, quod tripliciter fieri poteſt. Primo ſecundum magnitudinem, vt ſi homo naſcatur magnus, vel habens aliquod membrum verbi gratia caput cum alijs improportionatum. Secundo ſecundum numerum, & hoc dupliciter. Primo abundando in membro debito, vt habendo duo capita. Secundo abundando in membro non debito, vel debito, ſed extra tempus, vt dum quis naſcitur cum dentibus, vel barba, vel magnis mamillis, vt de quadam puella de nouo nata refert Albertus, a cuius matre accepit, ipſam menſtrua pati, quod non ſolet accidere puellis ante quartum decimum annum vt plurimum. Ad ſuperfluitatem materiæ, & fortitudinem agentis reducitur partus gemellorum, vno partu natorum.

Inproportio materię Tertia cauſa eſt inproportio materiæ, vnde nimia caliditas ſeminis producit homines vltra modum pingues, & nimia frigiditas multum extenuatos, & ſi in ſemine concurrant qualitates contrariæ ſcilicet maſculeneitatis, & fęmineitatis, tunc fit androginus idest vtriuſque ſexus.

Quarta cauſa eſt malitia continentis, vnde ſciendum, quod foetus inuoluitur in ventre matris in quadam tunica, ſeu mẽbrana, quæ ſi rumpitur, ſemen fluit, vnde in-

de infans nascitur, vel claudus, vel cæcus, vel in aliqua parte defectuosus.

Malitia cõtinentis. Quinta causa est malitia continẽtis extrinceci idest aeris, & cæli, vnde Albertus vult, quod dum cæli influunt ad generationem hominum, tunc, bruta quæ generant, in genitis possunt imprimere faciem aliquo modo similem hominis Sed hæc extra intentionem nostram sunt directa.

Quo ad quartum scilicet an monstra sint intenta a natura, vel non, modo dispu tandum est.

LECTIO XVIII.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum monstra per se sint intenta à natura.

Videtur quod sic. Primo. Nam pulcritudo vniuersi est per se intentã a natura, secundum D. Aug. 16. de ciuitate Dei cap. 8. Sed mõstra pertinent ad pulchritudinem vniuersi, quia varietas pulchritudinem facit. Ergo &c.

Secundo. Habens causam determinatam, est per se intentum a natura. Sed monstra habent causas determinatas, supra explicatas. Ergo &c.

Tertio. Natura non intendit sui frustrationem. Ergo intendit monstra per se, quia aliter sua actio frustatur, non produ cendo per se intentum.

Mõstra nõ sunt per se intenta. In contrarium est Arist. hic cum S. D. & fere communi, excepto Benedicto Pererio lib. 9. cap. 10. suæ Philosoph. tenentis monstra per se esse intenta a natura.

Primo ergo notandum venit, quod mõstra bifariam considerari possunt. Primo in ordine ad agentem singularem, & sic non dicuntur per se intẽta, quoniam omne agens intendit sibi assimilare rem genitam perfecte, quantum potest. Secundo in ordine ad agentem vniuersalem, idest Deum, & sic sunt per se intenta, quia nihil est quod possit subterfugere intentionem Dei.

Secundo notandum venit, quod triplex est intentio naturæ. Prima dicitur principalis, qua intentione agens intendit producere sibi simile, secundum speciem, & secundum indiuiduum, vt homo masculus intendit producere hominem masculum. Secũda dicitur propria, sed secundaria, & hac agens intendit producere sibi simile secundum speciem. Tertia dicitur impropria, & fere coacta, & hac natura, ne totaliter frustretur sua actio intendit producere sibi simile non perfectum, sed quantum potest, dato impedimento. *Primaria intẽtione.*

Tertio loco principali ponitur conclusio. Monstra non sunt per se intenta primaria intentione. Probatur primo. Omne agens perfectum, intendit producere sibi simile primaria intentione quantum potest. Sed tale non potest esse monstrum, vt patet. Ergo monstra non sunt per se intenta. *Conclusio probatur.*

Secundo. Malum, & defectus non possunt per se intendi, sed monstra, sunt defectus, & mala naturæ. Ergo.

Tertio probatur testimonio Arist. dicentis monstra esse peccata naturæ, & ideo non per se intenta. Nec valet responsio Pererij, quod talia dicuntur, quia raro accidunt, & præter intentionem particularis agentis eueniunt. Primo, quia casualia non sunt per se intenta a natura, vt patet ex supradictis, & secundo quia natura agit per immediatam causam ad modum eius.

Ad primum ergo negatur minor, mon stra enim ostendunt defectibilitatem naturæ. Vel secundo dicitur, quod aliud est importare pulchritudinem vniuersi, & aliud variabilitatem eius, Primum enim denotat perfectionem, secũdum vero inconstãtiam, & defectibilitatem, vnde varietas specierum, generum, & indiuiduorum pulchritudinem naturæ dicit, non vero varietas defectuum, qualis est monstrorum.

Ad secundum dicendum ad minorum, quod habere causam determinatam stat dupliciter. Primo vt per se intenta. Secundo vt secundario intẽta ne frustretur actio naturæ, & hoc secundo modo monstra habent causam determinatam, nos autem loquimur de causa determinata primo modo.

Ad tertium patet responsio, hoc solum addito, quod agens particulare nullo modo intendit monstra, quia extra omnem eius intentionem est, quod actio impedia tur, & imperficiatur, vnde natura vniuersalis est illa, quæ secundario monstra intendit

intendit, quia esse melius est, quam non esse.

Ad secundum dubium principale dicitur, quod Aristot. negat monstra esse in arboribus a natura, non vero ab arte, vt patet in arboribus insertis.

Ad tertium dictum est, quod habent causam determinatam non absolute, sed ex suppositione impedimenti.

QVAESTIO XXV.

Vtrum natura agat propter finem.

VIdetur quod non. Primo. Nam agens propter finem, cognoscit finem. Sed natura non cognoscit finem, cum non deliberet, vt dicit Aristot. Ergo.

Secundo. Sic natura magis benefica fuisset circa bruta quam circa homines, quia certius mouet bruta ad fines suos.

Tertio. Sic natura moueretur fine. Sed hoc est falsum, quia finis est posterior natura, & nullum posterius mouet suum prius. Ergo.

Quarto. Quæ fiunt propter finem, ordinate fiunt. At in natura multa sunt inordinata, vt monstra, terremotus, tempestates, & similia. Ergo.

Quinto. Quæ ordinata sunt ad finem, ordinata sunt ad vtilitatem, & non in perniciem. At multa sunt inutilia in vniuerso, & multæ sunt herbæ, metalla, & animalia in perniciem hominum constituta. Ergo natura non agit propter finem.

Termini quæstionis explicãtur. Pro resolutione huius quæstionis. Primo notandum est, quod per naturam non intelligimus materiam, vel formam, quæ sunt principia quo agendi, & mouendi, sed per naturam intendimus agens habẽs naturam quod dicitur principium quod mouendi, & quiescendi. Ita dum affirmamus omnia agere propter finem, per ly omnia non intelligimus omnes res, quia sic etiam finis moueretur propter finem, & sic in infinitum, sed per omnia intelligimus omnes res, quæ non sunt finis.

Moueri ad finẽ fiat dupliciter. Secundo notandum venit, quod ea quę agunt propter finem sunt in duplici differentia. Quædam enim solum mouentur ab extrinseco ad finem sicut sagitta, si mouetur à sagittante, & sic quod taliter mouetur ad finem non naturaliter mouetur, id est per principium intrinsecum, sed per violẽtiam moueri dicitur. Secundo aliqua mouentur ad finem ab intrinseco, idest per aliquam formam, à natura eis inditam, quomodo leuia per leuitatem sursum mouentur, & grauia per grauitatem deorsum, & hic motus dicitur naturalis.

Tertio notandum venit, quod diuersimode mouentur ad finem insensibilia, animalia, & homines. *Diuersimode.* Nam insensibilia solum mouentur ad finem per inclinationem naturalem, sed per carentiam cuiuscunque cognitionis propriæ. Bruta vero naturaliter cognoscunt aliquo modo finem, non vero, vt homines, quia nec perfecte cognoscunt finem, nec eum eligunt, vel de eo deliberant, & de medijs, vt faciet homines. Triplex autem est finis agentium. Primus dicitur particularis, scilicet se conseruare in specie. Secundus dicitur homo, quoniam propter eum facta sunt omnia. Tertius dicitur vniuersalis, & præcipuus, & hic est ordo vniuersi, ad quem omnia ordinata sunt, vt per hũc ad Deum ascendamus, qui sicut omnia fecit, ita omnia ad se ordinauit.

Quarto notandum est esse differentiã inter prædita ratione, & ea orbata, quod rationalia mouentur ad finem ex se, irrationalia vero directa ab intelligentia non errante, idest mota à prima causa.

Sed hæc doctrina non placet Pererio lib. 8. cap. 3. vnde arguit, quod carentia ratione non moueantur directa ab alio. Primo, quia intelligentiæ motrices, vel non cognoscunt species sublunarium, vel eminenter eas cognoscunt, vt testantur (ipsomet & teste) plerique illustres Philosoph. Secundo. Quia dato quod mundus esset absque intelligentijs, adhuc grauia deorsum tenderent, & leuia sursum, & omnia mouerentur, ad proprias actiones, & ad finem per suas qualitates, & formas.

Nec valet inquit exemplum de sagitta, quæ dirigitur ad finem à sagittante, nam ipsa non habet intrinsecam formam, sicut habent naturalia, per quam moueatur de se ad finem.

Sed miror virum istum se opposuisse cõmuni doctrinæ Philosophorum. Nunquid apud Aristot. verum est, opus naturæ, esse opus intelligentiæ non errantis? Nunquid inferiora per superiora mouentur.

tur. Et cur ratione priuata certius, & vniformius mouentur ad suum finem, quam rationalia, nisi quia mouentur á certiori principio, scilicet ab intelligentia non errante? Cur boues, & alia animalia dum pluuia imminet, citius comedunt, & formicæ in æstate grana congregant, nisi quia ad hæc mouentur á generali prouisore, circa futurum? Vnde sileat ne Dei prouidentiam negare videatur, quod melius erit, quam dicere Sanctum Doctorem Philosophice non loqui.

Ad primam ergo eius rationē nil aliud dicendum est nisi quod est falsum, intelligentias, etiam motrices non cognoscere inferiora, nam cognoscere eminenter, & per speciem in adæquatam, non est cognoscere imperfecte, sed perfecte.

Ad secundam etiam patet, nos non negare, quod moueantur á proprijs formis, vt quo, sed dicimus moueri etiam ab auctore naturæ vt quod. Exemplum vero de sagitta currit tantum de directione, & nō de modo directionis. Relinquitur igitur hæc opinio, vt contraria Simplicio hic tex. 78. Themistio text. 81. Auerroi 12. Meth. tex. 18. D. Thom 1. parte quæst. 103. art. 1. & Aristot. expresse 4. de generatione animalium, vbi scripsit naturam nō esse absque ratione, quia ab alia ratione dirigitur, & primo de cælo tex. 32. ait, Deum, & naturam nil frustra facere, quia natura diuino nutu mouetur, quod repetit 12. Meth. tex. 52.

Ad primum dicimus ad maiorem, quod agens propter finem cognoscit finem si se mouet ad finem, non vero si ab alio moueatur, vt irrationalia ad eum mouentur.

Ad secundum dicitur, quod de perfectione hominis est esse liberum, & esse dominum suorum actuum, vnde habet se dirigere in finem, & non ab alio dirigi, & ideo libertas in hoc præualet certitudini, quæ est intelligentiæ.

Ad tertium dicimus, quod quamuis finis sit posterior in executione, est tamen prior in intentione, vt suo loco dictū est.

Ad quartum dicimus, quod inordinationes respectu inferiorum sunt ordinationes primæ causæ, quamuis nos sæpe lateant, & ordinantur ad ordinem vniuersi, secundum quod ipsa disposuit fiendū.

Ad quintum similiter dicimus, quod & si multa in vniuerso nociua, vel superflua videantur, tamen in ordine ad totum vniuersum, & Dei prouidentiam talia non sunt, quia omnia sunt Dei opera, & eius instrumenta ordinata, vel ad ostēdendam e.⁹ bonitatē, vel ad exercēdā eius iustitiā.

LECTIO XIX.

In hac vltima Lectione secundi Physicorum tria agenda erunt. Primo quidem erit explicandus titulus. Secundo apponendæ aliquæ annotationes, & tertio ponentur aliqua dubia.

Primo ergo quærit Philosoph. an necessitas rerum naturalium sit absoluta, vel ex suppositione. Ait ergo quosdam posuisse omnia ex necessitate materiæ absoluta prouenire, vnde dicebant, quod lapides, quia sunt graues ponuntur in fundamento, & terra, super eos, vt leuior ponebatur, & sic discurrendo.

Secundo loco reijcit hanc opinionem, & in summa hoc asserit, necessitatem rerum naturalium pendere quidem ex materia, sed non tantum, verum etiam ex fine, & magis á fine, propter quem materialia dicuntur necessaria.

Circa supradicta autem primo notandum est, quod cum quatuor sint genera causarum, materia, forma, & efficiens important necessitatem absolutam, sed cum hoc quod dicant ordinem ad finem, vnde secundum se habent necessitatem absolutam, sed vt ordinata ad finem, ex suppositione, idest ex suppositione finis. *Finis est prima causarū*

Secundo notandum venit, quod finis dicitur causa causarum, nō secundum esse reale consecutum; sed secundum esse intentionale motiuum, quia mouet omnes causas, eas ad se ordinando. *Necessitas causarum.*

Tertio notādum est duplicem esse diffinitionem. Prima dicitur partialis, & hæc datur tantum per vnam causam, vt si diffiniamus tonitruum per causam materialem tantum, dicemus. Tonitruum est continuus sonus factus in nubibus. Secunda dicitur totalis, & datur per causam materialem, & finalem cum inclusione aliarū, quare sic diffiniendo tonitruum dicemus. Tonitruum est continuus sonus, factus in nubibus ob extintionem ignis, & hæc etiam vocatur demonstratio sola positione, idest ordine differens, & ex hoc deducit Phil. materiam ordinari ad finem.

D V-

DVBIA.

Sed aliqua occurrunt dubia circa supradicta. Primum ergo dubium accidit circa quędam dicta S.D. Nam in quinto Metaph. distinguit causas in intrinsecas, & extrinsecas, & ait, quod extrinsecæ sunt efficiens, & finis, & intrinsecæ sunt materia, & forma, tunc subdit, quod causæ extrinsecę dicuntur necessarię ex suppositione, intrinsecæ vero absolute, hic autem asserit, quod efficiens vocatur causa necessaria absolute. Hæc autem sibi contradicere, patet.

Pro resolutione huius dubij. Primo sciendum est, quod necessarium dupliciter dicitur, primo absolute, secundo ex suppositione. Necessarium absolute illud est, quod omni alio circumscripto necessariam habitudinem causalitatis, & effectus importat. Necessarium vero ex suppositione illud est, quod ex alio necessitatem acquirit, & tale necessariū est illud, quod respicit finem. Necessitas autem absoluta quandoque à materia pendet, vt quod omne compositum ex contrarijs sit corruptibile, quandoque vero formam sequitur, vt quod homo sit rationalis. Necessitas autem finis duplex est. Prima dicitur simpliciter, quia importat aliquid sine quo finis non potest assequi, vt sine cibo quis non viuet. Secunda dicitur ad bene esse, quia solum facit ad commoditatem, vt equus dicitur necessarius volenti iter commode peragere.

Secundo notandum venit, quod duplex est necessitas absoluta. Prima dicitur consequentiæ, quia aliquo dato, ex eo aliud necessario sequitur, vt dato, quod ego sedeam, necesse est me sedere, & dato quod sol moueatur super hemisphęrium nostrum, & subtus, necessario sequitur alternatio diei, & noctis, nam dum super terram lucet, diem facit, & dum subtus, noctem constituit. Sed sciendum, quod duplex est necessitas consequentiæ. Prima dicitur conditionata, & in hac ex alio supposito aliud non necessario sequitur semper nam, verbi gratia, domus facta est ad habitandum, & tamen potest contingere ex multis impedimentis, belli, exilij, quod non habitetur.

Secunda dicitur absoluta, & in hac ex alio dato, aliud necessario sequitur, vt quod lucente Sole super terram, dies sit. Secunda necessitas absoluta, dicitur consequentis, & hęc pendet ex necessaria habitudine terminorum, vt quando prædicatum est de diffinitione subiecti, vt est rationale de diffinitione hominis, in primo modo dicendi per se.

Ad argumentum ergo respondetur, quod efficiens dicit necessitatem absolutam consequentiæ, sed non consequentis, vt dicunt materia, & forma. Vel dicendū, quod duplex est necessitas absoluta. Prima dicitur simpliciter, & hæc pēsantur ex intrinseci. Secunda dicitur secundū quid & hæc etiam pensatur ex fine.

Secundo dubitatur. Vtrum necessitas rerum naturalium pręcise sumatur à materia, vel pręcise à fine. Nam probo, quod præcise sumatur à materia. Omne compositum ex cōtrarijs corruptibile est necessitate materiæ, & non finis, cum corruptio non possit habere rationem finis, qui bonus est. Ergo necessitas rerum naturalium non pendet à fine.

Sed contra probatur quod præcise pendet à fine. Omnis denominatio contingentis, & fortuiti à fine solum est. Sed omnes res naturales sub contingentia, & fortuna sunt positæ cum sint defectibiles. Ergo necessitas rerum naturalium solum pendet à fine. Respondeo necessitatem rerum naturalium præcise non pendere à fine, cum multę ab eo consequendo impediantur. Nec præcise pendet à materia, cum omnia propter aliquem finem sint creata. Ideo.

Secundo notandū est, quod omnia dicuntur necessaria necessitate finis. Sed duplex finis est. Primus dicitur distinctus à rebus ipsis, ad eum ordinatis aperte, & manifeste. Alius vero dicitur finis obscurus, & immanifestus, qualis est finis generationis, generatio, & corruptionis, corruptio, & diuisibilitatis, diuisio, & hic finis potius pensatur ex intrinseca natura, & conditione rei, quam ab extrinseco.

Ad argumētū ergo pro materia patet, quod corruptio est finis intrinsecus compositi ex cōtrarijs, finis vero extrinsecus erit ordo vniuersi, prout positus est in vicissitudine generationis, & corruptionis.

Ad secundum similiter patet, quod res naturales denominantur tales etiā à materia, ex qua dicuntur materiales.

Finis Secundi Libri.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

LECTIO I.

Quoniam autem natura est principium motus. text. 1.



Habitis his, quæ ad principia entis mobilis, & scientiæ naturalis faciebant, hic incipiendum est tractare de subiecto eiusdẽ scientiæ naturalis, idest de ente mobili. In præsenti autem lectione tria faciam, primo explicabo textus primi capitis huius tertij. Physicorum, secundo circa eos aliqua annotabo, & tertio dubitabo.

Quatuor igitur ex hoc primo cap. textualiter habemus. Primum est, quod ad naturalem spectat agere de motu. Probatur. Ad Physicum spectat agere de natura. Sed natura non potest cognosci sine motu, quia est principium motus, ergo ad Physicum spectabit tractare de motu.

Secundum est, quod similiter ad Physicum spectat tractare de infinito, de loco, de vacuo, & de tempore, quod de infinito probat. Determinans de aliquo subiecto, debet etiam determinare de consequentibus subiectum. Sed infinitum vt passio consequitur motum, vt subiectum. Ergo ad Physicum pertinet determinare de infinito. Maior supponitur vt nota. Minorem probat, quia motus est de numero continuorum, continuum autem est diuisibile in infinitum. Idem probat de loco, tempore, & vacuo sic. Motus non fit nisi in loco non vacuo, & fit in tempore. Ergo ad naturalem attinet de supradictis tractare, ad hoc vt perfectam notitiam motus consequatur. A communioribus autem incipiendum erit, & deinde descendendum ad propria.

Tertio loco tradit quasdam diuisiones, ex quibus elicit definitionem motus. Prima ergo diuisio est, quod quædam res dicuntur esse in potẽtia, vt materia, & quędam in actu, vt forma. Secunda diuisio est, quod quæ sunt in actu, in decem prędicamenta secantur, quia quędam est substantia, quædam quantitas, quędam qualitas, ad aliquid, &c. Tertia est, quod ad aliquid quandoque fundatur super quantitate, quandoque supra actione, & passione, quia mobile dicitur à motu mobile, & motiuum dicitur mobilis motiuum. Habeas autem circa primam diuisionem, quod Doctores digladiantur, nam Psellus Alexander, Themistius, Simplicius, & Philoponus distingunt ens, in ens actu tantum, & in ens actu, & potentia simul, & dicunt ens actu tantum esse substantias separatas a materia, ens vero actu, & potentia esse decem prędicamenta, quę diuiduntur per actum, & potentiam, iuxta ea quę tradit Arist. quinto Methaph. cap. 7. Alij addunt tertium membrum, scilicet entis in potentia tantum, & dicunt, quod quæ tantum sunt actu, sunt omnes formæ substantiales, & accidentales, quæ potentia tantum, materia. Et quæ actu, & potentia, composita ex materia, & forma. Sed communior expositio est, quod non de rebus hic sit sermo vt entia sunt, sed vt stant sub actu, & potentia. Ita vt sit sensus. Quædam res sunt tantum in potentia ad moueri, verbi gratia aqua ad calefactionem. Quædam tantum in actu, vt summe calida, & quædam in actu permixto cum potentia, vt est aqua tepida mobilis ad vlteriorem gradum caliditatis. Sic bene verificamus motum esse actũ mobilis, existentis in actu, sed in potentia ad terminum motus.

Quarto loco tradit Arist. tria de motu. Primum est, quod motus non est præter res ad quas est motus, quia omnis motus, aut est secundum substantiam, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut ad vbi, vnde videtur deducendum, quod motus, & terminus motus sint eiusdem prædicamenti.

Secundum est, quod nihil est, accipitur tanquam commune ad supradicta prædicamenta, in quibus est motus, quare non datur quoddam commune reale vniuocū Physice, vel ana lagum logice ad dicta prædicamenta, per vnam rationem præcisam motus. Tertium est, quod in quolibet prædicamento sunt multæ contrarietates, vt quæ attenditur inter perfectum, & imperfectum, & inter habitum, & priuationem.

Ratio ordinis. Quo ad secundum autem principale, primo notandum est, quod recte Aristot. postquam de natura egit in secundo, hic incipit tractare de motu. Primo. Quia post cognitionem principij, & causæ agendum est de eo quod est à principio, & causa. Modo natura est principium, & causa motus, & ideo post tractatum de natura, sequitur tractatus de motu. Secundo. Quia Phil. in primo lib. inuestigauit principia sui subiecti, in secundo vero inuestigauit principia scientiæ naturalis scilicet naturam, & causas, ergo tandem erat agendum de subiecto mobili naturali, idest de motu rei naturalis. Tertio quia perfecta cognitio naturæ, & vitæ præcipue pendet a motu, vt testatur Plato de legib. 10. nam per motum cognoscimus quæ entia viuant, & quæ non, & ex eodem superiorum, & inferiorum conditionem deprehendimus.

Secundo notandum venit circa rationem adductam ab Aristot. quod Physicus agat de motu, quia scilicet agit de infinito, quod est continuum. Considerandum enim est, quod continuum bifariam considerari potest. Primo quoad partes ex quibus componitur. Secundo quoad ea in quibus resoluitur. Primo modo fuit definitum in prædicamentis, quod est id ad quod copulantur partes, vt ad terminum communem. Secundo vero modo diffinitum est hic, & quinto Methaphis. quod est quoddam diuisibile in infinitum. Ideo Philosophus dixit multoties diffiniri continuum per infinitum, non vero dixit semper, propter duplicem eius diffinitionem. *Continuū dupliciter sumitur*

Motum multa cōsequūtur. Tertio notandum venit, quod omnia ista, dicuntur in textu cōsequi motum, scilicet infinitum, locus, tempus, & vacuum, sed non eodem modo. Nam infinitum consequitur motum intrinsece, quia motus intrinsece est continuus, & continuum intrinsece est diuisibile in infinitum. Locus vero, tempus, & vacuum consequuntur motum extrinsece. Locus vt in quo est motus. Tempus vt est mensura motus. Vacuum autem non secundum veritatem, sed secundum existimationem plurium, nam ad perfectum artificem non solum spectat docere veritatē, sed etiam euertere omnem falsam opinionem.

Quarto notandum circa tertiam diuisionem, quod cum relatio habeat debilissimū esse, ideo fundatur supra duo præcipua prædicamenta accidentium, scilicet supra quantitatem, & supra actionem, vel passionem. Nec obstat Aristot. in prædicamentis dixisse, quantitatem non dici ad aliud, quia hoc verum est de quantitate secundum se, & absolute considerata, non vero vt est ei proprium dici secundum æqualitatem, & inæqualitatem. *Relatio fūdatur in quātitate.*

DVBIA.

Tertio loco se offerunt quædam dubia ventilanda. Primum autem est in quo genere reperiatur motus, nam Philosoph. in textu dixit non esse præter res ad quas est motus. Hec autem plures sunt, vt diximus.

Ad hoc dubium respondet Pererius lib. 13. cap. 2. suæ Philosophiæ, quod motus per se in nullo est prædicamento, sed reductiue in illo est in quo est terminus motus. Hoc probat primo. Nam motus per Aristot. hic, non est aliquid commune, præter illa prædicamenta ad quæ est motus. Ergo per se non erit aliquid distinctum a prædicamentis, in quibus reperitur. Secundo, quia via ad terminum, est eiusdem prædicamenti cum termino. Motus est via, & prædicamentum terminus. Ergo reductiue erit in eodem prædicamento.

In contrarium multi tenent, motum non solum reductiue, sed per se esse in prædicamento.

Primo ergo notandū venit, quod aliud est dicere motum esse quoddam extraneū à prædicamentis, in quibus reperitur, & aliud, quod non sit in vno tantum prædicamento. Primum quidem falsum est, cum motus non sit præter res ad quas est motus,

motus, vt hic asserit Aristot. Secundo vero falsum est in hoc sensu, quod motus in communi consideratus, non sit per se in prædicamento.

Secundo ergo cōsiderandum est, quod motus dupliciter considerari potest. Primo vt est talis motus, verbi gratia ad substantiam, vel ad quantitatem, &c. Secundo secundum hanc suam rationem absolutam, scilicet vt dicit fluxum, & tendentiam ad terminum motus, vt sic. Primo modo non est nisi in prædicamento in quo est talis res, quæ mouetur, quod probant rationes Pererij, vnde difficultas stat in secundo.

Motus dupliciter sumitur.

Ideo tertio dicendum, venit, quod motus absolute consideratus nō est quid realiter distinctum realiter a prædicamentis in quibus reperitur, secundum rationem tamen maiorem conuenientiam habet cum actione, & passione, quam cum alijs prædicamentis, quia motus est inter duos terminos, scilicet a quo, & ad quem, quorum vnus habet rationem actiui, & alius passiui: & ideo per se primo hanc rationem dicit, quia propter Arist. ipsum definiens dicit ipsum esse actum mobilis.

Motus est inter actionē, & passionem.

Secundum dubium occurrit circa primum textum, in quo Philosophus dixit, quod ad cognoscendum naturam oportet cognoscere motum, quia natura est principium, & causa motus. Sed hoc idem affirmare debebat de quiete, quoniam natura eius est causa, sicut, & motus. Ad hoc dicendum, quod motus habet rationem positiui, & quies priuatiui, modo per positiuum cognoscitur priuatiuum, & sic tradendo cognitionem motus, subintelligitur quoque explicata natura quietis. Non immoratur autem Philosoph. circa naturam quietis, sicut facit circa naturā motus. Primo, quia hæc scientia cum sit realis, & positiua, debet agere de realibus, & positiuis, vt est motus, & non quies. Secundo, quia tractando de motu agitur de quiete, cum sit eius terminus. Tertio, quia res naturales per se ordinantur ad motum, cum sint in continuo fluxu, ad quietem vero ordinantur consequtiue. Quarto, quia quies, vt dicit perfectonem, & statum rei præ sefert terminum motus, quare agendo de terminis motus, intelligitur etiam de ea habitus sermo.

Tertio dubitatur circa textum tertiū, dum Philosoph. dicit, quod id quod est, quoddam est in potentia, & quoddam in actu. Nam contra stat, quod illud quod est in potentia, non vere est, sicut esse diuitem in potentia, non est vere esse diuitem.

Ad hoc respondetur, quod ens in potentia suo modo vere est ens, idest in potentia. Sed hic duo nota. Primū est, quod multum interest, inter esse actum, & esse in actu, & inter esse potentiam, & esse in potentia. Nam esse actum, est esse formā dantem esse subiecto, & esse in actu conuenit etiam subiecto materiali, quod dicitur esse in actu, per actum, idest per formam. Ita esse potentiam significat quid actui contradistinctum, sed esse in potentia significat subiectum sub vna forma existens esse in potentia ad aliam. Secundo ergo elice scilicet quod Arist. diuisit ens in id quod est in actu, & in potentia, & nō ipsum diuisit in actum, & potentiam, & per hæc duplex patet responsio ad argumentum.

Quarto dubitatur circa textum quintum, in quo dictum est, quod motus est perfectio rerum, & quomodo, non explicatur.

Respōdetur, quod cum motus sit actus mobilis, ideo dicitur eius perfectio, quia facit, quod id quod in potentia erat mobile, actu moueatur.

QVÆSTIO I.

Vtrum ad sciendam naturam, sit necessaria cognitio motus.

Videtur quod non. Nam sic sequeretur, quod motus nos duceret in cognitionem naturæ (vt dicitur in textu.) Sed hoc est falsum, quia posterius non ducit in cognitionem prioris, motus autem est quid posterius natura, cum natura sit eius principium.

Secundo. Effectu ignorato non est necesse ignorare causam, quia possum cognoscere cælum absque aliquo effectuum eius. Sed motus est effectus naturæ, vt patet ex diffinitione eiusdem naturæ. Ergo ignorato motu, non ignoratur natura.

Tertio. Naturam esse est per se notum, & velle eam probare esse, est ridiculum,

vt dicitur secundo Physicorum cap.1. ergo absque cognitione motus natura potest cognosci.

Quoniam hæc difficultas non est magna, ideo breuiter dico diuersas esse expositiones circa hoc, quod ex motu deueniamus in cognitionem naturæ. Nam Albertus per naturam hic interpretatur formam, & primum motorem, quem nõ percipimus nisi per motum, vt videndũ erit 8. Physicorum. Sed hæc expositio non est sufficiens, quia non solum primum motorem, verum etiam alias naturas cognoscimus per motum. Alij igitur dicunt, quod natura potest bifariam considerari. Primo quoad an est, idest quoad existentiam, & sic possumus cognoscere naturam sine motu. Secundo quo ad quid est, & sic natura non potest quidditatiue cognosci, motu ignorato, quia per motum diffinitur. Sed melius dicendum est, quod natura bifariam sumi potest. Primo materialiter, vt est hæc, vel illa res materialis. Secundo formaliter, vt est principium motus, & quietis. Primo modo potest cognosci sine motu, sed hæc cognitio erit imperfecta, secundo autem modo per motum cognoscitur perfecte, & per eũ quidditatiue definitur.

Ad primum ergo dicitur ad probationem minoris, quod & si posterius non ducat nos in cognitionem prioris à priori, nos tamen ad eam conducit à posteriori, & sic motus notificat naturam, sicut facit effectus causam.

Ad secundum dicendum, quod causa bifariam considerari potest. Primo materialiter, vt res est, & sic potest cognosci sine alio. Secundo formaliter, vt causa est, & sic cælum non cognoscitur esse causa inferiorum, nisi vt inferiora cognoscuntur tanquam eius effectus, & ita motus esse effectus naturæ.

Ad tertium quidam dicunt argumentũ currere de an est naturæ, & nos loqui de quid est, vt supra. Sed hæc responsio non subsistit, quia vt dicitur in textu per motum cognoscimus naturam esse. Ideo melius dicitur, naturam esse manifestum esse vt includit motum, sensu deprehensum, & non vt ipsum excludit.

CAPVT II.

LECTIO II. & III.

Diuisio autem secundum vnumquodque genus. tex.6.

POstquam Philos. omnia ea præmisit, quæ ad diffinitionem motus dandam necessaria existimauit, hic accedit ad diffiniendum motum, & ad probandas singulas eius particulas. Ait ergo, quod sicut dictum est, ens quoddã est actu, & quoddam in potentia, ita deducendum venit, quod motus est endelechia, idest actus existentis, in potentia, in quantum eiusmodi. Probat autem hoc in omnibus speciebus motus, quia alteratio est actus alterabilis, inquãtum alterabile est, & augmentum est actus rei augumentibilis, inquantum augmentabilis est, & decrementum est actus rei diminuibilis, vt talis est, & generatio est actus rei generabilis, & corruptio rei corruptibilis, inquantum eiusmodi, & loci mutatio est eorum, quæ locum mutant inquantum sunt potentia ad hoc, vt locum permutare possint. Trahit deinde ad probandas singulas particulas positas in diffinitione. Et primo probat quod sit actus sic. Illud quo aliquid de potentia ad actum reducitur, illud tale actus est. Sed motus est, quod reducit mobile de potentia ad actum, ergo erit actus. Probat minorem quibusdam exemplis. Nam ædificabile dum ædificatur, reducitur de potentia ad actum, & sic dicendum est de medicatione, doctrinatione, volutatione, saltatione, iuuentute, idest augumento, & senectute, idest decremento. Secundo probat, quod sit actus existentis in potentia sic. Motus est actus illius rei in qua semper inuenitur. Sed motus semper inuenitur in existente in potentia, nam verbi gratia facit de potentia calidum, actu calidum. Ergo motus erit actus materiæ, vel existentis in potentia. Tertio probat illam particulam inquantum huiusmodi. Primo exemplariter, nam aes quod est in potentia ad formam statuæ, non acquirit formã statuæ, vt est aes, quia sic habet formam æris, sed inquãtum est in potentia ad formam statuę. Secundo hoc idem probat ratione sic. Subiectum, & potentia ad formã

per

per motum acquisibilem differunt, quia subiectum, vt subiectum non est simul susceptiuum contrariorum, quod tantum habet vt est in potentia ad formas contrarias, successiue acquirendas. Ergo motus erit actus entis existentis in potentia, inquantum est in potentia.

Zeno negauit motum

Circa supradicta autem primo notandum est, quod solus Zeno motum negauit, & debili ratione ductus, quod motus fieri debet per spatium continuum. Ergo infinitum, infinitum autem non est pertransibile. Nam respondetur, quod in continuo sunt partes infinitæ in potentia, sed finite in actu, & ideo non pertransitur in potentia, sed bene in actu.

Motus mala diffinitio.

Secundo notandum venit cum Sancto Doctore, quod quiddam definierunt motum dicentes, quod motus est exitus de potentia ad actum, non subito. At hæc diffinitio reijcitur dupliciter. Primo, quia nihil diffinitur per suũ posterius. At ly exitus, cum dicat vnam speciem motus, oportet eum esse posteriorem motu. Ita etiam ly subito, cum significet tempus, & tempus causetur à motu, erit quid motu posterius. Secundo reijcitur, quia diffinitio perfecta non est reijcienda propter imperfectam, sed diffinitio data ab Arist. de motu cum sit per actum, & potentiam, erit per priora, & consequenter per perfectiora, quam per exitum, quod est quid posterius. Ergo merito reijcitur.

Motus sumitur hic cõiter.

Tertio notandum venit, quod motus dupliciter sumitur. Primo pro omni mutatione, sit substantialis, vel accidentalis. Secundo proprie, pro vt significat rem mobilem, non ex pura potentia ad actum transeuntem, vt fit in generatione, sed de esse imperfecto ad esse perfectum procedentem, prout contingit in motu augmenti, alterationis, & locali. Primo modo hic consideratur motus, vt exẽpla in textum adducta à Philos. clare indicant.

QVÆSTIO II.

Vtrum motus sit recte sic diffinitus. Motus est actus, entis, existentis in potentia, inquantum huiusmodi.

Videtur quod motus non sit recte diffinitus, & primo arguitur quod non sit actus. Actus significat aliquid per se stans, vt patet in intelligentijs, & Deo. Sed motus non significat rem per se stantem, sed fluentem, ergo non erit actus.

Secundo. Vnus actus non potest esse diuersorum. Sed motus est actus entis existentis, & in potentia, quæ sunt diuersa, ergo non erit actus.

Tertio. Actus facit subiectum existere in actu, sicut albedo facit parietem actum album. Sed motus non facit subiectum existere in actu, cum sit eius actus, vt existit in potentia, vt dicitur in diffinitione. Ergo &c.

Quarto. Non minus motus includit potentiam ad terminum, quam sit actus entis existentis. Ergo non minus debet dici potentia, quam actus.

Quinto. Actus per Arist. secundo de anima duplex est, primus, & secundus, idest esse, & operatio. Sed motus non est actus primus, quia non est esse rei, nec est actus secundus cum non sit operatio proueniens à forma, sed tendens ad formam. Ergo nullo modo est actus.

Sexto. Motus per Arist. quinto huius denominatur à termino ad quem, sed terminus motus non est actus, sed potentia, ad quam est, Ergo &c.

Septimo. Si motus est actus existentis in potentia, erit actus omnis existentis in potentia, & consequenter etiam materiæ. Sed materia est pura potentia, & non actus permixtus potentiæ. Ergo &c.

Octauo. Illa non est bona diffinitio, quæ conuenit alteri à diffinito. Sed diffinitio motus conuenit omni formæ, quoniam omnis forma est actus, non iam existentis in actu, sed in potẽtia. Ergo non est bona.

Nono. Hæc diffinitio conuenit motui communiter sumpto, & consequenter etiam generationi. Sed generatio non est actus entis existentis, sed in potentia, neque successiue fit, sed in instanti, ergo nõ est bona, quia non conuenit omni contento sub definito.

Decimo. Aut motus definitur vt est actio, aut vt est passio. Si primum non est actus existentis in potentia, cum actio sit actus perfectus agentis. Si secundum, primum non est explicatum, idest, quomodo sit actus agentis, & sic definitio est mãca.

Vndecimo. Bona diffinitio debet explicare naturam definiti, sed hæc non explicat hoc, quia non explicat terminum à quo,

quo, & ad quem, inter quos est motus. Ergo &c.

Duodecimo. Actus, & forma idem significant. At forma, sit substantialis, vel accidentalis rem constituit in determinata specie sui prædicamenti. Sed motus non est in determinata specie prædicamenti, vt dictum est supra. Ergo &c.

Decimotertio. Intelligere, & velle per Arist. 9. Meth. sunt actiones, & motus. Sed hi actus non sunt existentis in potentia, cum sint actus intellectus, informati specie, & voluntatis properantis ad bonum. Ergo &c.

Decimoquarto. Dum aqua ex calida fit frigida mouetur, & tamen tunc nõ acquirit formam, sed eam deperdit. Ergo motus non est actus entis in potentia, inquantum huiusmodi.

In contrarium est Arist. hic.

Motus est res realis. Pro explicatione huius quæstionis. Primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo loco probabimus cõclusionem, & Tertio soluemus argumenta. Primo ergo notandum venit, quod quædam res totaliter sunt ad extra, nec ab intellectu dependẽt, vt sunt Angeli, animalia, & similia. Quædam vero solum intellectu existunt, nec aliquod fundamentum habent in re, vt fictitia, & chimerica. Quædam vero fundamentaliter sunt in re, & formaliter in intellectu, & talis est motus, qui fundamentaliter est forma, sub fluxu constituta, sed formaliter importat relationem existentem, inter terminum à quo, & ad quem sub motu.

Tria sunt in motu. Secundo igitur considerandum venit, quod tria sunt in motu. Primum forma existens sub actu imperfecto, & progrediens ad perfectum, vt caliditas in duobus gradibus, quæ mouetur ad quintum gradum. Secundum est fluxus, seu tendentia, ad vlteriorem gradum deducẽs formam, de esse imperfecto ad esse perfectum. Tertium est ordo, seu relatio reperta inter actum perfectum, & imperfectum sub motu. Duo priora habet motus sine intellectu. Tertium vero ab intellectu est.

Quæ sint quæ mouentur. Tertio notandum venit, quod quædam rẽs sunt in actu perfecto, vt perfecte calidum, vel perfecte album, & hæc non mouentur quia nõ possunt procedere de potentia ad actum. Quædam vero sunt in pura potentia ad actum talem, verbi gratia lignum ad formam terræ, & etiam hæc nõ mouentur, quia carent forma mouente de esse imperfecto ad esse perfectum. Quædam vero sunt sub actu imperfecto, non cum potentiali tantum tendentia ad actum perfectum, sed cum actuali fluxu ad terminum, & hæc sunt illa, quæ dicuntur moueri.

Motus est actus. Quarto notandum est circa (ly motus est actus) quod actus dupliciter considerari potest. Primo generaliter, vt distinguitur contra potentiam, quia actus dicit actualitatẽ, & potentia potentialitatem, & sic pertinet ad cõsiderationẽ Methaph. & diuidit omnia prædicamenta. Secundo modo potest considerari pro actu imperfecto naturalis mutationis, & ita potentia pro potentia ad terminum, & sic hic ponuntur in diffinitione motus, actus, & potentia. Hinc elicimus falsum dixisse Pererium, dum asserit, hanc diffinitionẽ potius esse Methaphy. quam Phys. quia consideratio actus, & potentiæ Methaph. est. Nam hoc verum est de actu, & potentia, vt sunt entia, & non vt talia entia, idest trãsmutationi naturali subiecta, prout dixit Arist. in 6. Meth. quod Meth. cõsiderat ens, vt ens, & Phys. vt ens est mobile.

Endelechia. Quinto notandum est circa hunc terminum (motus est actus) quod dissidium est inter Doctores circa interpretationẽ ly actus, qui Græce dicitur endelechia. Nam Cicero in quæstionibus Tusculanis solutione quarta per endelechiam intelligit continuatam motionem. Sed hæc interpretatio displicet quibusdam Græcis, cum apud eos non habeat tale significatũ. At Porphirius, Alexander, & Themistius per endelechiam intelligunt actum. Sed Simplicius censet subtrahendum esse nomen endelechiæ, cum significet actũ perfectum, qualis non est motus, vnde legendum venit secundũ ipsum motus est energia, quòd significat actum imperfectum. Sed textus communiter legit, motus est endelechia, sumendo endelechiam cõmuniter, prout se extendit ad actum perfectum, & imperfectum, & non proprie, prout denotat tantum actum perfectum.

Entis. Sexto notandum est circa alterum terminum, scilicet (ly entis) quod Pererius dicit hic non sumi ens, vt est de numero transcendentium, sed vt est participium verbi substãtiui sum, es, est, & idem significat

ficat quod existens. Sed dicendum venit, quod ly entis non significat existentiam entis, sed mobilitatem entis, vnde motus dicitur actus entis, prout sub motu est in potentia ad terminum, & consequenter stabit pro ente mobili quod est subiectũ naturalis Philosophiæ, sic enim diffinitur propria passio per proprium subiectum, & ens sit considerationis Philos. naturalis, nam existentia est vniuersalis considerationis.

Ratio motus. Septimo notandum venit, quod motus (vt diximus) duo dicit scilicet formã tendentem de esse imperfecto ad perfectum, & fluxum eiusdẽ formæ tendentis de esse imperfecto ad perfectum. Ratio autem formalis motus præcise non consistit in forma fluente, vt dicunt Albertus, Simplicius, & Auerroes, quia forma non est mutatio, nec motus. Nec præcise stat in fluxu, quia fluxus secundum se non fluit, neque tendit de esse imperfecto ad esse perfectum. Stabit igitur in forma mobili sub fluxu, idest non in forma vt res est, sed vt mobilis est, & pro vt apta nata est acquirere terminum motus, vt dicit S. D. hic lectione secunda.

Conclusio probatur. Quo ad secundũ principale pono hanc conclusionem. Recta est diffinitio motus. Probatur. Illa est bona diffinitio, quæ constat ex genere, & differentia, & explicat naturam definiti, neque continet aliquid superfluũ, vel diminuti. Talis est ista. Ergo est recta. Maior est Porphyrij cap. de genere. Minor prob. Nam actus stat pro genere, quia duplex est, scilicet perfectus, & imperfectus, substantialis, & accidentalis. Ly entis existentis in potẽtia ponitur ad differentiam actuum in summo perfectorum, vt est summum calidum, & summũ frigidum. Ly vt in potentia ponitur ad differentiam, actuum imperfectorum, qui non sunt in fluxu ad perfectiorem gradũ, vt est aqua tepida, quæ sistit in tepiditate, & non mouetur ad maiorem calorem.

Argumenta soluuntur. Ad primum primo respondetur, quod aliud est dicere, quod aliquid sit actus, & aliud quod sit actus existentis in potẽtia. Primum significat quid per se stans. Secundum vero significat quid alicui inhærens. Vel secundo dicas, quod actus formaliter non dicit per se stãs absolute, sed relatiue dicitur potentiæ actus. Vel tertio dicendum, quod actus perfectus potest dicere subsistentiam, non vero actus mobilis ad terminum, vt dicitur motus.

Ad secundum dicendum, quod verba legenda sunt coniunctim, idest motus est actus existentis in potentia, & non diuisim, idest entis, & potentia.

Ad tertium dicendum, quod motus est actus existentis quidem in actu, sed cum potentia ad terminum motus, ad quem reducitur per motum.

Ad quartum respondet Pererius lib. 13. cap. 3. adducendo multas causas, & intermiscendo multa falsa alibi tractanda. Veritas enim est, quod motus diffinitur per actum, & potentiam, vt patet ex eius diffinitione, sed magis diffinitur per actum, quia dum res sub actu motus est, tunc mouetur, & cum deuenit ad terminum ad quem erat in potentia, quietis.

Ad quintum respondet Perertus, quod Philos. in secundo de anima locutus est solum de actu perfecto, qui diuiditur in primum, & secundum.

Sed errat, quia sic motus nullo modo esset actus, quia omnis actus, vel est primus, vel est secundus. Ideo dicendum venit quod esse, & operatio duplex est, scilicet esse perfectum, & imperfectum, & operatio perfecta, & imperfecta, vnde motus dicit esse imperfectum mobilis, vt mobile est, cum tendentia ad esse perfectum. Vel dicere possumus, motum esse actum secundum, idest operationem, & quamuis non proueniat à forma nude considerata, prouenit tamen ab ea, vt est qualitatibus coniuncta, si motus sit ab intrinseco, & si ab extrinseco prouenit ab agente, vt dealbatio a dealbante.

Ad sextum respondetur, quod ob duplicem causam motus non diffinitur per terminum ad quem. Prima est, quia hic diffinitur motus in communi, terminus autem communis motus non est dabilis. Secũda est, quia motus significat fluxum, & fieri, terminus autem significat quietẽ. Vel dicendum, quod terminus ponitur implicite in diffinitione, quia per motum, intelligimus rem moueri ad terminum.

Ad septimum dictum est, quod motus non est actus simplicis potentiæ, idest materiæ primæ, sed est actus existentis in actu, secundum quod est in potentia ad terminum motus.

Ad octauũ dicitur, quod diffinitio motus

tus cõuenit omni formæ actui permixtæ, vt dicit actum cum potentia ad terminũ, hoc autem non conuenit formæ substantiali proprie, quia ipsa est actus existentis in pura potentia.

Ad nonum dicitur, quod generatio dicitur motus communiter, non proprie, & ideo non est necesse, vt tendat cum successione ad terminum, sed ei sufficit, quod aliquo modo sit actus existentis in potentia. Vel secundo dicitur, quod generatio dupliciter summi potest. Primo cum prævijs dispositionibus, & sic habet successionem. Secundo pro vltima forma, in instanti in materia introducta. Primo autem modo hic generatio dicitur motus, sed communiter. Et ideo exclusam habes opinionẽ Dominici Soto hic quæst. 1. Pererij lib. 13. cap. 5 & Conimbricensiũ q. 1. art. 3. scilicet, quòd hæc diffinitio non conueniat generationi, nec mutationibus instantaneis, hoc enim est contra Arist. hic, tex. 6. vbi exemplificat de generatione, & est contra S. D. hic, lect. 7. & 5. Phys. tex. 7. & est contra Simplicium, Themistium, & Ruuium hic, q. 2. & est contra rationem, quia generatio nõ fit sine alteratione, quæ est vere motus, quamuis terminus eius sit instantaneus.

Ad decimum dicitur, quod motus diffinitur, vt est actus mobilis, idest patientis, sed non per exclusionem agentis, sed per eius inclusionem, quia actio, & passio sunt vnus motus. Hinc Arist. tripliciter diffinit motum. Primo hic tex. 6. dicendo, motum esse actum existentis in potentia. Secundo tex. 16 dicendo, motum esse actum mobilis, vt potest moueri. Tertio tex. 23. dicendo, motum esse actum mobilis eius, quod est agere, & pati, quæ tres diffinitiones vna sunt significato.

Ad vndecimum dicitur, quod illi termini ibi implicite explicantur, quia motus est actus entis existentis in potentia, vt à quo, & tendentis ad perfectum actum, vt ad terminum ad quem.

Ad duodecimum dicimus ad minorem, quod valet de forma perfecta, quæ est illa, quæ speciem constituit, motus autem est fluxus formę imperfectæ, vnde fit speciei ad quam est motus. Si quis autem hic quærat, an ratio communis motus sit vniuoca, ad omnes mutationes particulares positiuas, dicito, quod sic logice, quia eis omnibus conuenit communis ratio motus, vt docet S. D. 1. d. 15. q. 4. art. 1. ad secundum, & in secundo, dist. 2. q. 1. art. 1. ad tertium. Physice tamen est analoga, quia Physice perfectiori modo saluatur in mutationibus positiuis, quam in priuatiuis, & nobiliori etiam modo in nobilioribus positiuis.

Ad decimumtertium dicitur, quod illi sunt motus Meth.

Ad decimumquartum dicitur, quod talis motus dicitur priuatiuus. Vel dicas, quod est acquisitiuus alterius formæ, verbi gratia, in aqua, propriæ frigiditatis.

CAPVT II. & III.

LECTIO IIII. & V.

Quoniam quidem igitur.
tex. 11.

POstquam Philosophus assignauit veram diffinitionem motus, hic incipit excludere opiniones falsas, & diffinitiones incongruas quas antiqui dederunt de motu, per hoc magis consolidando suam diffinitionem. Dicit ergo primo, motum esse actũ, & hoc sic probat. Ille est actus, quo posito res est, vel mouetur, & ante, & post non mouebatur, nec mouetur. Sed res mobilis ante motum non mouebatur, neque post ipsum mouetur, verbi gratia, ædificabile ante ædificationem non ædificabatur, neque post ædificatur. Ergo motus erit actus existentis in potentia, in quantum eiusmodi.

Secundo loco, rectam esse suam diffinitionem patefacit, confutando alienas. Tripliciter enim antiqui definierunt motum. Primo, quod motus erat alteritas, quia semper alio, & alio modo se habet. Secũdo, quod erat inæqualitas, quia quod successiue mouetur, magis, ac magis recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem. Tertio quod erat non ens, quia quod mouetur ad formam, verbi gratia, ad albedinem, nondum habet albedinem. Contra has igitur diffinitiones trifariam instat Philos. Primo. Si motus esset alteritas, aut inæqualitas, aut non ens, sequeretur, quod omne alteratum, inæquale, & non ens moueretur. Sed hoc non est necessarium, vt patet. Ergo &c.

Secun-

Secundo. Quia motus non est magis ad æquale, quam ad inæquale, nec magis ad nõ ens, quam ad ens. Tertio, quia quod mouetur, non magis mouetur ab inæquali, quam ab æquali, nec magis à non ente, quam ab ente. Assignat autẽ causam cur antiqui posuerunt motum in genere alteritatis, &c. & ait fuisse, quia videtur significari, vt quoddam imperfectum, & priuatiuum, in coordinatione bonorum, & malorum, positiuorum, & priuatiuorum, & etiam quia non determinate ponitur sub actu, vel potentia, sed in actu permixto potentiæ.

Tertio transit ad ostendendum, quomodo motus sit actus mobilis, vel mouentis. Difficultas ergo stat, quod mouens, mouẽdo mouetur, quod ex duobus apparet. Primo, quia mouẽs mouendo mutatur de potentia ad actum, dum transit de potentia ad mouendum, ad actu mouendum. Secundo, quia mouens dum non mouet dicitur esse in sua quiete, ergo dum mouebat non erat in sua quiete, & sic mouendo mouebatur.

Respondet autem Philos. accidere mouenti quod mouendo moueatur, quia scilicet mouens mouet tangendo, vnde dum res mouetur, si agens tangit rem motam, necesse est quod moueatur. Hinc aliam diffinitionem motus deducit, idest, quod motus est actus mobilis, quia in mobili inuenitur, & non est actus mouentis, quia accidit mouenti, quod mouendo moueatur.

Opiniones de motu examinãtur. Sed circa supradicta primo notandum venit pro opinione illorum qui posuerũt motum esse de numero priuatiuorum, & non entium, quod Pythagoras cum assecis faciebant numeros principia, & initia rerum, ideo denarium numerum perfectissimum numerum vocabant, quia numerus ad ipsum terminatur, vnde comple to denario, necesse est ipsum reiterare. Dicebant ergo decem esse genera bonorũ positiuorum, & entium, & decem malorũ nõ entium, & priuatiuorum, & inter hæc ponebant motum. Nam ea quæ de numero bonorum ab ipsis constituebantur, erãt finitum, impar, vnum, dexterum, mas, quies, rectum, lumen, bonum, & quadratum. Quæ autem in genere malorum, & priuatiuorum ab eis ponebantur, erant. Infinitum par, multiplex, sinistrum, fœmina, motus, curuum, tenebræ, malum, & longius altera parte, multa etiam alia dicebant de numeris. Primum, quod numerus quaternarius erat numerus diuinus, & sanctissimus, quia 1. 2. 3. 4. simul iunctis omnia rerum genera concludunt, & complent, quare iurare per numerũ quaternarium, magnum erat apud ipsos sacramentum. Item quaternarium, & nouenarium numerũ iustitiæ assignabant, quaternarium, quia constat ex duplici numero pari, qui sunt duo, & duo nouenarium, quia æqualiter constat ex triplici ternario, iustitia autem paritatem postulat, & æqualitatem exigit. Numerum vero quinarium, numerum nuptialem appellabãt, quia componitur ex pari, & impari, nempe ex duobus, & tribus, numerum autem parem fœminæ adscribebant, & parem mandabant. Numerum septenarium volebant esse numerum tempestiuum, quia multa fiunt tempestiue in numero septenario. Nam infans quandoque in septimo mense nascitur, in septimo anno dentescit, in secundo pubescit, in tertio barbam emittit, & semen fit aptum ad generationem. Sed de numeris lege Plutarcum, in libris de placitis Philosophorum, & inter recentiores Bongum nostrum Bergomensem, de sacris numeris.

Secundo notandum venit circa tex. 16. in quo habetur, quod mouens mouetur quia mouendo tangit mobile, quod hæc propositio dupliciter interpretari potest. Primo de tactu quantitatiuo, vt sit sensus, quod si mouẽs debet mouere, necesse sit, quod tangat quantitatiue mobile, & hic sensus falsus est absolute, cum corpora cælestia moueant hæc inferiora, non tangendo ea, si autem erit verus erit in his quæ communicant in eadem materia. Secundo potest interpretari de tactu virtuali, & virtutis, & sic necessarium est, quod motum tangatur à mouente, vel tactu quantitatiuo, & suppositi, vel saltem tactu virtutis, vt apparet in sagitta emissa à sagittante.

Tertio notandum venit circa eandem propositionem, quod mouens mouendo, moueatur, hoc posse bifariam intelligi. *Accommode.* Primo loquendo communiter de qualibet motione, & sic verum est, quod mouens eo modo quo mouet, est simul cum remota, & mouendo mouetur, scilicet vel vir-

tute, vel tactu, vel potentia, vel in actu. Secundo vt intelligatur de mutatione secundum actum, & sic falsum est, vt supra diximus.

Quarto notandum venit circa opiniones antiquorum, quod motus sit inaequalitas, disparitas, & non ens, bifariam potest intelligi. Primo quidditatiue, & hoc falsum est, vt rationes Philos. probant. Secundo concomitanter, & sic verum est, quod alteritas, & inaequalitas consequuntur motum, prout continuo tendit de esse minus perfecto, ad esse magis perfectum, & hoc est quod concludebant rationes antiquorum. Dicebatur autem nō ens in ordine ad terminum quo caret, non vero, hoc est verum absolute, quia motus est actus existentis in potentia.

QVAESTIO III.

Vtrum motus, & terminus motus sint idem realiter.

Videtur quod non. Primo, quia sic sequeretur, quod motus naturalis grauis deorsum, & violentus leuis deorsum essent idem. At hoc falsum.

Quia sic sequeretur, quod motus violentus, & naturalis essent idē. Patet, quia mouerentur ad eundem terminum.

Secundo. Sic motus circularis, & rectus essent idem, si mouerentur ad eundem terminum.

Tertio. Sic motus naturalis, & violentus essent idem, si in puncto eiusdem magnitudinis terminerentur vnus ex vna parte, & alius ex altera, se mouendo.

Quarto. Idem non est causa suiipsius. Sed motus est causa termini motus. Ergo non sunt idem.

Quinto. Ad motum non est motus. Sed ad terminum est motus. Ergo distinguuntur.

Sexto. Motus diuiditur per diuersa mutata esse, non sic terminus motus. Ergo non sunt idem.

Septimo. Forma substantialis non suscipit magis, & minus, cum in instanti introducatur. Ergo debet distingui à se ipsa, vt est in via, & vt est in termino.

Octauo. Albedo nigredini permixta, à pura albedine differt, sed in termino est pura, & in via permixta. Ergo.

Nono. Motus duo habet, à termino diuersa. Ergo ab distinguuntur realiter. Antecedens probatur. Primo enim motus est quoddam continuum, & successiuum, terminus vero, est entitas permanens. Secundo motus ex natura rei est via ad terminum, & terminus ex natura rei est quies motus.

Decimo. Quae separantur ad inuicem, distinguuntur realiter. Sic se habent motus, & terminus motus. Ergo. Maior est Arist. 7. Topicorum c. 1. Minor prob. quia quādo motus desinit, terminus permanet.

In contrarium est Phys. hic, dum dicit, quod motus non est praeter res ad quas est motus.

Pro decisione huius quaestionis praemittemus aliquas annotationes. Secundo probabimus duas conclusiones. Tertio loco soluemus argumenta.

Quo ad primum primo notandum venit, quod intellectus hoc habet, vt vni rei diuersas rationes attribuat, prout eam sub diuersis conceptibus intelligit, nam verbi gratia albedini attribuit disgregare visum, album facere, & similitudinem albedinis esse. Intellectus ergo aptus natus est eandem rem realem diuersis conceptibus, explicare, prout eam inuenit diuersis rationibus subiici. *Intellectus. Plura tribuit vni rei.*

Secundo considerandum venit, quod circa motus distinctionem duae sunt sententiae. Prima tenet distinctionem realem inter motum, & terminum motus. Hanc amplexati sunt Capreolus, in 2. dist. 1. q. 2. art. 2. & dist. 38. q. 1. art. 1. cum Aureolo, Paulo Veneto hic cap. 3. Burleo tex. 11. & Ruuio q. 4. Secunda sustinet distinctionē formalem, inter motum, & terminum motus. Hanc receperunt Soncinas 5. Meth. q. 16. Sotus q. 1. & 2. huius. Ferrariensis q. 2. Peterius lib. 10. cap. 10. & Conimb. hic, quaest. 3. *Opiniones.*

Tertio sciendum venit, quod motus duobus modis considerari potest. Primo vt dicit fluxum, seu motum. Secundo vt dicit formam fluentem, idest tendentem de esse minus perfecto, ad esse magis perfectum. Primo modo sumitur motus secundum communem suam rationem, de qua diximus supra. Secundo autem modo sumitur in praesentiarum quaerendo, an forma vt est sub fluxu distinguatur à seipsa, vt est in termino, quod est quaerere, an esse *Tria sūt in motu.*

an esse perfectum, & imperfectum eiusdē rei distinguantur realiter. Tria ergo sunt consideranda in motu, scilicet fluxus formę, forma fluens, & ordo prioris, & posterioris, idest viæ, & termini, eiusdē rei. Duo priora idem esse fundamentaliter patet, omni præciso intellectu, sed tertium non est nisi ab intellectu considerāte motum, & terminum motus sub diuersis respectibus, prioris, & posterioris.

Cōciliātur Doctores. Quarto igitur animaduertendum est, quod vt sępius dictum fuit, duplex est distinctio realis, scilicet rei à re, & realitatis à realitate. Primo modo non distingui motum, & terminum motus concedunt etiā Doctores primæ opinionis, quia terminus motus motum includit. Volunt ergo quod distinguuntur realiter, seu vt dicunt ex natura rei, seu secundum diuersos modos reales, quam distinctionem sępe Thomistæ vocant formalem, non secundum rationem raticionantem, sed secundum rationem racicionatam. Quare censeo Doctores primæ, & secundæ sententiæ secundum veritatem non discordare, quoniam asseclæ secundæ opinionis distingunt motum à suo termino formaliter, sed realiter, quam distinctionem primi opinatores appellant realem, modalē, seu ex natura rei. Dicunt enim motum non esse præter res ad quas terminatur quo ad extensionem, quia non habet plures species, quam sint prædicamenta ad quæ terminatur, vnde deducendum est, quod secundum has species non est præter ipsas, quia in qualibet specie cum suo termino identificatur.

Sed quinto notandum venit, quod nos qui tenemus motum dicere tendentiam formæ de esse imperfecto ad perfectum, consequenter debemus considerare formam, vt est sub fluxu, non formaliter considerato, idest secundum rationem, & relationem, sed vt sumitur subiectiue, in forma fluente, & dicitur fluxus formæ imperfectus, vt est in fieri, & perfectus, vt est in facto esse, idest in suo termino. Sic enim habemus esse vnius formæ, secundum diuersos modos consideratæ, scilicet secundum esse perfectum, & imperfectū. Hoc autem esse, vnum est secundum essentiam, quia est vnius formæ secundum essentiā indiuisibilis, sed subiectiue, idest vt recipitur in subiecto suscipiente esse minus perfectum, & magis perfectum, & ideo distinctio motus, & termini motus formaliter est à ratione considerante in vna forma indiuisibili duplex esse scilicet imperfectum, & perfectum, fundamentaliter autem, & radicaliter cum dicat duos modos suscipiendi formam à subiecto, possumus dicere, quod ex parte formæ fluentis sit distinctio formalis, & ex parte subiecti, sit modalis, realis.

Quoad secundum prima conclusio est. Motus, & terminus motus non distinguūtur realiter. Prob. Esse magis perfectum, & minus perfectum in eadem specie, respectu vnius, & eiusdem non causant distinctionem realem. Sed motus, & terminus motus solum sic distinguuntur. Ergo non realiter. Maior est nota, quia distinctio realis cadit inter distincta subiecto, vel specie, vel genere, vel analogia, vel diuersa entitate, quorū nullum in ijs apparet. Minor clara est, ex ptæ habitis.

Secunda conclusio est. Motus, & terminus motus distinguuntur formaliter. *Cōclusio pbatur.* Probatur. Quia motus multa includit, quæ terminus excludit, scilicet fluxum, esse imperfectum, & similia.

Ad primum dicitur, quod mobilia duobus modis sumi possunt. *Argum. soluuntur.* Primo, vt sunt diuersarum specierum, & vt secundum suam naturam vendicant sibi diuersos terminos. Secundo, vt ab extrinseco quomodolibet conueniunt in vno termino. Primo modo distinguuntur, motus violentus, & naturalis. Secundo vero modo possunt conuenire in vno termino. Sed tutius dicēdum venit, quod hic loquimur de vno motu, qui requirit non solum vnitatem termini, sed etiam vnitatem mobilis, vnitatem temporis, vnitatem rei per motum acquisitæ, & vnitatem magnitudinis, supra quam fit motus; argumentū, autem non probat nisi vnitatem termini, & per hoc patet ad secundum, & ad tertium, omissis multis superflue adiectis à Ferrariensi.

Ad quartum dicēdum est ad maiorem, quod idem non potest esse causa suipsius secundum eandem rationem, sed secundum diuersas, vtique, vt contingit in proposito, nam motus aliquo modo est causā dispositiua, & effectiua termini motus, terminus vero est causa formalis terminans motum.

Ad quintum dicimus, quod probat distinctionem formalem, sed non realem, & ita dicimus ad sextum, quod terminus motus, vt est idem realiter cum via ad terminum distinguitur per mutata esse, sicut & motus.

Ad septimum dicitur, quod sumendo generationem cum præuijs dispositionibus, eam sumimus cum motu, & termino motus.

Ad octauum dicẽdum, quod albedo nigredini permixta dupliciter considerari potest. Primo inquantum habet esse permanens. Secundo, vt mouetur ad albedinem puram. Primo modo distinguitur à pura albedine, secundo autem modo nequaquam, nisi sicut distinguitur eadem res sub esse imperfecto, & perfecto.

Ad nonum dicitur, quod forma prout recipitur in subiecto perfecte, & imperfecte est successiua, idest subiectiue, sed non formaliter, idest secũdum essentiam suam, & ideo subiectiue vendicat sibi hos duos modos, scilicet dicere esse successiuum, vt est in esse imperfecto, & dicere permanentiam, vt est recepta in esse perfecto.

Ad decimum dicimus, quod probat diuersos modos eiusdem formæ, per motum acquisitæ.

LECTIO VI. & VII.

QVAESTIO IIII.

Vtrum motus distinguatur realiter à mobili.

VIdetur quod non. Nam in nutritione eadem est substantia, quæ nutritur, & augetur. Ergo non distinguuntur realiter.

Secundo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Sed nulla est necessitas ponẽdi motum distinctum à mobili, quia sufficienter intelligimus corpus moueri, dum diuerso modo se habet in diuersis partibus spatij, seu gradibus formæ, absq; noua entitate reali, Ergo &c.

Tertio. Mobile est forma, & motus est fluxus formæ. Sed idem non distinguitur à seipso, vt est in via, & vt est in termino, Ergo motus non distinguitur realiter à mobili.

In contrarium stat, quod motus est fluxus formæ, & mobile est subiectum. Sed fluxus formæ est accidens, & subiectum substantia, quæ distinguuntur realiter. Ergo motus, & mobile distinguuntur realiter.

Quæstio explicatur. Respondeo quod per mobile, vel intelligimus formam fluentem, quæ mouetur in subiecto de esse imperfecto ad esse perfectũ: Vel intelligimus subiectum, in quo per diuersos modos radicationis formæ dicitur moueri. Si primum intelligimus, dicimus motum, & formam non distingui realiter, nisi vt supra. Si vero secundum intelligimus, dicimus motum, & mobile distingui realiter, vt argumentum in contrarium probauit. Difficultas autem est de mobili motu locali, quod cum nihil intrinsecum acquirat, ideo non dicitur actus existentis in potentia ad aliquid intrinsecum, sed tantum ad extrinsecum, vt aperte docet S.D.p.p.q. 110.ar.3. & Arist. 8. Physicorum textu 59. & consequenter venit dicendum, quod forma in eo non possit distingui secundum esse perfectum, & imperfectum, cum tamen Arist. generaliter dixerit in omni specie motus motum esse actum mobilis.

Opiniones. Secundo igitur notandum venit, quod circa hanc difficultatem est duplex opinio. Prima est Antonij Ruuio hic, quæst. 3. tenentis generaliter omnem motum realiter esse in mobili, etiam in motu locali quod probat. Primo per Arist. 3. Physicorum, c.2. & cap.3. vbi docet motum esse actum motiui vt à quo, & mobilis, vt in quo, idest tanquam in subiecto mobili existens, & hoc dicit esse verum, in omni specie motus. Ergo etiam motus localis erit in subiecto mobili, & non in loco extrinseco, ad quem est motus.

Secundo. Terminus motus localis, est vbi, per Arist. 5. Physicorum cap. 1. Sed vbi est in mobili intrinsece, idest tanquam in subiecto, & non in loco extrinseco.

Tertio. Quando motus recipitur in termino ad quem, iam non est motus, cum finierit.

Quarto. Si daretur vacuum, mobile in eo haberet vbi, & non acquireret locum, quia in vacuo non datur locus.

In contrarium etiam pro motu locali stat sententia Arist. 8. Physicorum, tex 59. cum

cum quo concordat S. D. docendo motum localem esse omnium perfectissimũ, quia mobile per illum non acquirit aliquam formam. Nec valet respondere, quod Arist. cum S. Thoma voluerunt dicere, quod per motum alterationis, & augmenti acquiritur forma intrinseca absoluta, & permanens, non vero per motum localem, sed per eum acquiritur quidam modus aliter se habendi ad spacium, qui dicit respectum extrinsecum, & ideo minus est in potentia, quia minus est esse in potentia ad illum modum, quam ad formam absolutam. Hæc enim responsio non subsistit, quia sufficit Arist. ibi docere mobile per motum localem non acquirere aliquid intrinsecum, quod esset in mobili, sed acquirere solum extrinsecum, & ita docet Soncinas 4. Meth. quæst. 4. & S. D. expresse p. p. quæst. 110 art. 3.

Terminus motus localis est extrinsec. Tertio notandum venit, quod mobile vbicunque vbi semper habere dicitur, sit in via, vel in termino, quia in via, & in termino habet commensurationem ad polos mundi, & centrum terræ, sed locum non dicitur habere, vt terminum motus localis, nisi quando motus terminatus est, & ideo cum motus sit ad terminum, & terminus ad quem fuit in potentia, sit extrinsecus, ideo dicimus motum localem esse in termino locali extrinseco.

Explicatur. Sed quarto cogitandum venit, quod motus localis non sit in mobili localiter stat dupliciter. Primo vt in subiecto motus, & sic verum est, cum mobile, ad locum moueatur. Secundo vt in id quod aliquid acquirit per motum, & sic in hoc stat differentia inter alterationem, & augmentum ex vna parte, & motum localem ex altera, quod per alterationem, & augmentum acquiritur forma intrinseca, non sic per motum localem, quia per eum acquiritur aliquid, quod est extrinsecum scilicet locus. Hinc cessant argumenta Ruuij tria priora, quia concludunt de subiecto motus. Ad quartum dicitur, quod in vacuo id quod acquireretur, posset dici locus modaliter, quamuis formaliter non esset locus, propter carentiam superficiei.

Arg soluuntur. Ad primum autem principale dicitur, quod nutritio non est subiectum nutritum, sed est motus, & operatio animæ vegetatiuæ, quæ conuertit cibum in substantiam aliti, vnde cum sit motus, & operatio, distinguitur realiter a mobili.

Ad secundum dicimus, quod mobile quod mouetur, idest corpus, distinguitur a partibus spatij acquisiti non solum in genere entis, quia corpus est substantia, & illa spatia quantitates, sed etiam in genere motus, & mobilis, quia corpus secundum se non suscipit diuisionem sicut faciunt illa spatia, Sed & insuper corpus est illud quod acquirit diuersos modos realiter, acquirendo diuersa spatia.

Ad tertium patet ex dictis.

QVAESTIO V.

Vtrum successio, & continuitas sint de essentia motus.

PRo explicatione huius quæstionis scito, quod sub triplici titulo disputari potest. Primo an successio, & continuitas sint de intrinseca ratione motus, pensata eius natura. Secundo an sint de essentia eius, aut eius passio. Tertio an per absolutam Dei potentiam possit esse motus sine successione, & continuitate. Si in primo sensu disputetur, absolute respondendum est, motum sibi vendicare ab intrinseco, & formaliter successionem, & continuitatem. Prob. primo per Aristot. 5. Meth. tex. 18. & primo huius textu primo, & 4. Physicorum textu 99. quibus in locis docet motum non esse de numero permanentium, sed continuorum. Secundo hoc deducitur ex diffinitione motus transeuntis de potentia ad actum, transeundo de esse imperfecto ad perfectum, nam permanens non mouetur. Tertio, quia si motus fieret per instantia discontinua, mobile inter duo instantia quiesceret, contra Arist. quinto huius.

Si autem secundo modo quæramus, an successio, & continuitas dicant naturam, & essentiam motus, aut potius sint eius passio, inuenio aliquos tenentes successionem esse de essentia, & natura motus, quod probant. Primo Quia motus non est nisi fluxus formæ, continuo tendentis de esse imperfecto, ad perfectum. Secundo, quia motus per hoc distinguitur à subitaneis mutationibus. Per vnum autem,

& idem

& idem aliquid constituitur, & ab alio distinguitur. Et tertio, quia Arist. affirmat motum esse de numero continuorum.

Oppositum vero docent Albertus magnus, tractatu de quantitate c 8. Auerroes 4. huius, tex. 119. Fonsecha quinto Meth. cap. 13. q. 8. sect. tertia, & alij plures. Hoc probant. Primo. Quia motus est acquisitio formæ. Sed acquisitio non est formaliter continuitas. Secundo. Motus est ens incompletum, tendens de esse imperfecto ad perfectum. At continuum secundum se est quid perfectum, quia solum habet extendere. Tertio. Motus est quid analogum, vt diximus. At continuitas est quædam ratio vniuoca, omnibus æque conueniens.

Sed quamuis hæ rationes non sint multum efficaces, quia aduersarij dicere possunt, quod continuitas quæ est de essentia motus, non est continuitas vt sic, sed motus, & ideo induens naturam motus, & consequenter quædam acquisitio formæ est continuitas motus, & sic dicit quid incompletum, & analogum. Tamen cum nos teneamus motum dicere formam vt est sub continuo fluxu, consequenter videtur dicendum formæ naturali intensibili conuenire, non vt forma est, sed vt sibi passionem intensibilitatis, cum successione appropriat, vnde fundamentaliter, & causaliter dicit essentiam motus, quia causatur à forma mobili motu Physico, formaliter vero erit eius passio. Hinc patet primum argumentum ad versariorum supponere falsum, scilicet quod motus sit fluxus, est enim forma stans sub fluxu, & per hoc distinguitur à formis permanentibus, vt permanentes sunt.

Sed maior est difficultas in tertio scilicet an per absolutam Dei potentiam possit dari motus Phys. sine successione vt excludamus motum Meth. vt est intelligere, & velle, quæ sunt actus perfecti. Et motum discretum Angelorum, quo possunt suam virtutem applicare extremis, eam non applicando medio. Et excludendo omnes mutationes instantaneas, quæ fiunt in instanti. Loquendo igitur de motu Phys. proprie sumpto corporalium, clarum est, quod naturaliter implicat motum successiuum distingui à mutationibus instantaneis, sine successione. At in ordine ad diuinam potentiam, discordant Doctores. Nam Scotus in 4. d. 43. q. 2. & 3. Greg. in 2. d. 6. q. 3. art. 2. Durandus in 4. d. 43. q. 4. & alij plures tenent, fieri posse per absolutam Dei potentiam, quod motus fiat in instanti. Hoc probant. Primo, quia si per Dei potentiam fieret vacuum, corpus contiguum moueretur in instanti ad illud replendum, ne vacuum daretur. Secundo. Quia per Arist. 8. Phy. c. 10. virtus infinita potest mouere in instanti corpus. Tertio. Quia communis resurrectio mortuorum fiet cum cōgregatione ossiū, etiam distantium in instanti, & in ictu oculi. Quarto. Quia Deus potest tollere omnem resistentiam, & imperfectionem formæ, & sic eam traducere ad perfectum esse in instanti. Quinto. Quia doctores tenent posse Deum sua absoluta potentia facere, quod formæ contrariæ, sint simul in summo in eodem subiecto, impediendo ne vna aliam expellat, v. g. frigus, caliditatem.

In oppositum videtur S. D. p. p. q. 53. art. 1. & secundo, vbi docet motum corporum necessario esse continuum, transeundo de extremo ad extremum per medium & hoc ad differentiam motus discreti Angelorum. Dicendum ergo venit, quod his seruatis impossibile est, & implicat (secundum nostrum modum philosofandi) quod motus fiat in instanti. Prima ergo conditio est, vt motus sit motus, & non subita mutatio. Secunda est, quòd Deus non inuertat naturam motus. Potest enim facere quod forma quæ successiue debet naturaliter acquirere esse perfectum, in instantaneam mutationem conuertatur, & illud esse acquirat in instanti, vt quod in resurrectione mortuorum ossa etiam distantia in instanti aduneutur. Tertia conditio est, quod in motu seruentur sui termini, à quo, & ad quem, & spatium inter hos terminos, nam sic impossibile est, quod vna eademq. res, in vno eodemq. instanti sit in termino à quo, & ad quem. Concedimus autem libentissime, Deum posse mouere corpus in instanti faciendo illud acquirere terminum in instanti, sed tantum tunc pensabitur acquisitio termini, & non considerabitur mobile, vt fuit sub termino à quo, sub altera mensura, quam sit sub termino ad quem, & ita potest esse, quod dato vacuo, corpus illud occuparet in instanti,

stanti, & quod cælum quod est mobile successiue, moueatur in instanti, quod nõ est factibile, vt intelligitur esse sub termino aquo sub quiete, nam sic tunc, pensanda erunt duo instantia, vnum mensurans mobile sub termino à quo, & aliud ipsum mensurans sub termine ad quem. Et ita dicimus cum D.Aug. in Enchirid. c.9. & D.Ber. sermone secundo in festo omnium S.S. quod corpora Beatorum possunt in momento se transferre de loco ad locum, idest acquirere nouum locum, cum quo tamen stat, quod detur aliud instans in quo intelliguntur fuisse in priori loco. Vltima conditio est, quod vere saluetur natura motus, quia de motu sermo est.

QVAESTIO VI.

Vtrum quæ vni, & eidem sunt eadem, eadem sint inter se.

OCcasione probationis quod subiectum differt à potentia ad quam ordinatur, quia subiectum est in potentia ad contrarias formas, scilicet ad ægritudinem, & sanitatem, idem autem non potest esse susceptiuum contrariorum simul, habuimus secundum sensum hanc propositionem. Quæ vni, & eidem sunt eadem, eadem etiam sunt inter se, ideo quæritur. An hæc propositio sit vera?

Videtur vero quod non. Nam tres diuinæ personæ sunt idem realiter cum diuina essentia, & tamen distinguuntur inter se realiter.

Respondetur tamen breuiter, quod hæc propositio habet multas interpretationes.

Prima est, quod valet in absolutis, non vero in relatiuis, quoniam hæc ex oppositione incompossibilitatis distinguuntur, non enim potest idem, esse secundum idem, pater, & filius, vnde cessat argumentum quia diuinæ personæ distinguuntur relatiue. Secunda expositio est, quod valet quando illud tertium est incommunicabile, modo diuina essentia tribus personis communicatur. Tertia est Sancti Doctoris, p.1.q.28.art.3. quod valet quando aliqua duo vnum, & idem sunt secundum rem, & rationem in vno tertio, modo & si diuinæ personæ sint idem cum diuina essentia secundum rem, ab ea tamen distinguuntur secundum rationem. Quarta est Durandi, in primo d.33.q.1. & aliorum multorum, quod valet quando illud tertium adæquate distribuitur, idest dum accipitur pro omni re pro qua accipi potest. Hinc non valet argumentum, quia dum dicimus essentia diuina est pater, non dicimus omnem rem, quæ est essentia diuina esse patrem, cum sit etiam, & filius, & spiritus sanctus.

Quinto Caietanus sic eam glossat. Quę vni, & eidem sunt eadem, eadem etiam sunt inter se, non absolute, sed eo modo quo illi tertio sunt eadem, vnde pater, & filius sunt idem quo ad essentiam inter se, quia in ea communicant, non vero quo ad relationes.

Vltima glossa est, quod valet in creatis, non vero in Deo, in quo omnia identificantur, etiam relationes, quo ad in, & si non quo ad ad.

Sed contra expositionem S.D. arguunt plures. Primo. Quia sic talis propositio non esset vera nisi in synonymis, quia solum hæc sunt idem re, & ratione. Secundo. Quia sic ars sylogistica perijt, quia sic non possumus arguere. Omne animal est viuens. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo est viuens, quia extrema non sunt idem re, & ratione. Tertio. Quia diuersitas rationis non impedit vnitatem rei in tertio, sed tantum obstat vnitati rationis in tertio. Quarto. Quia S.D. non videtur sibi constare, nam secundo contra gentes c.9. probat operationem, & essentiam esse idem in Deo, quia conueniunt in vno idest in substantia, & tamen constat hæc distingui ratione, & inter se, & ab essentia.

Bannes etiam, & Fran. Cumel p.p.q.28. art.3. arguunt interpretationem Caietani, quia paternitas, & essentia semper se includunt, ita, & filiatio, & consequenter non sunt accipienda, vt distincta.

Ad primum igitur contra expositionem S.D. dicere possumus. Primo S.D. intellexisse illam propositionem in synonymis esse veram, sed non tantum, & quamuis adduxerit exemplum de tunica, & vestimento, quæ idem sunt synonyme, tamen etiam adduxit exemplum de actione, & passione, de essentia, & diuinis relationibus, quæ realiter conueniunt in tertio, & tamen non sunt eadem inter se,

Secun-

Secundo dicitur, quod esse idem re, & ratione stat dupliciter. Primo ratione ratiocinata, & ratiocinãte, & ista omnino sunt eadem inter se, sicut etiam sunt vni tertio. Secundo aliqua dicuntur conuenire realiter in vno tertio, sed tamen ratione ratiocinata distinguuntur, & ita bifariam cõsiderari possunt. Primo quoad id, quod includunt, siue materialiter, siue formaliter de illo tertio, verbi gratia, quod actio, & passio includunt de motu, & sic etiam sunt eadem inter se, sicut sunt eadem vni tertio. Secundo quo ad id quod addunt, vel intelliguntur adde re, idest, quod ad oppositos respectus, in diuinis personis, & sic nõ intelliguntur esse idem cum illo tertio, sed per illos distingui ab illo. Dum ergo S. D. annuit in synonymis valere, dicere voluit, quod non valet in alijs quæ habent plura nomina, & plures rationes quibus distinguuntur.

Ad secundum patet, nam viuens, & animal per suas rationes formales distinguuntur, per quas nec in tertio, nec inter se conueniunt, sed tamen vt vnum alterũ includit, scilicet animal gradum viuentis, sic conuenire dicuntur, & licet arguere, sed non sic. Omne rationale, vt rationale, est animal, vel viuens, sed homo, vt homo, est animal, vel viuens. Ergo &c. Nam argumentum assumit ea in quibus distinguuntur.

Ad tertium dicitur, quod quæ conueniunt in tertio, eo modo quo in eo conueniunt, eo modo dicuntur esse idem, non autem secundum proprias rationes, ex quibus à tertio, & inter se distinguuntur, & ideo si diuidantur inter se realiter, distinguuntur realiter, & si ratione, ratione; vnde quamuis relationes diuinæ sint idem realiter cum diuina essentia ratione esse absoluti, non tamen hoc verum est, ratione oppositionis relatiuæ, nam essentia realiter nõ dicitur ad aliud, relationes vtique, & sic possunt distingui relatiue realiter, & per hoc patet ad quartum, & ad oppositionem contra Caietanum.

LECTIO VIII.

Et dubium autem manifestum est, tex. 18.

Hic Arist. dubium quoddam soluit. Dubitari enim solet, cuiusnam motus sit actus, scilicet an mouentis, vel mobilis, & respondet ex dictis manifestum esse, quod motus est actus mobilis, quia actus est in eo cuius est actus, motus autem est in mobili, ergo erit actus mobilis. Subdit tamen quoddammodo esse actum mouẽtis, ad eo vt vtriusque dicatur vnus actus. Hoc probat. Quia tam in mouente, quam in mobili aliquid dicitur secundum potentiam, & secundum actum. In mouente secundum potentiam, dum dicitur posse mouere, & in actu, quando actualiter mouet. In mobili vero secundum potentiam, quando potest moueri, & secundum actum, quando mouetur, quare erit actus mobilis, & mouentis, quia id quod actiue à mouente procedit, in mobili recipitur, nec aliud recipitur, quod etiam manifestat exemplo duorum ad vnum, & vnius ad duo, & ascendentis, & descendentis. Dubitat vlterius contra id, quod dictum est, eundem esse actum actiui, & passiui, quare actio, & passio sunt vnus motus, sed de his agendum erit in sequentibus quæstionibus.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum actio, & passio sint vnus motus.

Videtur quod non. Nam illa distinguuntur realiter, quorum vnum potest esse sine alio. Sed motus potest esse absque actione, vt motus sagittę proiectę à sagittante illico occiso. Ergo actio distinguitur realiter à motu.

Secundo. Idem non est causa sui ipsius. Sed actio, est causa motus, & passionis. Ergo ab his distinguitur.

Tertio. Quæ differunt genere, differũt etiam specie, & numero Sed actio, & passio differunt genere, cum sint duo prædicamenta. Ergo.

Quarto. Illuminatio facta in aere à sole, est vera actio, & non motus, quia motus fit in tempore, & illuminatio in instanti. Ergo distinguuntur.

Quinto. Actio, & passio duo sunt quidditate, & diffinitione. Sed & motus habet propriã diffinitionẽ. Ergo distinguuntur.

Sed contra prob. quod sint idem re, & ratione. Primo. Nam per S.D. p.p.q.28. art. secundo, ad primum hæc propositio,

Quæ

Quæ vni, & eidem sunt eadem, eadem sunt etiam inter se valet in synonymis, quæ sunt idem re,& ratione, vt tunica,& indumentum, & ibi etiam dat exemplum de actione, & passione. Ergo sunt idem re, & ratione.

Secundo Arist.2. Physicorum tex.29. diffiniens causam agentem habet, quod est illa, quæ est principium motus. Ergo motus, vt motus est procedit ab agente. Sed actio non est nisi actus procedens ab agente.

Tertio. Mouere,formaliter est agere. Ergo actio formaliter est motus, & non differunt nisi sicut abstractum, & concretum.

Quarto. Arist.5. Physicorum text.10. tali argumento probat ad actionem, & passionem non esse motum. Ad motum, non est motus. Ergo nec ad actionem,& passionem,quia non sunt nisi motus. Ergo non distinguuntur formaliter.

Quinto. Si distinguerentur formaliter, per diuersos respectus, pertinerent ad prædicamentum relationis. Sed hoc est falsum,cum singularia prædicamēta constituant. Ergo & id ex quo sequitur,& sic non distinguuntur.

Pro explicatione huius quæstionis tria agenda erunt.Primo enim ponemus fundamenta necessaria. Secundo duas conclusiones, & tertio solutiones argumentorum vtriusque partis.

Opiniones. Quo ad primum igitur sciendum est, quod circa præsentem difficultatem sunt plures modi dicendi. Primus ex Scoti in quodlibetis q.11. & in 4. dist.23. q.2. & conclu.2.vbi docet totam rationem actionis consistere in relatione ad agens, & passionis in relatione ad patiens.

Secundus modus dicendi est Iocinatis 3. Meth. q. 3. scilicet quod actio, passio, & motus dicunt relationem, & motum, sed ex motu non distinguuntur, sed ex connotato idest ex relatione, quia actio connotat relationem motus, vt à quo, passio,vt in quem, & motus, vt ad quem, idest ad terminum.

Tertius modus est Capreoli, in 2.dist. 1.q.2. tenentis, actionem, passionem, & motum formaliter, & in recto esse idem, quia sic non dicunt nisi motum, sed in obliquo distingui, scilicet ex connotato, vt etiam dixit Soncinas,quia actio in obliquo importat relationem originis motus, & causalitatis eius esse ab agente, & relationem effectus in oblique esse in passo, quia in passo motus causatur ab agente. Hanc autem sententiam non differre ab ea quam habuit Soncinas secundum rem sentimus,immo esse communem Themistio,Simplicio,Philopono, Alexandro,& S. D.immo, & Arist. tex.22. nam hi omnes affirmāt,actionem, & passionem realiter esse idem, sed formaliter distingui. Vltimus modus dicendi fuit illorum, qui dixerunt, actionem, & passionem nec secundum rem,nec secundum rationem distingui à motu.

Secundo notādum venit, quod duplex est actio. Prima dicitur immanens, quia manet in agente,vt intelligere, & velle. Secunda dicitur transiens, quia transit in exteriorem materiam,vt secare,& vrere. Hic non disputamus de actione immanenti, quoniam talis non concernit motum Physicū,de quo est sermo,sed Methaphysicum motum,qui est actus perfecti. Item hic non loquimur de motu proprie sumpto tantum, sed etiam de motu communiter, vt etiam se extendit ad instātaneas mutationes, in quibus etiam concurrunt actio,& passio. *Motus duplex.*

Tertio notandum venit,quod actio, & passio dupliciter considerari possunt. Primo quo ad id quod dicunt in recto, idest quo ad motum, nam verum est dicere Actio est motus; passio est motus. Secundo quoad id quod connotant in obliquo, idest, quo ad suos respectus, & sic dicuntur distingui formaliter, quia actio non dicit motum,sed connotat illum, vt est ab hoc,idest ab agēte,& passio, vt est in hoc, idest in patiente. Hinc deducas actionē, & passionē materialiter, & realiter, idest in ordine ad motum esse idem, & dicere eundem actum, non formalem, sed materialem, idest mobilitatem, sed tamen formaliter distinguuntur, quia per suas rationes formales respectiuas diffiniuntur. Nec propter hoc,quod actio, & passio sūt idem motus realiter, motus dicitur constituere prædicamentum, quia prædicamentum non constituitur per materiale, & incompletum,vt est motus,sed per formales rationes completiuas, vt dicunt actio, & passio, cum connotato. Quando autem dicimus actionem, & passionem distingui *Actio,et passio duplex considerantur.*

stingui formaliter, & secũdum rationem, non intelligas secundum rationem ratiocinantem, sed secundum rationem ratiocinatã, quia vere, & realiter actio est motus, vt ab hoc, & non in hoc, vnde dicitur distinctio realis modalis, seu realitatis à realitate, accipiendo actionem, & passionem secundum id totum quod dicunt.

Quarto notandum est, quod actio, passio, & motus in tribus conueniunt sed nõ eodem modo. Primo enim conueniunt, quod terminum respiciunt, sed actio terminum respicit vt quid ab ea factum, quia ipsum producit, & passio ipsum intuetur, vt quid ab agente effectum, motus vero, vt via ad ipsum tendens. Secundo conueniunt, quod in motu identificantur, quia actio Physica est motus vt à quo, & passio, vt in quo. Tertio quod vnum ab alio dependet, quia hæc in motu esse oportet Distinguuntur vero, quod motus dicit rationem incompletam, quoniam semper dicit ordinem ad terminũ, quia de ratione eius est semper quod sit actus existentis in potentia, dum autem in termino est, non est amplius actus existentis in potentia, sed in actu completo, & per hanc rationem ab actione differt, quę secundum se dicit egressum motus, & à passione, quæ secundum se dicit receptiuum motus, quare secundum suas rationes formales distinguuntur. Hæ autem sunt respectiuæ, quoniam egressus motus est actiue ad passum, & passi passiue, ad agentem.

Conclusiones probantur. Quo ad secundum principale prima conclusio est. Actio, & passio materialiter, & quo ad id quod dicunt in recto, sunt vnus motus. Prob. ex superioribus, quia sic dicunt motum.

Secunda conclusio. Actio, & passio distinguuntur in obliquo, per suas formales ratione respectiuas. Prob. primo. Illa distinguuntur formaliter realiter, quorum vnum de altero nec prædicari, nec verificari potest, quia à modis essendi, sumuntur modi prædicandi, sed ratio realis actionis non est, nec verificari potest de passione, vt supra ostensum est; ergo distinguuntur formaliter, realiter.

Secundo. Si Actio, & passio essent idẽ formaliter, haberent complexionem cũ motu, sed complexum reijcitur à prædicamento, per Arist. tex. 57. Diuinorum. Ergo &c.

Tertio. Hoc docuit Arist. text. 22. dum dixit, quod motus est actus actiui, vt ab hoc, & passiui vt in hoc, & se habet sicut doctio, & disciplina. Hæc autem dicunt vnum actum, sed diuersos respectus.

Argumenta soluuntur. Ad primum negatur minor, & ad probationem dicitur, quod si agens sit corruptum, manet tamen virtualiter virtus agentis, & impulsus actionis, nec necesse est quod mouens sit semper simul tactu cum moto, sed tactu, vel virtute in toto motu, vel in principio, secundum conditionem mouentis, & rei motæ.

Ad secundum dicendum ad minorem, quod actio dicitur causa passionis, non quo ad id in quo conueniunt, sed quo ad id in quibus distinguuntur, id est quo ad suas rationes formales.

Ad tertium dicendum, quod actio, & passio distinguuntur genere, & numero quo ad suos respectus, sed quo ad motum sunt idem numero, specie, & genere.

Ad quartum diximus, quod loquimur de omni mutatione, idest de motu non proprie, sed communiter sumpto.

Ad quintum dicendum, quod actio, & passio duo sunt diffinitione, non autem materialiter, vt diximus, & per hæc patet quod actio, & passio sunt duo prædicamenta, formaliter distincta, & in vna re fundata idest in motu, qui cum sit quid incompletum, potest distrahi, & modificari in diuersis, per diuersos respectus.

Ad primum pro altera parte dicitur, quod S. D. dixit talem propositionem esse veram in synonymis, sed non tantum. Sed, & vide, quæ diximus supra ad hoc propositum.

Ad secundum dicendum, quod ex diffinitione agentis, & actionis deducimus eius distinctionem à motu, quia actio dicitur eius principium, idem autem non est principium, & id quod est à principio. Vnde aduerte, quod actio secundum id totum quod dicit semper includit respectum ad passum, vt ad effectum, quare multum errant, qui absolutum in actione considerant, & respectiuum excludunt, debent enim sumi secundum

suas

suas rationes formales, & secundum id totum quod dicunt in recto, & in obliquo.

Ad tertium dicitur, quod motus non est mouere formaliter, sed est forma fluens sub motione, vnde se habent sicut principium, & id quod est à principio.

Ad quartum dicitur, ibi Arist. considerare actionem, & passionem quo ad suũ materiale, & secundum quod sunt idem realiter cum motu, vnde quod de vno dicitur, de alio non negatur.

Ad quintum diximus, actionem duo dicere, vnum absolutum scilicet motum, & aliud respectiuum scilicet respectuum, modo quæ pertinent ad prædicamentum relationis, non pertinent ad ipsum quoad absolutum, sed solum quo ad respectiuum, & sic actio, & passio non pertinent quo ad id quod sunt, & dicunt ad prædicamentum relationis.

LECTIO IX.

QVAESTIO IX.

Vtrum actio subiectiue sit in mobili.

Hanc quæstionem vide in 9. Meth. vbi eam examinauimus.

CAPVT VI.

De infinito.

Quoniam autem scientia &c. text. 24.

QVoniam multa dicuntur a Philosopho de infinito, quæ non sunt multum necessaria, ideo his omissis, & necessarioribus assumptis, ad tractatum de infinito accedam. Asserit ergo Philosophus primo, cognitionem infiniti ad Philosoph. naturalem spectare, & hoc dupliciter probat, primo sic Philosophus naturalis versatur circa magnitudines, tempus, & similia, sed hæc, vel sunt finita, vel infinita. Ergo de his debet agere naturalis. Secundo hoc probat à signo, quia omnes, qui mentionem fecerunt de re naturali, vel pro maiori parte aliqualiter tetigerunt naturam infiniti. Nam Pythagorici, & Platonici dixerunt infinitum, esse principium rerum, sed Pythagorici radicem infinitatis quantitati attribuerunt scilicet numero, at Plato duo infinita constituit, scilicet magnũ, & paruum, ponẽdo infinitum per se subsistere, cùm tamen alij fuerint, qui illud accidens fecerunt, & rebus inhærere.

Secundo proponit quinque causas, ex quibus videtur infinitum dandum. Prima desumitur ex tempore, cum multi dixerint ipsum non incœpisse, nec finiendum esse. Secunda accipitur ex diuisione magnitudinis, quoniam Mathematici supponunt magnitudinem esse diuisibilem in infinitum. Tertia est ex generatione, & corruptione, quæ per ponentes æternitatem mundi, in infinitum sunt duraturæ. Quarta est ex ratione infiniti, quod interminabile videtur. Quinta desumitur ex imaginatione intellectus, quia quodlibet finito dato magnitudinem extendit, & ideo concludit dubium esse, an infinitum sit, vel non sit.

Tertio loco enumerat modos quibus aliquid dicitur infinitum, & à simili inuisibile. Primo ergo modo dicitur infinitum, quod non potest pertransiri, sicut sic vox dicitur inuisibilis, quia non potest videri. Secundo quod potest pertransiri, sed non de facili, vt est profundum maris, & ita inuisibile dicitur, quod cum difficultate videtur, sicut est illud quod latet inobscuro. Tertio quod est transibile, sed non habet transitum ad finem, vt est linea infinita. Subdit quod infinitũ dicitur tripliciter. Primo secundum multitudinem, vt patet in numero infinito. Secundo secundum magnitudinem, vt in magnitudine infinita. Tertio vtroq. modo, vt in tempore.

Quarto immoratur in consideratione infiniti separati, & non secundum magnitudinem, & multitudinem de quibus infra disputabimus.

Circa supradicta autem primo notandum est, quod infinitum quintupliciter sumitur. Primo pro infinito secundum perfectionem, vt est Deus, qui est infinite perfectus. Secundo pro infinito secundum vigorem, seu virtutem actiuam, vt est intelligentia, potens mouere tempore æterno. Tertio pro infinito secundum durationem, vt est cælum, & omnia ea quæ in seipsis non habent principium *Infinitũ quintuplex.*

intrinsecum corruptionis. Quarto pro infinito secundum extensionem, vt esset linea si in infinitum duceretur. Quinto pro infinito secundum multitudinem, vt si daretur numerus infinitus. Hic Phil. agit de infinito secũdum magnitudinem, & multitudinem, quod duplex est scilicet in actu, & in potentia, in 8. autem Physicorum de infinito secundum virtutem tractat, & in libris de cælo, de infinito secundum durationem.

Quadruplex dicitur. Secundo notandum insuper, quod vt in textu dicitur, infinitum quatuor modis sumitur. Primo pro interminabile, & impertransibili, quia non est quantum & hoc dicitur infinitum negatiue, vt est Deus, intelligentia, punctus, vnitas, & similia. Secundo pro pertransibili, sed cum magna difficultate, vt est via de terra ad cælum. Tertio pro pertransibili secundum se, sed non propter impedimentum, vt est profundum maris propter aquas suffocantes. Quarto pro quantitate continua, vel discreta, quæ secundum se nata est habere principium, & finem, sed non habet, quia quacunque parte data, vlterior datur, & de hoc infinito loquitur Phi.

Tertio notandum venit, quod de infinito magnitudine, & tempore differunt Mathematici, Astrologi, & Physici, sed diuersimode, nam de infinito agit Mathematicus supponendo quantum esse diuisibile in infinitum, at naturalis de eo agit percumerando, an de facto possit dari multitudo, vel magnitudo diuisibilis in infinitum. De tempore autem tractat naturalis, vt est mensura motus, & Astrologus de eo agit secundum se. De magnitudine vero vt abstrahit à motu, & à materia Mathematicus differit, sed vt est determinata ad corpus sensibile, vel ad numerum rerum naturalium numeratarum agit naturalis. Item de infinito tractant naturalis, & Methaph., sed Metaphysicus vt dicit entitatem illimitatam, vel limitatam, sed naturalis, at conuenit corpori sensibili, non secundum esse, sed secundum quantitatem.

QVAESTIO X.

Vtrum tractare de infinito spectet ad naturalem.

Videtur quod non. Nam quod non est, non est scire, per Philosophum cap. 2. primi Posteriorum. Sed infinitum non est, idest non datur, vt infra videbimus. Ergo de eo non est scientia.

Secundo. Infinitum est ignotum, per Arist. primo Physicorum. Ergo de eo non est notitia idest scientia.

Tertio. Naturalis agit de compositis ex materia, & forma, vt ex principijs. Sed infinitum nullum habet principium. Ergo &c.

Pro solutione huius quæstionis. Primo animaduertendum venit, quod Phys. tractat de infinito stat dupliciter. Primo vt de per se intento, & considerato à naturali. Secundo vt de consequente ens naturale. Primo modo non consideratur à Physico, sic considerante materiam, formam, naturam, & motum, vnde ipsum considerat secundo modo, idest consecutiue, prout consequitur motum per continuum, quod est diuisibile in infinitum, siue sit in actu, siue in potentia.

Secundum sciendum est, quod de infinito dupliciter loqui possumus. Primo quidditatiue idest quoad suam diffinitionem, & ita cognoscitur; & sic diffinitur, quod est cuius est accipere semper partem post partem, & numquam est deuenire ad vltimam partem. Secundo existenter, idest quo ad suum esse in rerum natura, si tale haberet, & hoc pacto incognoscibile est.

Sed tertio notandum venit, quod aliud est cognoscere infinitum distinctè, quo ad omnes suas partes in actu, & aliud est ipsum cognoscere confuse, cognoscendo omnes suas partes in continuo vt est diuisibile in infinitum. Primum est impossibile, quia non datur infinitum in actu. Secundum vero non est inconueniens, loquendo de cognitione infiniti per conceptum negatiuum, idest cognoscendo infinitum non existere. Sed, & hoc dupliciter primo per proprium conceptum negatiuum, & hoc non dicimus, quia negatiua, & non entia nõ habent proprium conce-

conceptum. Secundo per conceptum sui oppositi scilicet per conceptum finiti, & hoc verum est, sicut etiam hoc modo cognoscitur malum per bonum, & tenebræ cognoscuntur per lucem, & per hoc patet ad primum.

Ad secundũ similiter dictum est, quod procedit de infinito per modum infiniti sumpto, non autem per modum finiti, vt dum successiue cognoscitur, vel per conceptum sui oppositi.

Ad tertium pariter dictum est, quod naturalis agit de infinito non per se primo, sed consecutiue idest vt consequitur res naturales.

DVBIA.

Sed accidit dubium circa hanc propositionem Phil. Si daretur infinitum non esset principiatum. Nam contra stat, quod si daretur infinitum quantum, non esse summum ens, idest Deus, igitur posset habere principium.

Pro solutione huius dubij scito, quod hic non loquimur de infinito simpliciter, idest secundum entitatem, & perfectionem, sed sermonem habemus de infinito secundum quantitatem, quod dicitur infinitum secundum quid, hoc autem videtur posse habere principium.

Ideo secundum notandum est, quod in infinito tria sunt. Primum est infinitas, idest carentia terminorum. Secundum est quantitas, & Tertium substantia substrata infinitæ quantitati, & respectu huius tertij hoc infinitum non potest habere principium, quia materia infinita non est disposita ad receptionem formæ, nec habet causam effectiuam, quia in magnitudine infinita oportet esse virtutem infinitam, vt dicitur 8. huius. Sed ego putarem dicendum, quod de principio duobus modis loqui possumus. Primo simpliciter, & hoc principium non video negatum ab Arist. Secundo in genere tali, in quo dicitur infinitum, v.g. in genere quanti, non habet principium, nec in genere multitudinis, & hoc verum est, quia si est infinitum in illo genere, in eo non potest esse infinitum tale, finitum autem esset, si haberet principium, & per hoc patet ad argumentum.

Secundo dubitatur circa id quod dicitur in textu 32. quod in æternis non differunt esse, & posse. Nam contra arguitur. Materia est æterna, & potest esse sub forma ignis, & aquæ, sed non simul, quia contraria non possunt simul esse in eodem.

Ad hoc aliqui dicunt, propositionem solum verificari in Deo, in quo sunt idẽ, esse, & potentia, non autem in creaturis, in quibus distinguuntur. Sed hæc glossa, & si sit vera, non tamen non est ad mentem Arist. qui in illo loco nullam mentionem fecit de Deo. Ideo dicendum est cum S.D. quod posse duplex est, idest potentiæ actiuæ, & passiuæ, vnde sensus propositionis est, quod in æternis non differunt esse, & posse idest potentia ad esse, quia in eis semper est coniuncta actui, ideo non est sermo de potentia actiua, seu de voluntate agente, quæ distinguitur realiter ab essentia, secundum ea quæ tradit S. D. p.p. quæst. 54.

LECTIO X.

QVÆSTIO XI.

Vtrum possit dari infinitum in actu.

Videtur quod sic primo. Nam scientiæ Mathematicæ non supponunt falsum. Sed Mathematicæ scientiæ supponunt infinitum in suis demonstrationibus. Ergo potest dari infinitum.

Secundo. Infinitas non est contra rationem magnitudinis, cum sit diuisibilis in infinitum. Ergo potest dari.

Tertio. Motus, & tempus sunt infiniti, per Arist. 8. Physicorum. Ergo, & magnitudo supra, & circa quam fiunt.

Quarto. Quidquid Deus intelligit, potest facere, quia non est minus potens in faciendo, quam in intelligendo, sed Deus intelligit infinitum, vt tenent omnes Theologi. Ergo.

Quinto. Infinitum in potentia secundum appositionem si esset, daretur infinitum in actu, per Philosophum hic. Sed infinitum in potentia, per appositionem dabile videtur per D. Tho. dicentem, quod cuilibet quantitati finitæ potest fieri additio. Ergo.

Sexto. Potest Deus facere longitudinem infinitam. Ergo, & corpus infinitum.

Con-

Consequentia nota. Antecedens prob. Quia in corpore lato per decem palmos, & in longum per decem sunt infinitæ partes, à Deo separabiles.

Septimo. Rarefiat corpus pedale, & quolibet instanti vnius horæ acquirat nouum genus pedale, cum tunc instantia sint infinita, & corpus factum erit infinitum.

Octauo. Passio non repugnat suo subiecto. Sed infinitas est passio quantitatis. Ergo ei conuenire potest.

Nono. Potest Deus quacunq. specie data aliam perfectiorem facere in infinitum, & eam conseruare in esse, cum non sit maior Dei potentia ad creandum, quã ad conseruandum. At sic daretur infinitas in actu, data æternitate mundi. Ergo infinitum in actu dari potest.

Infinitũ quod sit Pro dilucidatione præsentis quæstionis. Primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo conclusiones. Tertio annotationes circa ipsas, & tamen solutiones argumentorum. Primo ergo notandum venit, nos hic quærere, an possit dari infinitum, vel naturaliter, vel saltem per absolutam Dei potentiam, secundum tamen ea quæ de ea philosophari possumus. In hac autem quæstione agemus de infinito tantum quantitatiuo, quod sic diffinitur. Infinitum id dicitur, in quo semper est accipere aliquid extra talem quantitatem, non quod accepta quantitate in finita adhuc extra eam sit accipere aliam quantitatem, sic enim non esset infinita, sed sic, quod accepta quantitate finita, ad hue vltra illam sit accipere aliam quantitatem, & vltra, aliam, & aliam, & sic in infinitum. Explicatius tamen sic possumus diffinire infinitum. Infinitum est, quod continet infinitas partes æquales vni certæ, non communicantes inter se, simulque existentes. Diximus infinitas partes æquales, quia quamuis in qualibet finita magnitudine sint infinitæ partes, non tamen sunt æquales. Diximus vni certæ, quia dato quod proportionaliter sint plures partes in magnitudine, non tamen tunc æquales vni certæ. Diximus non communicantes inter se, quia cubitus habet infinitas partes æquales vni certæ, sed communicant inter se. Quarto diximus simul existentes, ad excludendum tempus, & motum, quæ si essent ab æterno, non tamen haberent omnes partes simul. Sermo ergo erit de infinito quantitatiuo, & nõ secundum essentiam, & perfectionem, ex proprijs essentiæ.

Secundo ergo notandum est, quod corpus bifariam speculari potest. Primo Physice, idest prout secundum suam naturam, vendicat sibi determinata principia, & accidentia, & passiones, eo modo quo diximus in primo Physicorum determinari ad maximum, & ad minimum. Secundo potest considerari Mathematice, idest secundum quantiuatem, non vt res est, sed vt considerabilis est à Mathematico, idest vt abstracta secundum rationem, & sic secundum imaginationem mathematicã quantum est diuisibile in infinitum, vnde Mathematicus supponit quantitatem infinitam, non vero naturalis, & in hoc sensu scilicet physice, & naturaliter negamus infinitum, & secundum vnam dimensionem, v.g. longitudinem, & secundum omnes dimensiones, v.g. secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, si enim repugnat vni, repugnat & alteri. Secundo loco principali conclusiõ est contra Anaxagoram, Anaximandrum, Xenophanem Colophonium, Seleucum, & contra omnes eos contra quos disputat Aristot. hic à textu 40. vsque ad 56. & primo de cælo textu 33. vsque ad 76. Impossibile est dari corpus naturale infinitum. Probatur rationibus elicitiue Arist. Primo. Nam hoc corpus infinitum, vel esset compositum, vel simplex. Si compositum. Ergo ex infinitis partibus, quod est impossibile, quia infinitum non habet terminum. Si simplex, vel etiam compositum non posset moueri, quia omnem locum occupabit, motus autem est de loco ad locum.

Secundo. Ad quamlibet formam determinatam sequitur determinata quantitas, cum determinatis accidentibus. Sed omnes formæ naturales sunt determinatæ. Ergo habent determinatam quantitatem, nam quantitas est accidens consequens corpus naturale.

Tertio. Si daretur corpus actu infinitum tolleretur motus. Sed hoc est inconueniens, cum corpus naturale habeat in se principium motus, & quietis. Ergo, &c. Assumptum probatur. Non enim posset moueri motu recto, quia tale mobile mo-

ueetur ad locum ad extra, modo extra infinitum nihil est. Nō moueretur motu circulari, quia lineæ egredientes à centro cum distarent in infinitum, non posset vna peruenire ad locum alterius, & quia vt licet videre apud Euclidem lib.3. propos.16. Quę longius distant à centro, longius distant, & intra se.

Quarto. Vel hoc infinitum fieret extra cælum, vel sub cælo. Non primum, quia ibi nihil est, natura autem ex nihilo nihil facit. Non secundum quia hoc spacium est finitum, in spacio autem finito non potest concludi infinitas corporum.

Quinto implicat quod idem corpus sit mobile, & immobile, sed infinitum vt corpus naturale esset mobile, & vt infinitum immobile. Ergo non potest dari.

Circa secundam rationem notandum est, quod maior potest dupliciter intelligi. Primo quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia secundum genus, vel speciem, vt quod rationem corporis sequantur lux, color, figura, &c. Secundo, quod non solum consequantur eam determinata accidētia secundum genus, vel speciem, verum etiam secundum gradum intensionis, vel extensionis. Primo modo vera est, sed non intenta, quia sic posset dari infinitum secundum speciem, quod non esset infinitum secundum essentiam, vnde intelligitur secundo modo, sed & hoc dupliciter. Primo vt sit sensus, quod determinatam formam consequuntur determinata accidentia secundum genus, speciem & gradū in omnibus partibus, & hoc non intelligimus. Secundo in omnibus partibus seorsum, & per se Physice existere valentibus, vt determinantur ad maximum, & ad minimum, & hoc est quod intendimus.

Secunda conclusio est. In quantitate continua, actualiter existente, non est dabile infinitum in actu secundum appositionem, ita vt per appositionem, naturaliter possit transcendi quæcumque determinata quantitas. Sed antequam conclusio probetur quædam notanda sunt.

Primo igitur notandi sunt tres termini positi in conclusione. Primus est ly per appositionem, per hāc enim intelligimus additionem quantitatis ad quantitatem, vt si quantitati vnius cubiti addérentur aliæ quantitates cubitales, in infinitum. Secundus terminus, est ly naturaliter, quia forsitan per absolutam Dei potentiā fieri potest, quod quacumque quantitate data, Deus potest maiorem producere in infinitum, saltem sincategorematice. Tertius est ly ita, vt excedatur quæcumque determinata quantitas, quia partes proportionales addi possunt quantitati, non tamen ita, vt quæcumque determinata quantitas excedatur.

Secundo notandum venit, non esse inconueniens in diuisione ad infinitum ire, in appositione vero vtiq; quia ire ad diuisionem, est ire ad materiam, materia autem de se est quoddam indeterminatum, & infinitum. Ire autem ad appositionem est ire ad formam, cum autem de ratione formæ sit continere, limitare, & coarctare, ideo per eam non itur ad infinitum. Sed & additur, quod in diuisione continui potentia semper admiscetur actui, quia diuisa quantitate in duas partes, adhuc diuisibilis est, sed in appositione ad tantam quantitatem deuenitur, quod vlterius non potest extendi; & hoc in actu, & seruato ordine vniuersi, non enim potest infinitum dari, vt vniuersum excedat, in rebus materialibus, de quibus locutus est Aristot.

Tertio sciendum est, quod duplex est numerus. Primus dicitur numerus numerans simplex, & formalis, & hic habet rationem formæ, & ideo non potest esse infinitus, quia per numerum denarium omnia numerantur. Secundus dicitur numerus numeratus, vt decem homines, viginti leones, & in hoc numero itur ad materiam, & ideo potest tendere in infinitum, quia per eum non proceditur ad vnum simpliciter, sed ad vnum per aggregationem, & quia diuidendo numerum formalem eum diuidimus in partes indiuisibiles, at diuidendo continuum diuidimus illud in partes semper diuisibiles, ideo in continuo, & aggregato potest esse processus in infinitum, sed non in numero formali, mensurante omnes species multitudinis per vnum.

Sed quarto notandum est, quod aliud est dicere non posse dari infinitum categorematice, idest in actu terminato, & completo, & aliud quod non possit dari infinitum in actu sincategorematice, idest in actu permixto potentiæ, quia ei potest semper

ſemper fieri additio. Primum igitur infinitum negamus, etiam in rebus immaterialibus, modo dicendo infra. Secundum autem concedimus, data æternitate mundi, & inſpecta abſoluta Dei potentia, non enim ei repugnat, quod ſit ſucceſſiue, & in potentia cui poteſt fieri additio, ex ea parte, ex qua ei poteſt fieri, ſi ei fiat. Ex his igitur probata eſt concluſio, ſcilicet quod ſi daretur infinitum ſecundum appoſitionem, daretur infinitum in actu, ſi illa potentia poſſet reduci ad actum.

Ad primum dicendum, quod ſcientiæ Mathematicæ non dicunt falſum ſuo modo, ideſt ſecundum imaginationem, ſeu rationem, ſecundum quam ſupponũt poſſe dari infinitum, non vero ſecundũ rem. Secundum dicitur, quod Mathematicus ſupponit infinitum nõ actu, vt loquimur, ſed in potentia, vt explicatum fuit.

Ad ſecundum dicendum, quod magnitudo duobus modis conſiderari poteſt. Primo in communi, vt eſt magnitudo, & ſic non eſt contra eius rationem quod poſſit diuidi in infinitum. Secundo vt eſt determinata ad talem ſpeciem, verbi gratia quatenus eſt bicubita, vel tricubita, & ſic eſt contra eius rationem.

Ad tertium dicendum, quod motus, & tempus dicunt infinitum in potentia, & in ſucceſſione, modo non negamus infinitum ſucceſſiuum data æternitate mundi, ſed ſolum tollimus infinitum, ſimul, & in actu.

Ad quartũ dicemus in fine quæſtionis.

Ad quintum dicendum primo, quod D.Th. loquitur Mathematicæ, Phil. vero naturaliter, & in reali. Secundo reſpõdet Ferrarienſis, S. D. loqui de potentia Dei abſoluta, qua non implicat dari infinitum in appoſitione in actu. Sed tutius putarem dicendum quod Deus poſſit facere infinitum in actu ſecundum appoſitionem ſtat dupliciter. Primo cum actu permixto potentiæ, ita ut quacumque magnitudine, & multitudine data, poſſit Deus his addere, & hoc videtur verum, quia ſic diuina potentia non limitatur. Secundo in ſenſu compoſito, ideſt ſimul, & in actu, & hoc implicat, quia non poteſt eſſe infinitum ſecundum appoſitionem, & ſit terminatũ in actu, & ſit infinitum ſimul.

Ad ſextum dicimus implicare omnes illas partes proportionales, & infinitas ſeparari ſeorſum, itaut exiſtant in actu, quia de ratione infiniti eſt quod indeterminabile ſit, & per hoc patet ad ſeptimum.

Ad octauum aliqui dicunt infinitũ non in actu, ſed in potentia eſſe paſſionem quantitatis. Alij quod propoſitio Phil. eſt conditionalis, ideſt ſi datur infinitum, erit in quantitate, & non in ſubſtantia vel qualitate, &c. Conditionalis autem nihil ponit in eſſe. Sed tertio eſt dicendum, quod quantitas dupliciter conſiderari poteſt. Primo Mathematice, vt ſic, & ita non repugnat ei infinitas. Secundo Phyſice, & vt determinata eſt ad maximum, & minimum ſecundum rem, & in actu, & ita repugnat ei infinitas in actu. Vel dicendum quarto, quod ſi eſt paſſio quantitatis, eſt paſſio negatiua, vt ſit ſenſus. Finitum, & infinitum conueniunt quantitati, ſed diuerſimode, nam finitum ei conuenit poſitiue, & ſecundum rem, infinitum vero negatiue ſecundum rem, & ſolum poſitiue ſecundum imaginationem.

Ad nonum reſpondendo duo inuenio, quæ faciunt difficultatem.

Quacunque ſpecie data, poteſt Deus aliam creare perfectiorem.

PRimum, an qualibet ſpecie data poſſit Deus aliam creare perfectiorẽ in infinitum. Nam negatiuam partem tenuit Scotus, in 3.d.13.q.1. Durandus 1.diſt.44. q.2. & Aureolus apud Capreolum d.43. q. vlt. art. 12. quam ſic probabant.

Primo. In creaturis datur infinitum in imo, ideſt materia prima. Ergo, & in ſummo, ideſt datur ita pfecta creatura, quod ea perfectior non poſſit creari. Nam non eſt maior ratio quod deſcendendo veniamus ad infimum, quam quod aſcendendo, non veniamus ad ſummum. Confirmatur authoritate D.Aug. 12. Confeſſionum c.7. vbi dicit. Duo feciſti Domine, alterum prope te, ideſt naturam angelicam, alterum prope nihil, ideſt materiam primam, vnum ſupremum, & aliud infimum.

Secundo. Vniuerſitas ſpecierum ſemper debet diſtare à Deo in infinitum. Ergo non poterit dari vna ſpecies quæ tandem ſit infinita.

Tertio. Creaturæ procedunt à Deo, vt procedit numerus ab vnitate, per D.Dionyſium cap.5. de diuinis nominibus. Sed

inter numerum binarium, & vnitatē non potest cadere alius numerus. Ergo etiam dabitur aliqua creatura, inter quam, & Deum nulla alia poterit mediare.

Quarto. Non potest Deus seruata natura hominis alium essentialiter perfectiorem facere, nec numerum quaternarium eo seruato augere, nec duas species æqualis, perfectionis constituere. Ergo nec vnam speciem aliam perfectiorem in infinitum producere.

Quinto. Pulchritudo vniuersi augeri non potest, per D.Aug.in Enchirid.c.10. Greg. Nazianzenum, & alios Patres. At hæc constat ex speciebus, & generibus. Ergo &c.

Sed in contrarium stat S. D. p. p. q.25. art.6.& 2.contra Gentes cap.26.D.Bonauentura 1.d.44. q.1. Capreolus 1.d.43. q. vlt.artic.2. Soncinas 12. Methaphys. q.5. Aegidius quodlib.3.q.5.& alij plures, vno consensu affirmantes posse Deum quacūque specie data, aliam semper facere perfectiorem in infinitum. Prob.

Primo. Infinitum in potentia Deo non repugnat, per omnes Doctores, nec naturæ, per Aristot. Sed tale est infinitum ad perfectiorem semper speciem, vt patet. Ergo non repugnat dari.

Secundo. Diuina potentia exhauriri non potest. At si nō posset data vna creatura perfecta aliam perfectiorem facere exhausta esset, & finita diuina potentia. Ergo &c.

Tertio. Diuina essentia est infinita, & infinite imitabilis. Ergo per successiuam productionem infinitarum specierum.

Quarto. Quia opinio Abailardi, & Vuitgleff dannata fuit ab Ecclesia in Cōcilio Constant. quod Deus non possit facere alia entia præter ea quæ fecit, vel facturus est. Quare dicendum venit, quod quacunque specie data, potest Deus perfectiorem facere.

Ad primum ergo aduersariorum dicitur, quod Deus posset ens imperfectius potentia creare quam sit materia prima, creando puram potentiam aptitudinalem tantum, ad actum accidentalem. Secundo dicitur disparem esse rationem, quia descendendo procedimus ad imperfectiorē, ascendendo vero procedimus, ad perfectiorem, imitabilem in infinitum, quæ est Dei perfectio. Ad confirmationem dicitur, quod probat id quod factum est, non quod fieri potest à Deo.

Ad secundum dicitur, quod nulla erit species inter eas quę syncategorematice in infinitum sunt creabiles, quæ non distabit à Deo in infinitū, quia semper erit in genere creaturum. Neque in hac serie infinita specierum videbit Deus aliquam speciem infinitam, quia cuilibet illarum potest fieri additio.

Ad tertium dicimus, quod in hoc stat similitudo, inter vnitatem, & numerum, quod omnes numeri radicaliter sunt in vnitate, & in infinitum augeri possunt, ita pariter omnes species creaturarum sunt in Deo, vt in primo fonte, & in infinitum multiplicari possunt syncategorematice, & ideo argumentū pro nobis est.

Ad quartum dicimus, quod aliud est agere de specie producta, & aliud de producenda, nam producta nō potest saluati immota, & moueri, creabilis vtique quia ad id est in potentia.

Ad quintum respondet Caietanus, p.p.q.50.art.1. Vniuersum creatum esse perfectum quoad vniuersales gradus essendi, qui sunt corporale, & spirituale, corruptibile, & incorruptibile, intellectuale, & non, & similes generales, sed non quo ad species sub his gradibus.

Secūdum quod facit difficultatem est, an conseruatis illis speciebus in esse daretur infinitum. Cui dicimus non quia esset cōiunctum finito, cum ei possit fieri additio.

Ad quartum principale primo dicimus generaliter maiorem esse falsam absolute, quia multa Deus intelligit quæ facere non potest, uam intelligit contradictoria, & tamen non potest facere quod simul sint vera. Secundo dicitur, quod maior sic glossatur, quidquid Deus intelligit possibile esse, id potest facere, modo non intelligit infinitum esse factibile.

Quomodo Deus cognoscat infinita.

AD maiorem autem supradictorum cognitionem, quædam sunt notanda, & quædam sub dubio ponenda. Primo ergo notandum est, quod duplex est scientia in Deo. Prima dicitur simplicis intelligentiæ, & hæc se extendit ad omnia, quæ Deus potest facere, sed nō facit.

R Secun-

Secunda dicitur visionis, & hac intuetur ea quæ de facto futura sunt in aliqua differentia tẽporis. Primam possumus vocare naturalem Dei scientiam, & potius speculatiuam quam practicam, quia solum dicit cognitionem. Secunda vero potest dici practica, quia habet adiunctã voluntatem, & est sicut scientia artificis, quæ est causa rerum, sed conuenientius cum S. D. p. p. q. 1. art. 6. dicemus eam esse altiorem practica, & speculatiua, vt eo loci ostendemus. Loquendo ergo de cognitione Dei simplicis intelligentiæ, affirmamus cõtra illos Philosophos de quibus dixit D. Aug. sec. 12. de Ciuitate Dei, cap. 18. Deum cognoscere infinita. Primo, quia cognoscit essentiam suam infinitam, infinita repræsentantem, & infinite imitabilem. Secũdo, quia cum Deus habeat potentiam infinitam, & nulla re creata limitabilem, potest creare infinita. Si vero loquamur de scientia visionis.

Secundo dicendum venit, quod cognoscere infinitum scientia visionis stat dupliciter. Primo in actu, ita vt cognoscantur infinita categorematice, & per modum infiniti. Secundo in potentia permixta actui, syncategorematice, quia dato quocunque numero rerum adhuc cognoscit Deus ei alium numerum esse addendum, vt patet in cogitationibus hominum, & angelorum, quod est cognoscere infinitum per modum finiti. Quod ergo Deus secundo modo infinita cognouerit ab omnibus cõceditur, vnde in primo modo, est difficultas. Nam Durandus. in 1. d. 3. q. 2. Almain in 3. dist. 14. q. 1. & nonnulli moderni tenent, Deum non cognoscere infinita extra se actu, sed bene in potentia, semper actui permixta.

Hoc probant. Primo. Deus eo modo cognoscit alia infinita quo cognoscit infinitas partes in continuo. Sed hæ non sunt cognoscibiles nisi vt per diuisionẽ successiue possunt esse infinitæ. Ergo. Secundo. Eo modo res Deus cognoscit quo futuræ sunt. Sed non sunt futuræ nisi cum potentia permixta actui, idest successiue. Ergo &c. Tertio. Quia satis est ad ostendendam Dei potentiam dicere eum cognoscere infinita hoc modo, quod quibuscumque datis, adhuc cognoscit plura posse dari. Quarto. Quia S. D. primo contra gentes c. 69. & 3. p. q. 10. affirmauit Deum intuitiua cognitione non intelligere infinita.

In oppositum stat S. D. expresse p. p. q. 14. art. 12. & 13. & idest contra Gentes cap. 69. cum Ferrariensi S. Bonauentura 1. dist. 39. q. 1. artic. 3. & Capreolus in 3. dist. 14. q. 2. art. 1. Et prob. primo. Quia quæcunq. futura sunt in tempore, Deo sunt præsentia in æternitate. At in tempore sunt futuræ infinitæ cogitationes, & volitiones angelorum, & animarum nostrarum. Ergo. Secundo. Deus habet apud se distinctas ideas omnium rerum creabilium, specie distinctarum, cum in essentia infinita non detur vltima idea. At hæ ideæ continentur in essentia diuina in actu, & non in potentia, cum nulla potẽtia detur in essentia diuina, ergo &c.

Ad primũ ergo dicitur, quod aliud est dicere partes continui nõ esse diuisibiles nisi in potentia, & successiue, & aliud qđ non possint simul cognosci. Primum est verum, sed secundum falsum apud Deũ. Sed & respondet Ruuio hic, q. 2. de infinito, disparem esse rationem de continuo, & cogitationibus, nam continuum non habet actum diuisionis infinitæ, cogitationes vero vtique, & extra causas suas, & ideo continuum non potest cognosci in actu quem non habebit, cogitationes vero maxime.

Ad secundum dicimus ad maiorẽ, quod dupliciter potest intelligi. Primo, quod Deus cognoscat futura prout in se erunt, ab eis accipiẽdo cognitionem, & modum cognitionis. Secundo, quod dicat cognitum negando modum cognitionis, vt fit sensus. Deus cognoscit infinitas cogitationes, in tempore futuras, sed nõ successiue, vt fiunt, sed simul, & vt ab eius essentia repræsentantur. Ad tertium dicimus, illud non sufficere, quia cognitio rei in actu, præstat cognitioni in potentia. Ad quartum respondet Capreolus, in 2. dist. 14. q. 2. art. 1. Caietanus 3. p. q. 10. art. 3. & Ferrariensis primo contra Gentes, c. 69. quod infinitum in actu duplex esse potest. Primum in subsistentibus, vt in animabus nostris immortalibus. Secundum in non subsistentibus, vt in cogitationibus, & volitionibus; primum negauit S. D. primo contra gentes, secundum vero admisit, locis vt supra.

QVÆSTIO XII.

An intellectus creatus saltem angelicus, possit cognoscere infinitum.

CIrca hanc quæstionem multæ sunt opiniones. Prima fuit illorum Hæreticorum qui dixerunt, nos posse in via cognoscere infinitum, etiam secundum perfectionem idest Deum secundum suã essentiam, & hoc naturæ tantum viribus, quod si non fit, accidit, quia non separamus mentes nostras à terrenis, intellectum nostrum offuscantibus. Sed hic error damnatus est in Concilio Vienen, in Clem. Ad nostrum, de Hæreticis. Repugnat enim sacris literis, constituentibus visionem Dei non in viribus naturæ. Sed in diuina gratia, & misericordia, & contra hunc errorem scripsit S.D. p.p.q. 12. art.4. & 3. contra gentes cap.52. & Scotus in 4.d.49. q.11.

Secunda opinio fuit, Infinitum secundum magnitudinem, & multitudinem posse cognosci ab Angelo naturæ viribus. Quod docuit Cap. in 2.d.3.q.2.art. 3.& Soncinas 12.Meth.q.62. & hoc probant. Inter mouentem, & mobile debet esse proportio in motu. per Arist. 12. Meth.tex.44. Sed Angelus mouet cælum ad producenda infinita, saltem indiuidua, data æternitate mundi. Ergo Angelus mouens cælum poterit hæc infinita cognoscere. Secundo. Angelus cognoscit id omne, quod per vnam speciem intelligibilem repræsentatur. Sed species numeri representat Angelo omnes numeros, qui sunt infiniti. Ergo cognoscit infinitum. Tertio. Intellectus humanus non potest infinita intelligere, quia intelligit per conuersionem ad diuersa phantasmata, in quorum inspectione defatigatur. Sed hæc ratio cessat in Angelo, vt patet. Ergo. Quarto. Intellectus precipue in dependens à sensu, quanto magis intelligit maius intelligibile, tanto magis confortatur. Ergo dato quocunq. magno intelligibili, Angelus qui non dependet à corpore, poterit maius intelligere in infinitum &c.

In contrarium stat S.D.p.p.q.86.art.2, & primo contra gentes cap.70. Item Scotus in 4.d.1.q.1. Aegid.1.q.39. Caiet.p.p. q.56. art.2. Ferra.1. contra gentes cap. 101. & inter antiquos D. Aug.4. in Gen. cap.35. & 15. de Trin. cap.24. & Arist.p. Phy. text.35.& 65. & secundo Meth.tex. 11. vbi docet infinitum, inquantum infinitum esse ignotum.

Et prob. primo. Inter potentiam cognoscentem, & cognitum debet esse proportio. At inter intellectum Angelicum, & infinitum non est proportio. Ergo intellectus Angelicus non poterit cognoscere infinitum. Maior est Arist.3.de anima. Minor probatur. Quia inter finitum, & infinitum non est proportio. Secundo. Potentia actiua finita habet certum terminum à natura præfixum per Arist. primo de cælo text.116. Ergo terminus potentiæ finitæ non erit nisi finitum, aliter potentia non esset finita, sed infinita.

Ad primum ergo aduersariorum dicitur, quod species Angelorum sunt tantum actuales similitudines singularium, dum sunt in actu, quia tunc terminantur ad rem existentem, vnde ante quam res sit, species non est nisi ratio cognoscendi rem dum erit, & quia data æternitate mundi infinita indiuidua non essent infinita in actu simpliciter, ideo Angelus per illam speciem non potest intelligere infinita simpliciter in actu.

Ad secundum respondent Caiet. & Ferra. vt supra, quod Angeli non intelligunt quidquid per vnam speciem representatur, quia species non representat actualiter, nisi quæ actu sunt, hæc autem non sunt infinita.

Ad tertium dicimus non solum eam esse rationem, sed plures aliæ, superius adductæ.

Ad quartum dicimus, quod valet de maximo intelligibili proportionato, infinitum autem non est tale, cum sit intellectui finito improportionatum. Esset alia difficultas scilicet an per absolutam Dei potentiam intellectus creatus saltem beatus possit videre infinita indiuina essentia, sed quoniam hæc difficultas Theologica est, ideo vsque ad primam partem D. Thom. q.12. eam reseruo.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum possit dari multitudo actu infinita, saltem per diuinam potentiam.

Videtur quod sic. Primo. Nam omne quod est in potentia potest reduci ad actum, Sed numerus, est infinitum multiplicabilis in potentia. Ergo poterit reduci ad actum.

Secundo. Cuiuslibet speciei potest esse vnum indiuiduum. Sed species figuræ sunt infinitæ, secundum multitudinem. Ergo hoc infinitum potest dari.

Tertio quæ non se impediunt, fieri possunt. Sed data quacunque multitudine adhuc maior potest superaddi. Ergo &c.

Quarto. De mente Aristot. mundus est æternus, & anima immortalis. Ergo infinitæ animæ præcesserunt, & sic datur infinitum secūdum multitudinem.

Quinto. Deus in quolibet instanti vnius horæ potest producere vnum hominem, vel vnum lapidem, & hæc conseruare in esse. Sed in vna hora sunt infinita instantia. Ergo potest creare infinitam multitudinem in actu.

Sexto. Potest Deus infinitas partes magnitudinis separare. Sed in magnitudine sunt infinitæ partes. Ergo &c.

Sexto. Quidquid Deus successiue facit, simul efficere potest, quia Diuina potentia non est determinata ad hoc, vel ad illud. Sed potest infinita successiue producere, vt omnes concedunt. Ergo etiam simul.

Octauo. Ponatur ignis in medio mundi, tunc non est maior ratio, quod ex vna parte ascendat quam ex alia. Ergo diuidetur in infinitas partes, ad hoc vt quodlibet punctum sursum ascendat.

Nono. Sit vas plenum aqua calida, frigida fiat, & consequenter inspissetur, tunc neuacuum detur, vas rumpetur, & cum non sit maior ratio quod in vna parte rumpatur, quam in alia, in infinitas partes necesse erit ipsum rumpi.

Decimo. Idem dicimus de filo rupto ex violenta duorum trahentium.

Vndecimo. Ignis inferni posset cruciare infinitas animas, si infinitæ essent. Ergo à fortiori poterit Deus producere multitudinem infinitam.

Duodecimo. Materia est in potentia ad infinitas formas. Ergo possunt dari infinitæ formæ, nam frustra est illa potentia, quæ non reducitur ad actum.

Decimotertio. Infinita potentia potest producere infinitum effectum; Potētia diuina est infinita. Ergo potest producere infinitum, vt effectum suum.

Decimoquarto. Non minoris potentiæ est diuina voluntas, quam sit diuinus intellectus. Sed diuinus intellectus intelligit infinita. Ergo & diuina voluntas pot est ea facere.

Decimoquinto. Idea magnitudinis in Deo est infinita, non enim est limitata, & coarctata, aliter non potest facere maiorem, & maiorem magnitudinem, semper in infinitum. Sed Deus potest de facto producere omne id cuius apud eum est idea. Ergo, &c.

Decimosexto. Maior est virtus Dei, quam quorumcunque ignium. Sed si darentur infiniti ignes possent infinita combustibilia cumburere. Ergo, & Deus producere infinitum.

Decimoseptimo. Si Deus ageret de necessitate naturæ, ageret secundum totum suum posse. Sed ipse est infinitus. Ergo produceret infinita. Sed diuina libertas, nihil adimit à virtute diuina. Ergo potest dari infinitum.

Decimooctauo. In continuo sunt infinitæ partes proportionales, modo has diuidat Deus, & in esse conseruet, non enim minoris virtutis est ad conseruandum, quam ad diuidendum. Ergo poterunt dari infinitæ partes seorsū, & in actu.

Decimonono. Si non posset dari multitudo actu infinita, foret propter rationem adductam à D.Th.p.p.q.7.art.4. quia scilicet omnis multitudo est in aliqua specie numeri, nulla autem species numeri est infinita, quia fit per vnum. Sed hæc ratio peccat, quia multitudo est quid communius quam numerus, & consequenter debet habere plures species, vnde potest quis dicere, quod species multitudinis finitæ, sunt secundum species numeri, non autem species multitudinis absolutæ, quare Arist. quinto Meth.c. de quanto dixit, pluralitatem finitā esse numerum, quasi infinitam excipiat.

Vigesi-

Vigesimo. Nec valet altera ratio S. D. quod omne creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehendatur. Nam vel hæc certa intentio creantis erit certitudo finis, aut medij per quod finis acquiritur. Non primum, quia, vel intelligitur quod creatum sit finis certus, aut quod creatum habeat certum finem. Nā primum, quia creatū non est finis creantis. Non secundum, quia & si verum sit diuinam bonitatem participatam esse finem creantis, tamen non sequitur ex hoc quod res fiant sub certo numero. Si est certitudo medij per quod acquiritur finis propositio est falsa, & nihil probat. Et falsa, quia hoc medium potest intendi, non vt medium ad acquirendum finem, sed vt concommitans, vel vt proueniens ex certo medio, per quod acquiritur finis, vt patet ex Auerr. 12. Meth. com. 37. vbi vult intelligentias mouere cœlos, vt Deo assimilentur in faciendo entia, & propterea apud Auicennam sequuntur infinitæ circulationes. Secundo arguitur contra eandem rationem, quia videtur committere sophisma à sensu diuiso, ad compositum, scilicet à quolibet creato, ad multa. Nam vnum creatum est terminus, & finis vnius intentionis. Sed multa creata sunt fines multarum intentionum, & creationum, & consequenter poterunt dari infinita creata, sicut possunt dari infinitæ intentiones. Tertio. Quia non valet in creatis per accidens, quia multitudo infinita per accidens, non est intenta nisi per accidens idest propter aliud, vt anima creatur propter corpus, dato igitur quod essent creata infinita corpora, necessario essent creatæ infinitæ animæ, & sic si remansissent, fuissent per accidens.

Pro resolutione huius quæstionis. Primo iaciemus aliqua fundamenta. Secundo ponemus duas conclusiones, & probabimus. Tertio diluemus argumenta.

Opiniones. Quo ad primum sciendum est primo, quod hanc quæstionem disputamus non solum de facto scilicet an detur multitudo infinita, sed etiam de possibili scilicet an per absolutam saltem Dei potentiam possit dari. Circa igitur hanc difficultatem duæ sunt sententiæ. Prima est affirmatiua idest quod possit dari. Hanc amplexantur Greg. in primo dist. 42. q. 4. Ocham quod 2. q 5. & in secundo q. 8. Maior. in 3. d. p. & alij plures. Secunda est negatiua scilicet quod non possit dari, & hanc defendit S. D. p. q. 7. & quod 9. art. 1. & quod 12. art. 2. Diuus Bonauentura 1. d. 43. q. 3. Scotus in secundo d. 1. q. 3. Ricar. q. 5. & 6. Cap. in primo d. 43. q. 1. Ferra primo contra gentes cap. 81. Scotus, & Ferr. hic cum Ruuio, & Conimbr.

Secundo ergo sciendum, quod duplex est multitudo. Prima dicitur materialis, idest rerum materialium, & hæc causatur ex diuisione continui, & est de genere quantitatis. Secunda dicitur formalis, & trascendentalis, quæ in rebus spiritualibus reperitur, qua multitudine, & numero numerantur Angeli, & essentiæ. Modo hic disputamus an possit dari multitudo primo, vel secundo modo infinita, in actu. Tertio notandum, quod Deus possit producere infinitam multitudinē stat dupliciter. Primo in sensu diuiso, siue sincategorematice, vel dicamus successiue in actu permixto potentiæ, itaut non detur vltimum productum. Secundo in sensu composito, simul in actu, & cum permanentia, ita vt in infinitis instantibus infinitos Angelos produxerit, & eos in esse conseruauerit. Primo modo non est inconueniēs, nec impossibile, quia qua ratione vnum Angelum, vnum animal, lapidem, vel quid simile, in vno instanti potest producere, eadem ratione potest hoc in alio, & alio instanti. Secundo tamen modo est impossibile, quia cum in determinato tempore verbi gratia in vna hora sint infinita instantia in potentia, implicat quod idem sit simul in actu, & in potentia. *Multitudo duplex.*

Quo ad secundum prima cōclusio est. Impossibile est dari multitudinem actu infinitam, in rebus naturalibus prob. primo. Numerus rerum naturalium ex diuisione continui causatur. Sed impossibile est omnes partes continui simul existere in actu, & esse diuisibiles successiue in infinitum. Ergo. *Cōclusiones probantur.*

Secūdo. Id de cuius ratione intrinseca, & formali, est esse actu cum permixtione potentiæ, non potest secundū totum, esse simul. Sed de intrinseca, & formali ratione infiniti est dicere actū idest diuisum, cum potentia ad vlteriorem diuisionem. Igitur impossibile est, quod detur multitudo existens in actu in rebus naturalibus.

Secunda

Secunda conclusio est. Secundum veritatem in rebus immaterialibus non potest da ri infinitum; prob. primo. Omnis multitudo sit materialium, vel immaterialium est in aliqua specie. Sed quod est in specie non potest esse infinitum, quia omnis multitudo specifica pro principio habet vnum, in infinito autem non datur vnum primum. Ergo &c.

Secundo. Repugnat dari corpus sine forma, per Arist. in prædicamento qualitatis. Sed corpus infinitum nullam potest habere figuram. Ergo prob. minor, quia figura resultat ex terminis, & extremis quantitatis, & corpus infinitum caret terminis, & extremis.

Confirmatur in multitudine materialium. Quia non dantur corpora infinita numerata, nec separata.

Confirmatur in rebus spiritualibus, & primo in animabus. Nam animæ sunt formæ corporum. Sed corpora non possunt esse infinita. Ergo nec animæ.

Confirmatur secundo in Angelis. Nã creatum oportet esse sub certa intentione creantis, non sic infinitum, quia non habet certum terminum.

Confirmatur in infinito secundum entitatem, quia si daretur in his quæ sunt inferioris ordinis, posset etiam dari in his quæ sunt diuini ordinis à fortiori. Sed non potest dari lumen gloriæ quod est diuini ordinis infinitum, quia faceret cognoscere Deum quantum cognoscibilis est.

Tertio. Producat Deus tot Angelis quot potest. Tunc quæro, aut potest plures alios producere, vel non. Si secundum, exhausta est diuina potentia. Si primum, non erunt infiniti, quia eis potest fieri additio, infinito autem nulla additio fieri potest.

Quarto. Implicat quod totum non sit maius sua parte, sed hoc accideret in infinito, in quo omnes partes sunt infinitæ, nam quaternarius componitur, ex duplici binario, & tamen tunc essent numeri æquales, cum ambo essent infiniti.

Quinto. Quod sit sub certa intentione, & fine, finitum est necessario, nam infinitum non seruit ad vsum. Sed impossibile est quod ea quæ facit Deus non faciat sub certa intentione, & fine. Quare dicere, quod sic ostenderet infinitam suam potentiam impertinens est, quia aptius eam ostendit, non faciendo creaturam æqualem Creatori. Ergo, &c.

Sexto. Creet Deus infinitos Angelos, & singulis det vnum scutum, tunc hæc scuta erunt infinita, cum infiniti ponantur Angeli. Ergo Deus non poterit dare vni illorum Angelorum decem scuta, nam tunc necesse esset à nouem Angelis aufferre suum scutum, & tunc sequitur. Primo, quod infinitum in actu finiatur, quia determinate aufferretur, & quod si Deus ab omnibus Angelis scuta sua aufferret, & in vnum congregaret, & primis daret decem, quod alijs nouissimis non posset dare, quia multa fuerunt ablata, & sic infinitum consumitur, & in infinito damus primum, & vltimum, quod implicat.

Septimo. Sic corpus posset moueri in instanti motu continuo. Probatur, quia si essent infiniti Angeli, & omnes se applicarent ad mouendum lapidem de Oriente in Occidentem, cum virtus illorum sit infinitorum, & aucta in infinitum, moueret in instanti, nam si virtus finita mouet in tempore, infinita mouebit in instanti.

Octauo. Vniuersum non potest esse sine ordine. At omnis ordo reducitur ad vnitatem, & proportionem. Sed in infinito nulla est vnitas, nullus ordo, & nulla proportio, ad quæ reduceretur infinitum, quia sic finiretur. Ergo non potest dari.

Nono. Si Deus crearet infinitum exhausta esset eius potentia, quia extra ipsum non posset aliud creare. Sed hoc contradicit infinitæ diuinæ potentiæ.

Ad primum respondetur, quod numerus sit multiplicabilis in infinitum stat dupliciter. Primo in actu, & hoc est falsum. Secundo successiue, & in potentia, & hoc verum est, nec Philosopho contradicit, & ita dicimus ad secundum species figurarum non esse multiplicabiles in infinitum nisi successiue, & in potentia. *Argumenta soluuntur.*

Ad tertium dicitur, quod repugnat quod quacumque multitudine data successiue detur alia maior, sed repugnat dari in actu vt supra.

Ad quartum difficilis est responsio, vnde Alexander propter hoc argumentum

tum animam fecit mortalem, Auerroes vnum esse omnium intellectum constituit, & Pythagorici transmigrationem animarum posuerunt. Sed dicendum venit, apud Aristot. forsitan non fuisset inconueniens ponere multitudinem infinitam in rebus immaterialibus. Vel dicendum, quod hæc ratio est particularis, quia forsitan Aristot. concessit mundum æternum quo ad omnes species, vna duntaxat excepta, idest humana, in tempore creata. Vel dicendum, quod non repugnauit infinito secundum quid, idest à parte ante, sed finito à parte post, quod infinitum dicitur infinitum permixtum potentiæ.

Sed supradicta non transeunt sine magna difficultate. Primo enim arguitur contra hoc quod in rebus immaterialibus de mente Arist. non repugnet infinitum. Nam si de animab. nostris sit sermo, patet, quod data multitudine earum infinita, dabitur etiam infinitum in rebus materialibus, cum qualibet anima sit forma corporis, vnde datis infinitis animabus, oportet etiam dare infinita earum receptacula, idest corpora. Si vero sit sermo de Angelis, qui sunt substantiæ completę in specie obstabit primo Aristot. hic, text. 36. vbi expresse concludit etiam in separatis à materia non dari infinitum. Hæc enim sunt eius verba. (Separatum igitur esse infinitum à sensibilibus impossibile est.) Secundo, quia hæc ratio Aristot. currit contra omne infinitum. Omnis multitudo est numerus, per vnũ mensuratus. Sed multitudo per vnum mensurata est finita. Ergo non potest dari Confirmatur. Quia S.D. supradicta ratione motus, in prima parte quæst. 7. Art. 4. excludit infinitum etiam in immaterialibus, quamuis in secundo contra gentes cap. 81. & in Opusc. contra Auerroistas dixerit rationes Arist. non repugnare nisi rebus materialibus, non vero immaterialibus. Tertio accedit, quod infinitum secundum appositionem in potentia non potest dari. Ergo nec multitudo infinita in actu potentiæ permixta, quia tale infinitum est formale.

Sed ad primum dicitur primo, quod illa ratio est particularis, & tantum excludit generationem æternam hominum. Vel secundo dicendum, Arist. non repugnare infinito in actu potentiæ permixto, vt esset generatio hominum.

Ad primum contra multitudinem immaterialium completorum in specie dicimus, Aristot. se declarare in textu 39. non loqui de infinito separato in Methaphysicis, & intellectualibus, sed tantum de infinito separato à sensibilibus, prout dicebat Pythagoras dari quoddam infinitum de genere quantitatis, ab omni materia sensibili separatum, hæc enim sunt verba Aristot. text. 39. Sed fortassis est vniuersalior quæstio, si contingit in Mathematicis, & in intellectualibus, & in nullam habentibus magnitudinem, infinitum esse Nos autem intendimus de sensibilibus. Sed contra hoc stat expositio S.D. tex 6. huius, vbi dicit Arist. excludere etiam infinitum in rebus intellectualibus, contra Platonem. At responsio patet, Aristot. excludere infinitum intelligibilem Mathematicum, non vero in intellectualibus, nam intelligibile Mathematicum non est secundum rem à materia separatum, vt est Angelus.

Ad secundum dicitur, Arist. exclusisse infinitam multitudinem materialium, quæ mensuratur per numerum de genere quantitatis, nos autem loquimur de Angelis mensuratis multitudine formali transcendentali. Ad confirmationem dicitur, non esse eandem rationem S.D. & Aristot. quia ratio Arist. procedit de multitudine, quæ est numerus materialium, ratio autem S. D. procedit de numero formali. Secundo, quia Aristot. dicit. Omnis numerus est multitudo per vnum mensurata, S.D. vero ait. Omnis numerus est multitudo per vnum facta, numerari autem, & fieri diuersa sunt. Etenim mensurari per vnum, est per vnitatis reduplicationem certificari, fieri vero per vnum, est numerum habere rationem formæ, & ideo variato numero, variatur forma numeri. Ratio ergo Aristot. hæc est. Omnis multitudo materialis in actu existens est in aliqua specie numeri. At infinita multitudo non est in aliqua specie numeri, quia omnis multitudo mensuratur per vnum, infinita autem multitudo non potest per vnum mensurari. Ratio vero S. D. hæc est. Quælibet species multitudinis est finita. At omnis multitudo actu existens est in aliqua specie multi-

multitudinis. Ergo est finita. Minor vt nota relinquitur. Maior probatur, quia quælibet species numeri fit per vnum, species autem numerorum non sunt infinitæ, quia quod per vnum fit, vt vno mensuratum non potest esse infinitum, cum infinitum careat primo, & vltimo, nec fiat, vel terminetur.

Ad aliud dicitur, quod non potest dari infinitum secundum appositionem in rebus materialibus, & stante ordine vniuersi, non absolute, vt modo loquimur.

Ad quintum principale dicitur, quod procedit de creatione infiniti syncategorematice.

Ad sextũ idem dicitur, procedit enim de infinito, finite sumpto.

Ad septimum negatur maior, quoniã id repugnat ex parte rei factibilis.

Ad octauum dicẽdum, quod ille ignis, vel non mouebitur propter æqualitatem, vel mouebitur ad illam partem, in qua erit maior cæli influxus.

Ad nonum dicendum, quod illa aqua resoluetur in calorem, vel aerem, ne detur vacuum, vel fiet fractio, vbi erit maior compositio.

Ad decimum dicendum, quod ibi frangetur, vbi erit maior concursus virtutis.

Ad vndecimum dicendum, quod conditionalis est vera, sed res impossibilis.

Ad duodecimum dicendum, quod in materia est solum vna potentia realiter.

Ad decimumtertium respondetur ex S.D.p.p.q.25.art.2.& q.3.art.5. primo ad maiorem, quod valet in causa vniuoca, & non in æquiuoca, vt est Deus, qui excedit omnem creaturam in infinitum. Secundo dicitur, quod Deo correspondet infinitus effectus non in rebus quia non creauit infinitas res, sed in modo quia eas creauit cum modo arguente infinitam potentiam. Sed & tertio dicitur, quod finitas creaturarum arguit virtutem Dei infinitam quia quacunq. multitudine data, potest ei addere.

Ad decimumquartum, primo dicitur quòd maior est vera respectu obiecti primarij idest ratione diuinæ essentiæ, non vero ratione obiecti secundarij, quia Deus multa intelligit scientia simplicis intelligentiæ, quæ non faciet. Secundo dicitur, quod Deus intelligit infinita, sed non vt factibilia simul in actu, diuina autem voluntas comitatur intellectum in intellectis scientia visionis non vero simplicis intelligentiæ. Nec in hoc est aliqua imperfectio, & diminutio in diuina voluntate, quia non vult nisi factibilia.

Ad decimumquintum dicendum, quod diuina idea bifariam considerari potest. Primo subiectiue vt est idem cum diuina essentia, & sic est infinita. Secundo obiectiue idest vt respicit factibile, & sic finita est, quia respicit finitum.

Ad decimumsextum dicimus, antecedens repugnare scilicet quod dari possint infiniti ignes, & ideo consequentia erit impossibilis in actu scilicet quod possint dari infinitæ combustiones.

Ad decimumseptimum primo dicimus, Deum non posse agere de necessitate naturæ, quia sic non esset perfectissimus, cum agere libere præualeat. Secundo dicitur, quod hoc dato ageret secũdum totum suum posse ad omne quod est producibile, infinitum autem non est producibile, vnde defectus est ex parte rei factibilis.

Ad decimumoctauum dicendum posse Deum quolibet instanti creare vnum angelum, lapidem, vel animam, vel diuidere infinitas partes continui, & illas conseruare, sed insensu diuiso, non autem in sensu composito, & coniunctim, non enim illæ productiones possunt esse ordinatæ vna post aliam, quia momenta in tempore sic se habent, quod post vnũ sequuntur infinita, quare necesse est quod inter duo instantia mediet tempus, quod succesionem semper dicit.

Ad decimumnonũ dicitur, quod aliud est dicere omnes species multitudinis esse species numeri, & aliud omnes species multitudinis esse species numeri idest proportionales illis. Primum est falsum, quia species numeri sunt de prædicamento quantitatis, non autem omnes species multitudinis, cum aliquæ sint rerum spiritualium. Secundum verum est, & intentum, quia species multitudinis proportionantur speciebus numerorum. Vel secundo dicitur, quod & si numerus materialis non conuertatur cum multitudine, numerus tamen formalis hoc habet, & in hoc sensu procedit ratio.

Ad vigesimum dicendum, quod pro

certa intentioné creantis intelligimus creatum posse esse finem, & medium intentionis creantis, finis erit, vt est res producta, vel saltem producibilis, vt finis alicuius. Erit medium, in quantum poterit ordinari, vel non, ad vlteriorem productionem. Creatum ergo non potest esse aliquod consequens creationis terminum, sed erit terminus creationis, & ita erit, vel finis, vel medium ad finé. Est ergo sensus propositionis, quod omne creatum comprehenditur sub intentione creantis determinata, & non indeterminata, & infinita, quia producitur, vel vt terminus creationis, vel vt medium, infinitum autem caret termino, & ineptum est ad hoc, vt sit medium. Creatum autem dicitur finis creantis, vt finis idem sonat quod intentum, vt terminus, vel medium, nō vero vt perficiens creantem. Ad secundum dicitur, quod multa creata possunt sumi per modum vnius, & ita dicimus multa creata, vt vnum creatum accipi sub certa, intentione creãtis, & sic non infinita, quia infinitas multitudinis repugnat rationi finis, & medij. Ad tertium primo dicitur, quod per accidens dupliciter sumitur. Primo vt idem sonat quod non per se, sed accidentaliter. Secundo vt idem sonat, quod per se, sed non primo, sed propter aliud. Primo modo animæ non dicuntur creari per accidens, sed secundo modo, & ideo per se dicuntur creatæ, & si non primo, repugnat autem creato per se, sub certa intentione creantis, quod illud tale sit infinitum. Secundo dicitur, quod anima dupliciter considerari potest. Primo vt ordinatur ad informandum corpus, & sic non dicitur per se primo intenta, sed in ordine ad corpus. Secundo in ordine ad creantem, & sic magis intenditur eius creatio quam corporis, quia nobilius magis intenditur, anima autem est nobilior corpore, vt eã excludit. Vel tertio dicas, quod anima intellectiua habet quod dicat quo, vt est actus corporis, & dicat quod, vt gaudet propria subsistentia, à corpore separata. Quamuis ergo primo modo non dicatur per se primo intenta, secundo modo tamen vtiq. & ideo non potest dari infinitas animarum intellectiuarum.

Per supradicta autẽ cessant multa alia argumenta, vt si Deus intelligit infinitũ, possit etiam illud velle, & quod gratia vnionis sit infinita in actu, ita & merita Christi. Nam ad primum motiuum dicitur, quod intelligere infinitum, dicit perfectionem in Deo, non sic velle infinitũ, quia esset terminatiuum suæ potentiæ, & ideo dispar est ratio. Ad secundum dicitur, quod gratia vnionis non dicitur infinita secundum se, sed propter infinitatem verbi, vt docet S. D. 3. p. q. 7. art. 11. Ita dicimus gratiam habitualem Christi esse infinitam in genere gratiæ, sed non in genere entis simpliciter. Et ita meritum Christi dicitur infinitum in genere meriti idest vt acceptatur ad satisfaciendum de condigno pro peccatis, non vero dicitur infinitum in genere entis simpliciter. Sed etiam dic, quod hic disputamus de infinito secundum magnitudinem & multitudinem, & non secundum perfectionem.

QVAESTIO XIV.

Vtrum possit dari infinitum in potentia.

VIdetur quod non. Nam infinitum in potentia reducibile esset ad actum, quia omnis potentia Physica est reducibilis ad actum. Sed hoc est falsum, vt probatum fuit supra. Ergo infinitum in potentia non est dabile.

Secundo. Cuiuslibet rei datur maximum, & minimum, per Arist. secundo de anima. Ergo res non sunt diuisibiles in infinitum in potentia.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum est, quod hic loquimur de diuisione infinita quantitatis Mathematice, non Physice, quia sic determinata est ad maximum, & ad minimum, nam primo modo per Arist. quinto Methaphysicæ quantitas est diuisibilis in infinitum.

Secundo notandum, quod hic loquimur de diuisione in partes proportionales idest secundum magis, & minus, vt si quantum diuidatur in duas partes, hæ habebunt ad totum proportionem dupli, & si iterum vna illarum diuidatur, erit proportio subdupli, & sic in infinitum. Non ergo loquimur de partibus eiusdem quantitatis secundum eandem mensuram, quia quantitas non est semper diuisibilis in partes æquales, nisi secun-

cundum proportionem.

Tertio notandum est, quod hic dicimus quantum esse diuisibile in infinitum in potentia, quia numq. est deuenire ad vltimam partem indiuisibilem, cum continuum non componatur ex indiuisibilibus, qnamuis in eo sint indiuisibilia, vt docet D.Th. expresse opusc.36.c.2 & q. 28.de veritate art.2.ad 2.& quodl.7. art. 9 ad secundum, Capreo. in secundo d.2. q 2.art.3.Caiet.in prædic. quantitatis,& 3.p.q.4.art.2. Scotus in 2.d.1.q.3.& d.2. q.4. Ideo hic scito, quod quamuis indiuisibilia sint in actu in continuo, non tamen sunt realiter separata inter sese, & à partibus, sed actu eis coniuncta, cum quibus vnum continuum componunt, quare dum Arist. & D.Th. asserunt indiuisibilia non esse actu in continuo, sed in potentia tantum, non negant actum existentiæ in eo, sed solum actum separationis, vnde puncta indiuisibilia terminant lineam vere, & realiter, & superficem, sed has non componunt indiuisibiliter, vnde continuum non diuiditur in indiuisibilia.

Quarto ergo loco ponitur hæc conclusio. Datur infinitum in potentia, in successiuis. Probatur. De ratione continui est diuidi in infinitum per Arist. in hoc tertio, & quinto Meth. Sed non in actu, cum infinitum in actu non sit dabile, ergo in potentia.

Ad argumenta patet, ad primũ, quod potentia continui non est reducibilis ad actum Physice, quoniam omne quantum Physice consideratum determinatum est ad maximum, & ad minimum, vnde intelligitur Mathematice, & successiue, prout conuenit continuo, & per hoc patet ad secundum.

QVAESTIO XV.

Vtrum vnum infinitum possit esse maius altero.

Videtur quod non, Primo. Nam vnum infinitum esse maius altero, est vnum excedere aliud, sed hoc non potest esse in duobus infinitis, quia si hic excessus est finitus, excessum non erit infinitum. Si infinitus, aliud non erit infinitum.

Secundo. Quilibet numerus infinitus omnes numeros continet, & omnes vnitates infinitas. Ergo non poterit dari alius numerus, quo vnum infinitum altero sit maius.

Tertio. Infinito nulla potest fieri additio. Ergo vnum non erit minus, quia sic ei potest fieri additio. Et ita tenent Conimbricenses hic, cap.8.q.2. art.4.ad secundum.

In contrarium est S.D. 3.p.q. 10. art.3. cum Caiet. Soncinas 12. Meth.q.31.ad primum, & Ferrariensis secundo contra Gentes cap.38. & probatur primo. Demus numerum, Angelorum esse infinitum, & ab eo decem aufferri idest denarium nnmerum tunc numerus Angelorum remanentium minor erit nnmero infinito, decem ablatos comprehendẽte.

Secundo. Detur multitudo infinita corporum hominum, his Deus addat infinitam multitudinem animarũ, & equorum, tunc infinitum hoc animarum immortalium hominum, & mortaliũ equorum infinitorum erit maius infinitum, quam multitudo infinita animarum tantum hominum. Huic difficultati respondet Ruuio hic, tractatu de infinito, q.9. quod infinitum bifariam considerari potest. Primo formaliter, pro formali ratione infinitatis, & sic cum hæc ratio sit indiuisibilis, in vno non potest esse maior quam in altero. Secundo materialiter, pro rebus infinitis, & sic clarum est duo infinita simul coniuncta esse quid maius, vno tantum illorum infinitorũ. Primi opinatores sumunt infinitum primo modo, & secundi secundo modo, & ideo vtraq. opinio stare potest, vnde patet ad argumenta, hoc solum considerato, quod numerus absolute sumptus intelligitur omnes numeros infinitos comprehendere, non sic infinitus binarius, vel ternarius, quia ei potest addi extensiue alius numerus infinitus, verbi gratia qui narius.


Finis Tertij Physicorum.

COM-

COMMENTARIA
CVM QVÆSTIONIBVS
In quartum Physic.

LECTIO I.

Speculatio de loco ad Physicũ spectat.



Ntentio Philosophi in hoc quarto Physicorum est, de loco, de vacuo, & de tempore agere. Vnde ex prima lectione Sancti Doctoris duas literaliter conclusiones eliciemus. Secundo loco circa eas aliqua notando, & Tertio loco quædam dubia soluendo.

Prima igitur conclusio sit. Speculatio de loco ad Physicum spectat. Probatur rationibus Philosophi elicitiue. Primo sic. Id quod cadit sub communi opinione Philosophorum naturalium, illud pro certo est tenendum, & esse, & ad Phil. naturalem spectare. Sed locum esse sub communi opinione Phil. naturalium cadit. Ergo. Maior est nota ex primo posteriorum. Minor prob. Nam communis est Philosophorum conceptio, quod omne quod est, necesse sit illud in loco esse, exceptis chimericis, & ficticijs. Secunda ratio. Ad Philosophum naturalem pertinet tractare de motu, & præcipue de motu locali, qui est vniuersalior motus; & causa cæterorum motuum. Sed motus localis cognosci non potest sine loco, cum vocetur localis, quia est ad locum. Igitur ad Philosophum naturalem pertinebit tractare de loco. Tertia ratio est. Munus Phil. naturalis est, omnes dubitationes circa res naturales emergentes enucleare, & soluere. Sed multæ dubitationes accidunt circa locum dupliciter. Primo ex parte loci, quia ab omnibus idem esse locum, non conceditur. Secundo ex parte nostri, quia multi errauerunt circa naturam loci. Ergo &c.

Locus datur. Secunda conclusio est. Datur locus. Probatur primo ex mutatione loci facta a diuersis corporibus, sic, Ille vocatur locus, a quo dum vnum corpus exit, in eo aliud succedit. Sed ab vno loco corpus aliquod exit, vt dum a vase aqua fluit, & in eodem vase aliud corpus succedit scilicet aer. Ergo locus datur. Secundo prob. ex motu sic. Ille est locus corporum, ad quem naturalia secundum se mouentur, tanquam ad suam perfectionem. Sed naturalia secundum se cõsiderata mouentur ad suas differentias locales, secundum quas perficiuntur scilicet ad sursum, ad deorsum, ad dextrorsum, ad sinistrorsum, ad ante, & retro. Ergo. Tertio prob. ex ponentibus vacuum, & ex dictis Hesiodi, & omnia clara sunt in textu.

Circa supradicta notandum est primo circa ordinem, quod postquam Phil. tractauit de motu, & de infinito, hic tractat de loco, de vacuo, & de tempore. Primo. Quia locus est veluti necessaria proprietas locatorum secundum veritatem, & vacuum secundum quorundam opinionem, tempus vero est mensura motus. Secundo, quia a prioribus est incipiendum. At locus intelligitur præcedere tempus, & præcedi a motu, & infinito, vt sic, nam de motu secundum suas species, & ita de infinito agendum erit in quinto, & sexto. *Ordo.*

Secundo notandum venit quod Philosophus multa dicta antiquorum non sustinenda admiscet suæ doctrinæ de loco, de vacuo, & tempore, vnde non sunt propositiones Aristotelis, sed antiquorum, contra quos inuehit, arguendo non demonstratiue, sed demonstratione ad hominem, idest ex concessis ab ipsis.

Tertio animaduertẽdum venit. Quod esse in loco stat dupliciter. Primo diffinitiue, idest ita determinari ad vnum locum, quod tale non vbique sit, sed tamen absque commensuratione quantitatiua, ita vt partes loci non correspondeant partibus locati, sed quasi modo indiuisi-

bili, in eo sit, scilicet totum in toto loco, & totum etiam in singulis partibus, & hoc modo Angelus dicitur esse in loco definitiue, quoniam sibi vendicat determinatam spheram suæ actiuitatis, ad differentiam Dei, qui vbique est per immensitatem. Secundo modo aliqua dicuntur esse in loco circumscriptiue, idest per circumscriptionem, factam ab vltima superficie, ambientis corporis, ita vt partes superficiei continentis, correspõdeant partibus corporis, & puncta, punctis, & hoc modo corpora sunt in loco. Datur etiam alius modus essendi in alio, vt dicitur esse corpus Christi in hostia, idest, vt in Sacramento. Non enim est ibi circumscriptiue, quia non aliqua superficie circumscribitur. Neque etiam est ibi definitiue, quia non definitur his, aut illis speciebus sacramentalibus, & ideo nullo modo Christus dicitur esse in hostia tanquam in loco, sed solum vt in Sacraméto. Sed adhuc in loco esse circumscriptiue stat dupliciter. Primo per se, & hoc modo corpora naturalia sunt in loco circumscriptiue. Secundo per accidens, idest per aliud, & sic formæ artificiales dicuntur esse in loco per corpora in quibus sunt. Et ita Mathematica dicuntur esse in loco non vt abstrahunt a materia secundum rationem, sed vt eam concernunt secundum rem.

D V B I A.

Circa autem hæc dicta Philosophi à textu primo, vsque ad octauum, plura occurrunt dubia soluenda.

Primum dubium occurrit circa primum textum, in quo dixit Philosophus secundum antiquos. Omne quod est, in loco esse. Contra instatur. Quia sic est arguere cum fallacia consequentis, nam sic videbantur arguere. Si id quod in nullo loco est, non est. Ergo omne quod est, in loco est. Arguere aut hoc modo non licet, nisi in conuertibilibus, quod non cernitur in præsenti negotio, cum plura sint entia scilicet immaterialia, quæ non sunt in loco.

Ad hoc dubium dicitur. Quod ens bifariam sumi potest. Primo transcendenter, vt etiam de immaterialibus dicitur, & sic non licet arguere. Omne quod est, in loco est, quia immaterialia sunt, & non sunt in loco circumscriptiue, immo Deus est, & non est in loco, nec circumscriptiue, nec diffinitiue. Secundo sumitur determinate, id est pro ente tantum sensibili, & materiali, & sic conuertitur. Ita vt omne corpus sensibile si est, in loco est, & quia antiqui non cognouerunt alia entia præter sensibilia, ideo dicebant, quod omne quod est, in loco est. Vel secundo dicendum, quod etiam si cognouerint substantias separatas, quoniam tamen eas fecerunt motrices cœlorum, & cęlis applicatas, vnde eas constituerunt, vel in centro, vel in circulo, vt patet in octauo Physicorum textu 84. ideo dixerunt etiam eas esse in loco. Sed errauerunt, quia ibi non sunt per commensurationem quantitatiuam, sed solum per contactum virtualem, idest definitiue, & non circumscriptiue.

Secundum dubium est. Quomodo ad naturalem spectat considerare de loco. Nã quod est per se notum, a nulla scientia sub disputatione est considerandum. Sed locum esse est per se notum, & ab omnibus concessum, vt dicitur in textu. Ergo.

Respondetur. Quod aliud est agere de an est loci, quærendo an detur locus, & aliud est quærere de quid loci quærẽdo quid sit locus. Primum quidem notum fuit apud antiquos, non vero secundum, vnde aliqui fecerunt locum, materiam, alij formam, alij interuallum &c. vt patebit infra.

Tertium dubium est. Quomodo consideratio loci pertineat ad Philosophum naturalem, Nam illud quod conuenit omni enti, videtur potius pertinere ad Methaphysicã, quæ est circa omne ens, vt dicitur quarto Methaphysicæ, quam ad Physicam, quæ est circa determinatũ ens, vt habetur 6. Methaphysicæ. Sed esse in loco conuenit omni enti, vt dicitur hic in textu. Ergo.

Huic dubio iam satis dictum est, quod antiqui non omni enti attribuerunt esse in loco, sed tantum sensibili, & materiali, quod ens est de consideratione Philosophi naturalis.

Quartum dubium accidit circa textum quartum, vbi Philosophus videtur

tria attribuere loco, quorum primum est, trahere ad se locatum, secundum conseruare ipsum, & tertium perficere ipsum. Contra enim primum stat, quod trahere spectat ad causam effectiuam, ad quam non attinet locus, vt infra videbimus. Contra secundum est, quod animalia, & plantæ in proprijs locis constitutæ, tandem corrumpuntur. Contra tertium vrget, quod perficere est actus formæ. At locus (vt infra videbitur) non est forma. Ergo.

Ad primum horum dicitur, quod trahere stat dupliciter. Primo effectiue, trahendo ad se tractum cum motu. Secundo finaliter, rapiendo ad se tractum, vt ad suum terminum. Primo modo, finis non trahit locatum, quoniam illud quandoque non tangit. Secundo igitur modo illud trahit, vt tanquam in proprio loco quiescat, & perficiatur, adeo, vt ab eo non extrahatur, nisi ab extrinseco per violentiam.

Ad id quod est contra secundum, dicitur. Quod conseruare locatum stat dupliciter. Primo simpliciter, & absolute quia efficaciter, & in impedibiliter operatur ad eius conseruationem, subtrahēdo omne corruptiuum; intrinsecum, & extrinsecum. Secundo secundum se, in suo genere, & quantum potest. Primo modo locus non conseruat locatum, quoniam si est compositum ex contrarijs, ab intrinseco habet quod corrumpatur, & quandoque etiam ab intrinseco a validiori corruptiuo, cui locus resistere minimè potest. Secundo autem modo dicitur illud conseruare, vnde cernimus arbores quosdam in quibusdam locis conseruari, & in alijs interimi, & ita aromata, & animalia in vno climate vigere, & viuere, & in alio nequaquam. Locus ergo quantum potest, locatum conseruat per se, & si per accidens ex aliqua mala qualitate illum alterante, vt facit infecta nebula, vapor nociuus, cauma, malus odor, &c. horum ratione, & adiunctione possit agere per accidens, ad correptionem locati. Ad id quod contra tertium obijcitur. Respondetur, quod valet de perficiente intrinseco, dante esse, simpliciter, & formaliter, quod dicitur forma, nam locus dicitur perfectiuus locati extrinsece, id est constituendo locatum in sua quiete naturali, quo modo etiam intelligentia cœlo assistens, & illud mouens, dicitur illud perficere, & ita Magister discipulo disputanti assistendo, & equus iter conficienti, commodum præbendo, & exercitus robustus Ducem adiuuando, & solium validum, Regem securum reddendo.

Quinto dubitatur. Vtrum sursum, & deorsum sint species loci. Videtur enim quod non: quia differre per diuersas superficies, non est differre per diuersas species, cum species differant per essentiales differentias, & non per diuersas superficies, secundum situm distinctas. Sed sursum, & deorsum differunt vt diuersæ superficies, vt patet. Ergo. &c.

Augetur difficultas, ex quodam dicto Commentatoris scilicet; quod sursum ad quod fertur ignis, & deorsum ad quod fertur terra, sunt extrema vnius longissimæ lineæ rectæ; Nam contra hoc est, quod illa linea potest pertrahi vsque ad Cœlum Empireum, quod altius est igne, & defferri vsque ad centrum terræ, quod sub ea est.

Ad primum igitur horum dicitur quod sursum, & deorsum bifariam sumi possunt. Primo pro solis superficiebus, & sic specie non distinguuntur. Secundo pro corporibus locantibus, stantibus sursum, & deorsum, & sic specie distinguuntur, vt patet.

Ad secundum dicimus, dictum Commentatoris valere non de longissima linea possibili simpliciter, & absolute, vt probat argumentum: Sed de longissima linea tantum terminante motum grauium, & leuium, motus enim horum non transit orbem lunæ sursum, nec terram, vel eius centrum deorsum.

LECTIO II.

At vero habet defectum. text. 8.

A Textu 8. vsque ad quartumdecimū immoratur Phil. ad oppugnandam supradictam conclusionem, scilicet quod locus detur. Sex igitur rationibus id probat. Primo sic. Si locus est aliquid, corpus est. Sed non potest esse corpus. Ergo nec aliquid.

aliquid. Maiorem vt notam relinquit, quia constat, ipsum mensurari longitudine, latitudine, & profunditate, quibus dimensionibus natura corporis diffinitur. Minorem probat. Locus, & locatum simul sunt. Ergo si locus est corpus, & locatum est corpus, duo corpora erunt simul in eodem loco, hoc autem est impossibile, quia non possunt se penetrare.

Secundo. Si locus daretur, superficiei, & puncti esset locus. Sed hoc est falsum. Ergo &c. Maiorem probat ex superiori dicto scilicet, quod locata sibi succedunt in eodem loco, Minorem ostendit, quia si puncto assignaretur locus, cum locus, & id quod loco continetur æqualia sint, & coniuncta, cum punctum sit indiuisibile, & locus esset indiuisibilis, & ita duo indiuisibilia quantitatis simul essent, quod fieri non potest.

Tertio. Si locus esset, vel esset elementum, vel ex elementis. Sed neutrum horum esse potest. Ergo. Probat minorem. Quia elementum, & elementatum, vel sunt corporea, vel incorporea, cum locus, & locatum sint simul, duo corpora simul essent quod est improbatum. Si incorporea hoc cernitur falsum, quia locus habet magnitudinem. Ergo.

Quarto. Omne quod est, est de numero aliquarum causarum. Sed locus non est de numero causarum. Ergo. Nam non est materia, quia res naturales non componuntur ex loco, sicut ex materia. Non est forma, quia tunc omnia, quæ essent in vno loco, vnius speciei essent, cum species, & forma coincidant. Non est efficiens, cum non sit principium motus, sed potius terminus. Non est finis, cum magis locus sit propter locatum, quam locatum propter locum. Ergo.

Quinto arguit Zeno. Si locus est aliquid. Ergo erit in loco, quia omne quod est, est in loco. Ergo locus erit in loco, & sic in infinitum, quod est impossibile.

Sexto. Locus non est maior, nec minor locato. Ergo si locatum augetur, augebitur & locus. Sed hoc est absurdum, quia cum locus sit immobilis, non potest augeri.

Pro intelligentia supradictorum notandum est. Esse dissenssionem inter Doctores de intentione Aristotelis in his textibus, multi enim (quos Toletus sequitur) sustinent Philos. hic non quærere de an est loci, sed inuestigare quid sit locus, quod dupliciter probant. Primo, quia locum esse, per se notum est. Secundo, quia hæ rationes appugnant quid est loci, & non an est eiusdem. Sed aliud sentit Sanctus Doctor innixus textui, nam in superioribus textibus dixit Aristoteles, se velle prius determinare an sit locus, qua determinatione facta subinfert dubitationem habere si locus est, & quid sit. Ideo dicendum, quod vtrumque quærit, sed prius an est, & deinde quid est. Ideo ad primum dicitur. Non fuisse apud omnes ita notum qnod locus sit, vt multi non dubitauerint de hoc, & ita dicitur ad secundum, quod Aristoteles hic dubitat secundum antiquos de an est, & quid est loci.

Secundo notandum venit, supradictas rationes esse antiquorum, & non Aristotelis, vnde super illis non sit stabile fundamentum, quoniam tamen multa concernunt veritati consona, ideo ad eorum solicitatem, quædam dubia mouebo, & explicabo.

DVBIA.

PRimo dubitatur circa textum sextum, in quo Aristoteles laudat Hesiodum dicentem, locum, terram præcesisse. At hoc est contra fidem, qua tenemus, omnia simul esse creata.

Ad hoc dubinm respondet Commentator, quod admittentes creationem mūdi, de difficili saluare possunt vacuum non præcessisse mundum, quia spatium in quo fuit creatus mundus vacuum erat. Sed fallitur Commentor, ex ignorantia positionis creationis mundi, dicimus enim ante creationem mundi non extitisse aliquod spatium vacuum, secundum veritatem, sed tantum per imaginationem.

Ad argumentum ergo dicimus, Aristotelem non laudare Hesiodum de sua opinione, idest quod ante mundum præcesserit spatium, non repletum corpore, sed in hoc eum laudat, quod locum posuerit, quamuis in fundamento erraret.

Secundo contra secundam rationem dubitatur, dum ex ea habemus punctum non esse in loco, quia sic nulla esset differentia inter punctum, & locum puncti.

cti. Contra enim arguitur. Primo, quia punctum locatum, esset in locante, seu continente, & punctum locans in alio continente, & sic different, vt locans, & locatum.

Secundo. Quia non videtur esse eadem ratio de puncto, & loco puncti, quæ est de corpore, & loco corporis. Nam punctum est indiuisibile, & ideo totaliter attingitur à loco, non sic corpus, quod non attingitur nisi secundum superiorem superficiem.

Ad hoc dubium dicitur, quod antiqui tenuerunt ea quæ situ idem sunt, esse etiam idem in entitate, & ideo arguisse duo indiuisibilia esse idem. Quod ergo punctus, & locus puncti distinguantur, dupliciter intelligi potest. Primo, Physice, & entitatiue, idest secundum suas realitates, & sic dicendum venit secundum veritatem, quid distinguantur, prout probat argumentum. Secundo Mathematice, & secundum abstractionem ab entitate, & ita quæ situ idem sunt, vt eadem etiam entitate recipiuntur.

Ad secundum similiter dicitur, diuersam quidem esse rationem, secundum veritatem, sed secundum supposita antiquorum nequaquam, quia secundum antiquos, quæ in eodem situ collocabantur idem esse secundum entitatem dicebantur.

Tertio dubitatur circa tertiam rationem, in qua assumitur, omne elementum esse corporeum, vel incorporeum. Nam implicat, elementum dari incorporeum.

Ad hoc dubium aliqui dicunt, Aristotelem per elementum incorporeum intellexisse ideas Platonis, à materia separatas, vel species intelligibiles immateriales, in intellectu nostro existentes. At nos dicimus hanc rationem fuisse antiquorum, qui entia vocabant corporea, & incorporea, prout habebant trinam dimensionem, vel ea carebant.

Quarto dubitatur circa eandem rationem, quoniam in ea affirmatur locum esse quoddam quantum, ergo corporeum. At in prima ratione dictum est, locum non esse corpus, hæc autem simul non stant. Respondetur. Quod quantum in plus se habet quam corpus, quia linea, & superficies sunt quædam quanta, & non corpus, quare locus potest esse superficies; & non corpus.

Quinto dubitatur contra quartam rationem, in qua negatum fuit locum esse causam efficientem, nam videmus terram in quibusdam partibus producere poma, pira, castaneas, & similia, & in alijs ferrum, plumbum, stamnum, argentum, & aurum, & in alijs lapides, &c. Ergo erit causa effectiua.

Ad hoc dicitur, quod locus duobus modis considerari potest. Primo materialiter, idest pro re quanta, quæ est locus, & ita cum sit superficies, & quædam quantitas, & quantitas secundum se non sit actiua, sic dicendum est, locum non esse causam effectiuam. Secundo modo sumitur quasi formaliter, scilicet pro tali quantitate habente talem virtutem, sibi à cælo impressam, & sic connumerari potest inter causas effectiuas, in quo sensu etiam dixit Porphirius cap. de Genere. Patrem, & Matrem esse principia generationis.

Sexto dubitatur contra eandem rationem, pro quanto in ea asseritur, quod forma continet. Hoc enim videtur falsum, quia hoc est proprium materiæ, quæ vocatur receptaculum formarum. Ergo non conuenit formæ.

Respondetur. Quod duplex est continentia. Prima dicitur materialis, quia continet materialiter intra terminos suæ quantitatis, quo modo vas plenum aqua dicitur continere aquam, & corpus animam, & hoc modo dicitur continere de materia. Secunda dicitur continentia formalis, qua aliquid finitur, determinatur, & mouetur, & ita forma continet materiam, quoniam ei dat esse, & motum, & ita Angelus continet locum in quo operatur, quia illum determinat ad talem operationem, & eum illi subijcit.

LECTIO III. & IV.

QVAESTIO I.

Vtrum naturaliter duo corpora possint simul esse in eodem loco.

Septimo dubitatur circa primam rationem, in qua dictum est duo corpora non posse esse simul in eodem loco. Videtur enim hoc esse falsum. Quia in eodem

dem corpore multa sumi possunt, quę diuersorum corporum rationem habent, vt sumendo in eo duas manus, duos pedes, caput, & similia, hæc autem esse simul in eodem loco patet.

Quantitas duplex. Pro enodatione huius dubij. Primo sciendum est, quod corpus dupliciter cōsiderari potest. Primo pro trina dimensione quantitatis molis, & sic consideratur à Mathematico. Secundo pro superficie ambiente, & continente corpus locatum, & sic consideratur à Physico.

Superficies duplex. Secundo adnotandum est, quod superficies ambiens, & mensurans locatum duplex est. Prima dicitur adæquata toti corpori, quia ipsum respicit, & ambit, secundum se totum. Secunda dicitur inadæquata, qua partes mensurantur, & dicuntur esse in loco, non per se, sed per totum, modo de adæquata loquimur.

Esse ī eodem loco dupliciter. Tertio sciendum est, quod duo corpora esse in eodem loco stat dupliciter. Primo per penetrationem, & incorporationem, ita vt vnum incorporetur alteri manenti in suo esse, & hoc est impossibile, quia qua ratione duo corpora possent esse in eodem loco, sic & infinita, quia non est maior ratio de duobus, quam de infinitis. Secundo secundum continuationem, vel contiguitatem, prout superficies corpus ambiens, est in superficie ipsam ambiente, & locatum est in sua propria, & immediata superficie.

Duo corpora non possunt esse ī eodem loco. Quarto ergo adnotādum venit, quosdam (authore Alexandro in opusculo de mixtione) tenuisse duo corpora in eodem loco naturaliter esse posse, varias experientias afferentes, vt quod ignis per ferrum candens meet, aqua per panem in ea intinctum penetret, aqua per cineres, & nummi per aquam in ciato positam perambulent. At oppositum docet Arist. hic, & textu 27. & probatur primo. Quia sic duo corpora se penetrarēt, idest eundem locum occuparent, quod est impossibile naturaliter, quoniam cū vna quantitas locum occupat, facit, quod incompossibiliter alia eum occupare possit. Secundo, quia sic infinita corpora possent esse in eodem loco, vt supra. Ideo scito, aliud esse vnam quantitatem aliam intra porros suos, & meatus suos proprios recipere, & aliud est vnā quantitatem, nullo modo alteri cedentem cū ea stare. Primum possibile est, vt experientiæ aduersariorum testantur. At secundum naturaliter impossibile censetur, quia sic sequeretur hanc quantitatem hic esse, & hic non esse, cum duæ illæ quantitates debeant distingui situ, & loco, qua propter quamuis quantitas per se non sit forma actiua, tamen ex consequenti trahit secum quendam modum actiuitatis, scilicet expellere aliam quantitatem, per incompossibilitatem in eodem loco.

Ad argumentum ergo dicitur, quod procedit de his, quæ in loco ponuntur per accidens, & per mensuram sibi inadæquatam, & toti adæquatam. Hinc deducas, substantiam, quantitatem, & alia accidentia in vno locato existētia vnum locum, & vnum vbi tantum sibi vendicare adæquatum, cum hoc quod ratio locandi sit quantitas, & res locata sit substantia, cum suis partibus, & accidentibus, ita vt pars locati, correspondeat parti loci, & totum locatum, toti loco.

QVAESTIO II.

An per absolutam Dei potentiam duo corpora possint esse in eodem loco.

Videtur quod non. Primo. Quia si duo corpora possent esse in eodem loco diuina virtute. Ergo hoc idem poterunt habere duæ partes eiusdem corporis, quia sicut totum se habet ad totum, ita pars ad partem. Sed hoc est falsum, quoniam necesse est, quod in corpore habeant determinatum situm, & positionem, taliter quod caput non stet cum pedibus &c. Ergo duo corpora non possunt esse simul.

Secundo. Quia sic omnes partes, immo totum corpus posset reduci ad locum digiti, & ita pars erit maior toto, quod implicat.

Tertio. Sicut se habent partes successiuæ ad totum successiuum, ita partes permanentes ad totum permanens. Sed duæ partes successiuæ non possunt esse simul, scilicet prior, & posterior. Ergo nec permanentes. Minor est nota. Maior probatur, quia vtrumque habet extensionem.

In hac difficultate duas inuenio opiniones.

niones. Prima est negatiua, scilicet non posse nec etiam per diuinam potentiam duo corpora esse simul, in eodem loco. Hanc probabilem censent Durandus in 4.distin.44.quæst.6. & Scotus distin. 49. quæst.16. ad secundum, dum dicit, implicare duo corpora locum occupantia esse in eodem loco, non vero si vnum illorum à loco absoluatur, quoniam penetratio corporum implicat contradictionem.

Opiniones. Secunda est affirmatiua, scilicet hoc fieri posse per absolutam Dei potentiam, quam defendunt S Doctor 3.parte, q.54. art.1. in quarto dist. 43.quæst.2.art.2. q. 3.ad 2.& 4. & super Boetium de Trini. quæst. de causarum pluralitate quæst.5. D.Bonauentura in.4.di.49.quæst.9. Suarez.3.parte, quæst.54.art.4. disput. 46.sectione 5. Ruuio hic, quam etiam amplexati sunt apud collegium Conimbr. Leo magnus, Cirillus, Gregorius, Esijchius, Damascenus, Augustinus, Iustinus, & alij Patres.

Quantitas duo habet. Secundo ergo notandum venit, quod in corpore quanto duo sunt pensanda. Primum, est natura quantitatis, quæ stat in extendere partes secundum magnitudinem. Secundum est radix, & ratio huius extensionis. Nam quantitas bifariam considerari potest. Primo vt est actu extensa, & vt partes in corpore in actu distinguit, & facit quod quantitas in actu, non admittat secum aliam quantitatem in actu, sed eam excludat, per actum incompossibilitatis. Secundo vt radicaliter, & aptitudinaliter habet, quod possit extendi, partes distinguere, aliam quantitatem ab eodem loco excludere, & incompossibilitatem cum alia quantitate constituere. Si primo modo consideretur, implicat duo corpora esse simul, quia sic fierent vnum corpus, & incompossibile in actu, fieret compossibile in actu, simul, & semel. Si vero secundo modo consideretur, hoc est possibile, quia Deus potest suspendere actum incompossibilitatis, ne in eo casu quantitas illum obtineat, sicut potest suspendere inhærentiam naturalem ab accidente, vt patet in Sacramento altaris. Dum ergo duo corpora se penetrant, Deus ab eis suspendit actum incompossibilitatis, quā habent vt sunt impenetrabilia in actu, relinquendo solum vt retineant impenetrabilitatem in aptitudine. Hoc enim potest facere Deus, quia vna quantitas aliam expellit per actionem realem; cum autem omnis actio realis indigeat Dei concursu ad producendum suum effectum, suspendendo Deus suum concursum, hoc operatur, quod illa duo corpora se compatiuntur in eodem loco, & vnum aliud non expellit.

Tertio ergo loco ponitur hæc conclusio. Per diuinam Dei potentiam duo corpora possunt esse simul in eodem loco. *Conclusio probatur.* Probatur primo ex Sacris litteris, in quibus aperte legimus, Christum ex vtero virginali clauso processisse, & clauso sepulchro resurrexisse, & ianuis clausis ad discipulos ingressum fuisse, & ad dexteram Patris ascendendo cœlos penetrasse, secūdum illud D.Pauli, ad Hebreos 4. Habentes ergo Pontificem, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei. Secundo probatur. Quoniam Christus Dominus noster simul est cum speciebus panis, & vini in Sacramento altaris. Dicere autem esse ibi corpus Christi secundum substātiam, & non secundum quantitatem, vt annuit Durandus, error est, quia ibi est pro vt in cęlo reperitur, secundum omnia sua membra.

Ad primum ergo dicitur, quod sicut per absolutam Dei potentiā posset mons ingens per foramen acus trāsire, si Deus suspenderet ab eius quantitate incompossibilitatem actualem alterius quantitatis, ita possibile est per absolutam Dei potentiam, suspensa hac incompossibilitate, quod vna pars stet simul cum alia, & omnes in loco vnius, & per hoc patet ad secundum. *Argumenta soluuntur.*

Ad tertium similiter dicitur, quod duę partes successiuæ in actu, & formaliter non possunt esse simul, sed bene si a sua formalitate, & incompossibilitate separarentur, sicut facit Deus a duobus corporibus. Vel dicas secundo, quod partes continuæ supponuntur fuisse, ad præteritum autem non est potentia, sed solum ad futurum, vt diximus de penetratione corporum, dum ab eis tollitur incompossibilitas simul essendi in eodem loco.

dem corpore multa sumi possunt, quę diuersorum corporum rationem habent, vt sumendo in eo duas manus, duos pedes, caput, & similia, hæc autem esse simul in eodem loco patet.

Quantitas duplex. Pro enodatione huius dubij. Primo sciendum est, quod corpus dupliciter cōsiderari potest. Primo pro trina dimensione quantitatis molis, & sic consideratur à Mathematico. Secundo pro superficie ambiente, & continente corpus locatum, & sic consideratur à Physico.

Superficies duplex. Secundo adnotandum est, quod superficies ambiens, & mensurans locatum duplex est. Prima dicitur adæquata toti corpori, quia ipsum respicit, & ambit, secundum se totum. Secunda dicitur inadæquata, qua partes mensurantur, & dicuntur esse in loco, non per se, sed per totum, modo de adæquata loquimur.

Esse i eodem loco dupliciter. Tertio sciendum est, quod duo corpora esse in eodem loco stat dupliciter. Primo per penetrationem, & incorporationem, ita vt vnum incorporetur alteri manenti in suo esse, & hoc est impossibile, quia qua ratione duo corpora possent esse in eodem loco, sic & infinita, quia non est maior ratio de duobus, quam de infinitis. Secundo secundum continuationem, vel contiguitatem, prout superficies corpus ambiens, est in superficie ipsam ambiente, & locatum est in sua propria, & immediata superficie.

Duo corpora non possunt esse i eodem loco. Quarto ergo adnotādum venit, quosdam (authore Alexandro in opusculo de mixtione) tenuisse duo corpora in eodem loco naturaliter esse posse, varias experientias afferentes, vt quod ignis per ferrum candens meet, aqua per panem in ea intinctum penetret, aqua per cineres, & nummi per aquam in ciato positam perambulenr. At oppositum docet Arist. hic, & textu 27. & probatur primo. Quia sic duo corpora se penetrarēt, idest eundem locum occuparent, quod est impossibile naturaliter, quoniam cū vna quantitas locum occupat, facit, quod incompossibiliter alia eum occupare possit. Secundo, quia sic infinita corpora possent esse in eodem loco, vt supra. Ideo scito, aliud esse vnam quantitatem aliam intra porros suos, & meatus suos proprios recipere, & aliud est vnā quantitatem, nullo modo alteri cedentem cū ea stare. Primum possibile est, vt experientiæ aduersariorum testantur. At secundum naturaliter impossibile censetur, quia sic sequeretur hanc quantitatem hic esse, & hic non esse, cum duæ illæ quantitates debeant distingui situ, & loco, qua propter quamuis quantitas per se non sit forma actiua, tamen ex consequenti trahit secum quendam modum actiuitatis, scilicet expellere aliam quantitatem, per incompossibilitatem in eodem loco.

Ad argumentum ergo dicitur, quod procedit de his, quæ in loco ponuntur per accidens, & per mensuram sibi inadæquatam, & toti adæquatam. Hinc deducas, substantiam, quantitatem, & alia accidentia in vno locato existētia vnum locum, & vnum vbi tantum sibi vendicare adæquatum, cum hoc quod ratio locandi sit quantitas, & res locata sit substantia, cum suis partibus, & accidentibus, ita vt pars locati, correspondeat parti loci, & totum locatum, toti loco.

QVAESTIO II.

An per absolutam Dei potentiam duo corpora possint esse in eodem loco.

Videtur quod non. Primo. Quia si duo corpora possent esse in eodem loco diuina virtute. Ergo hoc idem poterunt habere duæ partes eiusdem corporis, quia sicut totum se habet ad totum, ita pars ad partem. Sed hoc est falsum, quoniam necesse est, quod in corpore habeant determinatum situm, & positionem, taliter quod caput non stet cum pedibus &c. Ergo duo corpora non possunt esse simul.

Secundo. Quia sic omnes partes, immo totum corpus posset reduci ad locum digiti, & ita pars erit maior toto, quod implicat.

Tertio. Sicut se habent partes successiuæ ad totum successiuum, ita partes permanentes ad totum permanens. Sed duæ partes successiuæ non possunt esse simul, scilicet prior, & posterior. Ergo nec permanentes. Minor est nota. Maior probatur, quia vtrumque habet extensionem.

In hac difficultate duas inuenio opiniones.

tiones. Prima est negatiua, scilicet non posse nec etiam per diuinam potentiam duo corpora esse simul, in eodem loco. Hanc probabilem censent Durandus in 4. distin. 44. quæst. 6. & Scotus distin. 49. quæst. 16. ad secundum, dum dicit, impli care duo corpora locum occupantia esse in eodem loco, non vero si vnum illorum à loco absoluatur, quoniam penetratio corporum implicat contradictionem.

Opiniones. Secunda est affirmatiua, scilicet hoc fieri posse per absolutam Dei potentiam, quam defendunt S Doctor 3. parte, q. 54. art. 1. in quarto dist. 43. quæst. 2. art. 2. q. 3. ad 2. & 4. & super Boetium de Trini. quæst. de causarum pluralitate quæst. 5. D. Bonauentura in. 4. di. 49. quæst. 9. Suarez. 3. parte, quæst. 54. art. 4. disput. 46. sectione 5. Ruuio hic, quam etiam amplexati sunt apud collegium Conimbr. Leo magnus, Cirillus, Gregorius, Esijchius, Damascenus, Augustinus, Iustinus, & alij Patres.

Quantitas duo habet. Secundo ergo notandum venit, quod in corpore quanto duo sunt pensanda. Primum, est natura quantitatis, quæ stat in extendere partes secundum magnitudinem. Secundum est radix, & ratio huius extensionis. Nam quantitas bifariam considerari potest. Primo vt est actu extensa, & vt partes in corpore in actu distinguit, & facit quod quantitas in actu, non admittat secum aliam quantitatem in actu, sed eam excludat, per actum incompossibilitatis. Secundo vt radicaliter, & aptitudinaliter habet, quod possit extendi, partes distinguere, aliam quantitatem ab eodem loco excludere, & incompossibilitatem cum alia quantitate constituere. Si primo modo consideretur, implicat duo corpora esse simul, quia sic fierent vnum corpus, & incompossibile in actu, fieret compossibile in actu, simul, & semel. Si vero secundo mo do consideretur, hoc est possibile, quia Deus potest suspendere actum incompossibilitatis, ne in eo casu quantitas illum obtineat, sicut potest suspendere inhærentiam naturalem ab accidente, vt patet in Sacramento altaris. Dum ergo duo corpora se penetrant, Deus ab eis suspendit actum incompossibilitatis, quã habent vt sunt impenetrabilia in actu, relinquendo solum vt retineant impenetrabilitatem in aptitudine. Hoc enim potest facere Deus, quia vna quantitas aliam expellit per actionem realem; cum autem omnis actio realis indigeat Dei concursu ad producendum suum effectum, suspendendo Deus suum concursum, hoc operatur, quod illa duo corpora se compatiuntur in eodem loco, & vnum aliud non expellit.

Tertio ergo loco ponitur hæc conclusio. Per diuinam Dei potentiam duo corpora possunt esse simul in eodem loco. *Conclusio probatur.* Probatur primo ex Sacris litteris, in quibus aperte legimus, Christum ex vtero virginali clauso processisse, & clauso sepulchro resurrexisse, & ianuis clausis ad discipulos ingressum fuisse, & ad dexteram Patris ascendendo cœlos penetrasse, secũdum illud D. Pauli, ad Hebreos 4. Habentes ergo Pontificem, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei. Secundo probatur. Quoniam Christus Dominus noster simul est cum speciebus panis, & vini in Sacramento altaris. Dicere autem esse ibi corpus Christi secundum substãtiam, & non secundum quantitatem, vt annuit Durandus, error est, quia ibi est pro vt in cęlo reperitur, secundum omnia sua membra.

Ad primum ergo dicitur, quod sicut per absolutam Dei potentiã posset mons ingens per foramen acus trãsire, si Deus suspenderet ab eius quantitate incompossibilitatem actualem alterius quantitatis, ita possibile est per absolutam Dei potentiam, suspensa hac incompossibilitate, quod vna pars stet simul cum alia, & omnes in loco vnius, & per hoc patet ad secundum. *Argumenta soluuntur.*

Ad tertinm similiter dicitur, quod duę partes successiuæ in actu, & formaliter non possunt esse simul, sed bene si a sua formalitate, & incompossibilitate separarentur, sicut facit Deus a duobus corporibus. Vel dicas secundo, quod partes continuæ supponuntur fuisse, ad preteritum autem non est potentia, sed solum ad futurum, vt diximus de penetratione corporum, dum ab eis tollitur incompossibilitas simul essendi in eodem loco.

QVÆSTIO III.

An idem numero corpus possit simul esse in pluribus locis per diuinam potentiam.

Videtur quod sic. Primo Duo corpora per diuinam virtutem possunt esse simul in eodem loco. Ergo & vnum corpus in duobus locis. Probatur sequela. Quia sicut corpus sibi vendicat proprium locum, ita multa corpora propria loca.

Secundo. Mirabilius est quod corpus Christi sit in cęlo, & in hostia, simul, quã quod vnum corpus sit in duobus locis. At primum est verum. Ergo & secundum. Maior probatur. Quia corpus Christi in hostia nõ est modo naturali, vnum corpus vero in duobus locis esset vno modo naturali.

Tertio. Porrigat Christus, in hostia existens, manum extra eam, tunc circũscriberetur loco, sicut sit in cęlo, & sic erit in duobus locis circumscriptiue.

Quarto. Diuus Antoninus secũda parte, tit. 10. narrat D. Ambrosium Mediolani diuinis assistentem, eodem tempore Turronæ exequijs Diui Martini interfuisse.

Quinto. Extensio in ordine ad locum non pertinet ad essentiam quantitatis, sed est ei accidentalis. Ergo si Christus in duabus hostijs potest habere duas præsentias simplices, poterit etiam habere duas locales.

Sexto. Si implicaret idem corpus esse in duobus locis, esset, quia corpus coarctatur a superficie illud ambiente. Sed hoc est falsum, cum Christus circumscriptiue sit in cęlo, & tamen etiam sit extra illud in multis hostijs.

Opiniones. Circa hanc difficultatem duas inuenio opiniones. Prima est affirmatiua, scilicet quod & si naturaliter implicet vnum corpus esse in duobus locis, non tamen hoc implicat in ordine ad diuinam potẽtiam. Ita docet Scotus in 4. dist. 10. q. 2. Alensis 4. p. q. 11. art. 1. & q. 41. membr. 7. Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 3. & 4. Et Suarez cum pluribus alijs disp. 48. sec. 4. to. 2. in 3. p.

Secunda est negatiua, scilicet hoc implicare, quam docet S. Doctor in 4. d. 10. q. 1. art. 1. & dist. 4. q. 2. art. 2. quæst. 3. ad 4. & 3. p. q. 75. artic. 1. ad 3. D. Bonauentura, in 4. d. 44. art. de dote subtilitatis, quęst. 1. ad 5. Ægidius quodlibeto primo, quęst. 1. & quodli. 2. quæst. 17. & Theoremate. 3. de Eucharestia. Capreolus in 4. distin. 10. quæst. 1. artic. 3. & Ferrariensis. 4. contra gentes cap. 68.

Secundo adnotandum venit. Quod aliud est loqui de re dũ actu est, & aliud est loqui de ea, dum sub aptitudine sistit. Nam dum res est, necesse est eam esse, & non potest non esse. Dum vero sub aptitudine manet potest ab ea actus separari, & sic in alio statu poni. Quare diximus Deum posse facere vt duo corpora simul sint, in eodem loco suspendendo ab eis actum incompossibilitatis, negamus vero (secundum modum nostrum Philosophandi) Deum posse facere, quod cum res est hic, simul, & semel sit hic, & alibi. *Res dũ actu est necesse est eam esse.*

Tertio notandum est ergo, quod cum res in actu est, prout in actu est, secundum illum modum formalem non potest simul esse sub diuerso modo, vel ratione formali, & si possit esse secundum aliam rationem sub alio modo, verbi gratia, potest Deus facere, quod Christus sit in cęlo tanquam in loco, & in Sacramento altaris tanquam in Sacramento. Sed quod sit in cęlo tanquam in loco, & in infinitis hostijs, si darentur, (quod enim de duobus dicitur, de infinitis, verificari potest, per Aristotelem vt supra) hoc est quod mens non capit. Et ita potest esse quod per diuinam potentiam quis Mediolani existat secundum substantiam, & Turronæ secundum apparentiam, vel corpus assumptum (vt de D. Ambrosio legitur.) Sed quod eodem modo quo in vno loco corpus existit circumscriptiue, & adæquate, eo etiam tempore in alio loco distanti circumscriptiue, & adæquate sit, hoc est, quod a Thomistis merito negatur. *Necessario.*

Quarto ergo loco pono hanc conclusionem. Per absolutam Dei potentiam non potest idem corpus esse simul in duobus locis, adæquatis. Probatur primo Omne quod est in loco, vel est in eo circumscriptiue, vel diffinitiue. Sed nullo horum modorum vnum corpus potest esse simul in pluribus locis. Ergo. Probatur *Conclusio probatur.*

batur minor. Non inquam circumscriptiue, quia locus ambit, circumdat, & comprehendit locatum, ita vt extra illum illud esse non sinat. Non diffinitiue, quia illud tale, si hic habet præsentiam, alibi eam habere non potest simul, & semel. Respondent aduersarij primo. Quod locatum naturaliter quidem est in vno loco, sed per diuinam potentiam in pluribus. Secundo dicunt, quod esse in loco circumscriptiue non est comprehendi a loco, ita vt extra illum corpus locatum esse non possit, sed est continere locatũ, ita vt locatum non sit absque loco.

Sed hæ responsiones voluntariæ sunt. Prima quidem, quia hoc est quod quæritur, quomodo per Dei potentiam vnum corpus possit esse in duobus locis, stante quod vnus locus adæquate correspondeat locato, & econtra conuertibiliter. Secunda nihil dicit, quia locus non dicitur continere locatum communi continentia, sed adæquate, & comprehensiue, ita vt sibi correspondeant conuertibiliter. Secundo probatur conclusio. Si vnũ corpus posset esse in pluribus locis, fieri posset, quod contradictoria prædicata possint verificari de eodem, verbi gratia quod hoc corpus existens Romæ, & Venetijs, Venetijs infirmaretur, & Romæ sanaretur, Venetijs occideretur, & Romæ mederetur, in vno loco excæcaretur, & in alio non. Respondent aduersarij multipliciter. Et primo Gabriel in 4. dist. 10. q. 1. artic. 2. & lect. 46. super canonem missæ. Marsilius in 4. q. 7. artic. 3. hoc esse impossibile naturaliter, non vero supernaturaliter. Sed hæc responsio fuga est, quia cum hoc corpus sit vnum corpus numero, & independenter a loco, quæ ei conueniunt ab intrinseco, nõ debent diuersificari ab extrinseco scilicet a loco. At potest esse quod illud corpus secundum se Romæ occidatur, feriatur, dealbetur, & Venetijs non. Ergo poterunt verificari de eodem contradictoria, scilicet occidi, & non occidi, dealbari, & non dealbari, & esse, & annihilari, per diuinam potentiam. Nec valet dicere, quod hęc contradictoria non sunt pro eodem loco, quia esse, & non esse, hoc modo se habere, & hoc modo non se habere, ab intrinseco non dependent à loco.

Tertio. Admittunt aduersarij hoc quidem implicare, quod Petrus modo Venetijs sit, & in hocmet instanti Romæ annihiletur. Sed eadem est ratio (vt bene notauit Antonius Ruuio) quod homo in vno loco viuat, & sit, & in alio non, cum hæc contradicant, scilicet esse, & non esse. Alij igitur cum eodem Ruuio dicunt, quod intrinseca contraria non possunt eidem conuenire in duobus locis, extrinseca vtique, idest ea quæ dependent ex diuersa positione locorum. Sed nec hoc subsistit. Primo. Quia si idẽ corpus esset in duobus locis, ordinem haberet ad diuersa corruptiua, & præseruatiua, intrinseca, & extrinseca, & ideo in vno loco posset occidi, vel veneno interimi, & in alio non. Secundo. Quia implicat idem corpus in eodem instanti esse sub cõtrarijs, modo posset esse quod Petrus Romæ cubaret, & Venetijs non, sed curreret.

Ad primum ergo dictum est, magnum esse discrimen, quia a duobus corporibus tunc subtrahitur incompossibilitas actualis, localis. At vni corpori in vno loco existenti adæquate, non datur tunc indifferentia, ad hoc vt simul possit esse in pluribus locis. *Argumenta soluuntur.*

Ad secundum similiter dictũ est, quod probat alium, & alium modum essendi in, & non eundem. Et per hoc patet ad tertium.

Ad quartum pariter dictum est.

Ad quintum negatur antecedens, quia non datur quantitas in actu sine extensione, si habeat modum quantitatis, & non induat modum substantiæ.

Ad sextum diximus, non implicare cõtradictionem esse in cęlo circumscriptiue, & alio modo in alia re, vt est Christus in hostia tanquam in Sacramento. At bene implicat contradictionem, vnũ, & idem corpus simul, & semel circumscriptiue adæquate esse in pluribus locis.

LECTIO V.

Quoniam autem aliud quidem secundum se, &c. text. 14.

AT textu 14. vsque ad 23. duo principaliter tradidit Philosophus. Primum est, quòd antiqui aliqui dixerunt locum esse materiam, vel formam. Ad *Opiniones antiquorum de loco.*

T 2 hoc

hoc autem vt explicet hanc opinionem, tradit, quod sicut eius quoddam dicitur per se, & quoddam per accidens, ita etiá quædam dicuntur in loco esse per se, & quædam per accidens, quia duplex est locus. Primus communis pluribus, vt cęlum, ciuitas, & domus, quæ pluribus conueniunt. Secundus dicitur proprius, idest vni tantum personæ, vel rei attributus. Esse ergo in loco communi dicitur esse in loco per accidens, nam dicor esse in cęlo, quia superficies, quæ me modo Venetijs ambit, in cęlo est. At dicor esse in hac superficie quæ me modo continet, & terminat Venetijs, tanquam in proprio loco. Si ergo locus proprius continet, & determinat. Ergo deducitur, quod sit forma, quia forma est illa quæ continet, & determinat.

Subdit Opinionem Platonis, dicentis locum esse materiam. Argumentabatur autem sic Plato. Locus est quædam dimensio. Sed dimensio, & materia idem sunt. Ergo locus erit materia. Addit autem Philosophus, Platonem in scriptis tenuisse locum esse materiam, quia recipiebat formam, sed in his quæ oretenus tradidit, affirmauit esse paruum, & magnum.

Locus neque est materia, neq. forma.

Secundo ergo loco principali ponit hanc conclusionem Philosophus, quam quinque rationibus probat, scilicet. Locus neque est materia, neque forma. Prius autem dicit, quod cognoscere quid sit locus difficile est, quia difficilis est speculatio materiæ, & formæ, quoniam vnũ illorum non potest cognosci absque alio. Probat ergo conclusionem primo sic. Materia, & forma non possunt separari sine corruptione rei, cuius dicuntur materia, vel forma. Sed locus separatur a locato absque eius corruptione, vt patet in vase, in quo prius erat aqua, a quo si fluat aqua, subingreditur aer, vase manente incorrupto.

Secundo. Materia, & forma non sunt extra rem, cuius dicuntur materia, & forma. Sed locus est extra locatum, cuius dicitur locus. Ergo, &c.

Tertio hoc probat specialiter contra Platonem, ponentem ideas separatas a materia, & locum esse materiam. Nam sic sequitur, quod numeri, & magnum, & paruum sint in materia. Probatur. Participans est in re participata. Si igitur ideæ ab hs participantur. Ergo sunt in illis.

Quarto. Res mouentur ad sua loca naturalia. Sed non mouentur ad materiam, & formam, cum hæc habeant. Ergo, &c.

Quinto. Locus corrumpitur per recessum rei locatæ. Sed materia, & forma non corrumpuntur per recessum rei locatæ ab vno loco. Ergo materia, & forma non sunt locus.

Loco cõuenit determinare extrinsece.

Circa supradicta autem primò notandum venit, antiquos propterea dixisse locum esse formam, quia forma determinat, coarctat, & finit, sicut facit forma. Sed sciendum quod determinare &c. stat dupliciter. Primo intrinsece, & essentialiter, determinando potentiam materiæ, & rem constituendo in tali esse. Secundo extrinsece, & accidentaliter, idest quo ad extrinseca, & accidentalia. Primo modo conuenit determinare formæ, & secundo modo loco, vnde ratio antiquorum laborabat in æquiuoco. Vel dicendum, quod loco non conuenit determinare proprie, quia sic conuenit formæ, sed habet determinare improprie, & similitudinarie, quia locatum dicitur á loco.

Opinio Platonis interpretatur.

Secundo adnotandum, quod dupliciter possunt interpretari verba Platonis, dicentis locum esse materiam. Primo, vt voluerit locum esse materiam proprie, & conuertibiliter, & hoc non video in Platone, nec potest esse verum. Secundo similitudinarie, quia sicut locus recipit locata, ita materia recipit formas, vnde vocatur earum receptaculum. Consuetum autem fuit apud antiquos vti figuratis locutionibus, vel quia ex notioribus nobis procedebant, vel quia rei cognitionem imperfectam, & quo ad quædam generalia habebant, quamobrem merito ab Arist. reprehenduntur, quia propria cognitio rei non pendet á Metaphoris, & similitudinibus.

Cognitio materię, & formæ difficilis est.

Tertio animaduertendum venit, Philosophum dixisse speculationem materiæ, & formæ esse difficilem propter tria. Primum, quia materia, & forma sunt principia, & causæ rerum naturalium, horum autem altissima, idest difficilis est cognitio. Secundum, quia forma saltem intellectiua secundum rem separatur à materia, materia autem minimum habet

de actu,

de actu, qui est principium cognitionis, & ideo istorum cognitio redditur difficilis. Tertium est, quia hæc simul cognoscuntur, difficilior autem consurgit cognitio duorum simul, quam vnius, cæteris paribus.

Quarto duo collige. Primum, quod Philosophus hucusque disputatiue processit, in sequentibus autem procedet diffinitiue. Secundum est, quod difficilis est cognitio loci, quo ad quid est, non vero quo ad an est, quod & dicimus de materia, & forma.

DVBIA.

Haec autem, quæ dicta sunt in superioribus, difficultate non carent.

Primum ergo dubium erit circa illud, quod dixit Philosophus locum esse de numero causarum. Hæc enim consequentia mala est. Si locus est. Ergo erit de numero causarum, non enim omne ens, est causa. Ad hoc dicitur, quod talis consequentia non est Philosophi, sed antiquorum, qui posuerunt locum esse causam. Secundo dicitur, quod sumendo locum non Mathematice, sed naturaliter, erit causa saltem modaliter, quia habet modum formæ determinantis. Vel dicendum tertio, quod optima est consequentia Philosophi, si colligatur cum alijs rationibus, sic enim conficitur argumentum. Aut locus est corpus, aut est quid indiuisibile, aut est elementum, aut est ex elementis quasi effectus, aut est de genere causarum. Sed nullo horum potest esse vt arguebant. Ergo non datur locus.

Secūdum dubium accidit circa id quod Philosophus dixit, scilicet cognitionem materiæ, & formæ esse difficilem, quia vnum horum non potest cognosci sine alio, oppositū enim dixit in 8. Methaphysicæ text. 3. dum affirmauit formam esse separabilem cognitione. Ad hoc dicitur, quod materia, & forma duobus modus spectari possunt. Primo in vniuersali, pro materia, & forma vt sic. Secundo in speciali, pro tali materia, & tali forma. Primo modo sunt inseparabiles, quia dicunt ordinem ad inuicem. Secundo modo separantur cognitione, quia verbi gratia forma Mathematica secundum rationem separatur a materia naturali, non tamen ab intelligibili, & hoc est quod voluit asserere Aristoteles, in 8. Methaph. Vel secundo dicendum, quod forma potest duobus modis considerari. Primo sub ratione independentiæ, & sic potest separari à materia, quia ab ea non dependet, sed e contra materia dependet à forma, & ideo non cognoscitur nisi per Analogiam ad formam, nam forma vt forma est actus, & materia potentia de se, actus autem vt actus de se est cognoscibilis, non sic potentia. Secundo modo possunt considerari formaliter, & relatiue, vt forma est materiæ forma, & materia est forma materiæ, & sic vnum non potest cognosci sine alio.

LECTIO VI.

Post hæc autem accipiendum est quot modis &c. text. 23.

Post quam Philosophus egit de loco secundum dicta antiquorum hic incipit tractare da vera natura loci. A textu igitur 23. vsque ad 35. quinque dicit.

Primum est, quod octo modis aliquid dicitur esse in alio. Primo sicut pars in toto, vt digitus in manu. Secundo sicut totum in partibus. Tertio sicut genus in speciebus, & omne superius in inferioribus. Quarto sicut species in genere, & inferius in superiori. Quinto sicut sanitas in adæquatione humorum. Sexto sicut recta in re gente. Septimo sicut res sunt in optimo, & fine. Octauo sicut locatum est in loco. *Esse aliquid in alio octu pliciter.*

Secundo loco mouet dubium. An idē possit esse in seipso. Et respondet negatiue, scilicet non posse esse in seipso perse, sed bene per accidens, pro vt partes dicuntur esse in toto, v.g. quia in amphora est vinum, ita vt dicatur vini amphora, idcirco vini amphora esse in seipsa perhibetur, non quidem primo, sed ratione partium.

Tertio soluit rationem Zenonis arguentis, quòd si locus datur, locus erit in loco. Respondet enim, quòd locus non erit in loco octauo modo, vel sicut accidens est in subiecto, vel vt sanitas est in calidis, & frigidis, quia locus est vltima superficies corporis continentis, & ideo habebit modum essendi in alio, sicut accidens

cidens est in subiecto. Soluit etiam rationes tenentium locum esse materiam, vel formam, de quibus supradictum est.

Quarto loco principali apponit quasdam responsiones, ex quibus incipit determinare de loco. Prima est, quod locus continet locatum, non tamen est aliquid locati, & sic excludit quod locus sit forma, quia forma est aliquid rei cuius dicitur esse forma. Secunda est, quod locus est æqualis locato, non maior, nec minor. Tertia est, quod locus nunquam deficit locato in specie, & si ei deficiat in numero. Quarta est, quod in omni loco reperiuntur quædam differentiæ locales, scilicet sursum, deorsum, &c. ad quas naturaliter mouentur res naturales.

Quinto loco tradit obseruanda pro assignanda bona diffinitione loci, & dicit, quod ex motu deuenimus in cognitionem loci, & quod ea quæ mouentur, quædam mouentur per se, & quædam per accidens, & omnia clara sunt in textu.

Locus nihil est locati intrinsece. Circa supradicta primo adnotandum venit circa illam propositionem. Locus nihil est locati, quod duobus modis potest intelligi. Primo, vt nihil omnino sit locati, & hoc est falsum, quia constituit, trahit, & perficit locatum, & est superficies vltima corporis continentis. Secundo modo intelligi potest, vt nihil dicatur locati intrinsece, sicut materia, & forma dicuntur aliquid esse corporis, ex ipsis constituti, & sic intelligitur, quia locus non facit locatum, sed ipsum supponit esse.

Est inseparabilis a locato secundum speciem. Secundo notandum est, quod locus sit separabilis, vel inseparabilis à locato, bifariam sumi potest. Primo secundum numerum, & sic qualibet res separabilis est à loco, idest ab hoc, vel illo loco. Secundo secundum speciem, idest à loco, & sic intelligitur, quia quamuis locatum separetur ab hoc, vel illo loco, tamen semper erit in aliquo loco.

Qualibet res determinat sibi sursum & deorsum. Tertio adnotandum est etiam circa illam propositionem. Qualibet res determinat sibi sursum, & deorsum, quod bifariam intelligi potest. Primo in rebus naturalibus, & sic est verum, quia leuia sursum tendunt, & grauia deorsum descendunt &c. Secundo in rebus Mathematice consideratis, & secundum rationem abstractis, & sic eadem res abstrahit à sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum ante, & retro.

Diffinitionis bonæ conditiones. Quarto adnotandum est, quod à Philoso. in textu quatuor assignantur conditiones bonæ diffinitionis. Prima est, quod explicet naturam diffiniti, quia ad hoc datur. Secunda est, quod tollat omnes difficultates, circa naturam rei diffinitæ emergentes, quia diffinitio soluit omnes difficultates. Sed hoc dupliciter stare potest. Primo formaliter, & sic est falsum. Secundo virtualiter, & sic est verum, quia ex assignatis particulis, & bene intellectis soluit omnes nodos difficultatum. Tertia est, quod innotescere faciat proprietates rei diffinitæ, quia est medium ad cognoscendam inhærentiam passionum in subiecto. Sed hoc intellige, quod non faciet scire omnes, & quascũq. proprietates, sed solum essentiales. Quarta est, quod ex notitia eius pateat causa discordantiæ. Hæc autem omnia dicit esse assignanda in diffinitione loci.

Ex motu cognoscimus locum. Quinto notandum est, quod ex motu deueniamus in cognitionem loci, hoc est verum, non loquendo de cognitione à priori, quia locus supponitur prior motu, vnde verum est de cognitione à posteriori, per notiora nobis, nam quia vidimus quæ mouentur mutare locum, & modo hic esse, & postea a libi, sic deuenimus in cognitionem loci.

DVBIA.

Contra supradicta autem sunt duo dubia. Primum est, quia Philos. cõcedit hanc propositionem. Amphora vini, est in amphora vini ratione partium. hoc autem non videtur concedendum, quia amphora est locus vini, locus autem non est in loco. Respondetur tamen, quod hic variatur suppositio, quia dum dicimus, vinum esse in amphoram intelligimus vt in loco, dum vero asserimus amphoram esse in vino, non vt contentum à vino, sed vt continens vinum.

Secundum dubium est. An locus æqualis sit locato, vt dicitur in textu. Videtur enim hoc esse falsum. Primo, quia locatum cum sit corpus habet tres dimensiones, locus vero cum sit superficies, duas solum habet. Ergo non sunt æquales. Secundo.

cundo. Continens est maius contento, locus est continens, & locatum contentum. Ergo locus non est æqualis contento.

Locus duplex cõmunis, & proprius. Pro solutione huius dubij considerandum venit. Primo quod duplex est locus, scilicet communis, qui plura continet, & proprius, qui tantum vnum ambit, & hunc dicimus esse æqualem locato.

Aequalitas duplex. Secundo adnotandum est cum Alberto Magno, quod duplex est æqualitas. Prima dicitur dimensiua, idest secundum dimensiones. Secunda dicitur continentiæ, inquantum vnum non plus continet quam aliud, & hoc secundo modo locus dicitur æqualis locato, quia non continet nisi locatum. Non autem æquales dicuntur primo modo, vt primum argumentum probat.

In superficie duo sunt cõsiderãda. Tertio adnotandum est, quod duæ superficies sunt considerandæ in loco, & locato. Prima dicitur concaua, idest circumdans corpus. Secunda dicitur conuexa, quæ terminatur ad concauam in indiuisibili. Cum igitur duo indiuisibilia se tangentia non faciant inæqualitatem, nec maioritatem, vel minoritatem, hinc dicimus locum, & locatum esse æquales.

Quarto notandum venit. Quod etiam aliqualiter secundum dimensiones locus potest dici æqualis locato, quia vnum alteri esse æquale secundum dimensiones dupliciter stat. Primo essentialiter, & adæquate, & sic non sunt æqualia, nisi illa, quæ habent easdem dimensiones, & omnes. Secundo virtualiter, & æquiualenter, & hoc modo locus virtualiter, & æquiualenter dicitur habere profunditatem, sicut eam habet corpus locatum, quia illud conseruat, & circumscribit, per omnes dimensiones, & per hæc patet ad argumenta.

LECTIO VII.

Ita ergo manifestum ex his. tex. 35.

IN his textibus immoratur Philos. in explicatione diffinitionis loci. Ait ergo ex dictis esse manifestum, quid sit locus. Nam vel erit materia, vel forma, vel spacium consistens in medio corporum, vel erit extremum corporis continentis. Sed locus neque est materia, nec forma, nec spatium. Ergo erit extremum corporis continentis. Probat minorem. Primo quod non sit forma, quia forma continet intrinsece, & locus extrinsece. Secundo quod non sit spacium, & hoc dupliciter. Primo, quia si tale spacium trinam dimensionem habens daretur in natura, essent infinita loca, quia corpus locatum infinite diuidi potest, & sic haberet infinita loca. Secundo, quia sic sequeretur locum esse in loco, locumq. mutare, & plura simul loca esse. Tertio probat quod non sit materia. Primo, quia materia recipit formam, vt pars compositi, non sic locus. Secundo, quia materia non potest separari à composito sine corruptione, locus vero à locato vtiq. Reliquum ergo erit quod locus sit superficies corporis continentis, immobilis primo. Habeas autem hanc rationem non esse demonstratiuam, quia antiqui potuissent dicere, locum esse aliquid aliud ab enumeratis, & ideo currit tantum contra famosiores opiniones.

QVAESTIO IV.

Verum recta sit diffinitio loci qua diffinitur. Locus est superficies, corporis continentis, immobilis primo.

VIdetur quod non sit recta. Et primo probatur, quod nõ sit superficies. Nam locus, & superficies sunt diuersæ species quantitatis, per Philosophum in prædicamentis cap. de quantitate. Ergo locus non erit superficies. Probatur, quia vna species non est altera species.

Secundo. Corpora naturalia naturaliter mouentur ad sua loca naturalia, vt ignis sursum, & terra deorsum. Sed nullum corpus naturale naturaliter mouetur ad superficiem, cum non magis moueatur, ad hanc, quam illam. Ergo &c.

Tertio. Si locus esset superficies, vna, & eadem res simul esset in pluribus locis. Sed hoc est inconnueniens. Ergo. Probatur assumptum exemplo arboris, cuius radices sunt in terra, & rami in aere, hęc autem habet diuersas superfities, scilicet aeris, & terræ.

Quarto. Si locus esset superficies, esset species specialissima, quia locus ponitur species specialissima quantitatis. Sed locus non potest esse species specialissima.

Ergo.

Ergo. Probatur minor. Quia locus sub se continet plures species specialissimas loci, idest, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, &c.

Quinto. Sursum, & deorsum sunt per se differentiæ loci. Sed deorsum non potest conuenire superficiei, cum non habeat profunditatem. Ergo &c.

Sexto. Locus est immobilis. Sed superficies est mobilis. Ergo. Probatur minor. Quia turris immota manens mutat diuersas superficies, propter aerem flantē, & cimba in fluuio posita, & immota manens mutat diuersas superficies aquæ fluentis.

Septimo. Immobile non est de consideratione Phil. naturalis. Sed locus est immobilis. Ergo &c. Maior est Aristotelis 2. Physi. & 6. Methaph. Minor est eiusdem hic.

Octauo. De ratione loci est allicere corpora, allecta fouere, & cōseruare. Sed superficies hæc non habet, cum sit quantitas, & quantitas non sit actiua, per Cōmentatorem hic textu 84. Ergo.

Nono. Angelus dum in loco operatur, in eo est. Sed in eo non potest esse per superficiem continentem, cum res immaterialis non possit contineri a materiali.

Decimo Corpus Christi reperitur sub superficie sub qua continentur species panis, & vini. Sed Christus non est sub illa superficie tanquam in loco. Ergo.

Vndecimo. Separet Deus quantitatem ab aqua, in vase constituta, ibi erit, & nō per superficiem, quia superficies circumdat solum quanta.

Opiniones. Pro decisione huius quæstionis ad notandum est, apud antiquos quatuor famosiores fuisse opiniones de loco, vt supradictum est. Nam quidam illum fecerunt materiam, alij formam, & alij spaciū, seu interuallum, & tandem Arist. dixit, locū esse superficiem, & vltimum corporis cōtinentis, immobilis primo, per quam diffinitionem saluamus quodammodo opiniones veterum. Nam, quia locus recipit locatum, dicitur habere rationem materiæ, & quia est vltimum rei locatæ, dicitur habere modum formæ, & etiam spacij, pro quanto in loco successiue succedunt corpora locata. Si autem cupis scire quomodo antiqui diuisi sunt inter se, dū posuerunt locum esse spacium inter latera corporis cōtinentis constitutum, legē Ruuium hic, tractatu de natura loci, quæstione prima.

Secundo adnotandum est, quod apud Aristotelis expositores variæ sunt sentētiæ de natura loci. Quidam enim dixerūt illum esse corpus, tangens vbique locatum. Alij dixerunt eum esse situm, & alij positionem, de quibus opinionibus aliqua dicenda erunt infra.

Locus multis modis sumitur. Tertio ergo accedendo ad veram diffinitionem loci adnotandum est, quod locus multis modis sumitur. Primo enim sumitur communiter pro corpore continēte locatum, quomodolibet, sicut dolium dicitur locus vini, aqua terræ, aer aquæ, & ignis aeris, quia hæc continent. Secundo sumitur pro ratione locatiua, seu locandi, quo pacto dicimus corpus locari per quantitatem, immateriale per operationem, & secundum Auerroem vltima sphera est in loco per centrū. Tertio modo capitur pro subiecto operationis, idest pro eo loco in quo quis operatur, vnde dicimus Angelū esse, vbi operatur. Quarto modo accipitur pro situ, per motū localem acquisito, & sic modo dicor esse Venetijs, & si adiero alium locum, ibi dicat esse. Quinto modo sumitur pro conseruatiuo locati, & sic terra dicitur esse locus arborum, & animalium, & aqua piscium. Sexto modo sumitur pro vltima superficie corporis continentis, immobilitatem habentis, & sic accipitur hic.

Locus est vltimū corporis cōtinentis. Quarto adnotandum est, Aristotelem in textu non ita expresse dixisse locum esse superficiem, sicut dixit eum esse vltimū corporis continentis, & hoc ob duas rationes. Prima est, quia locus est terminus rei locatæ. Secunda est, quia dato qd aer subtraheretur, qui dicitur habere rationem superficiei, & tunc aliquid moueretur de orbe lunæ ad terram, haberet vltimum secundum quod esset in longiori, vel propinquiori distantia ad terram, & tamen tunc non haberet vltimam superficiem, se ambientem.

Et superficies Physice. Quinto adnotandum est, dupliciter posse intelligi locum esse superficiem. Primo sumendo superficiem, prout est quædam mensura quantitatiua, mēsurans locatum solum secundum longitudinem, & latitudinem, adeo vt sint idem identice, & cōuertibiliter, locus, & superficies, & sic

& sic non intelligitur, quia non omnis locus est superficies. Secundo sumendo superficiem pro vltimo termino continentiuo corporis locati, mensurante locatum, & sic hic dicitur superficies, quod est dicere, locum non esset superficiem Mathematice, sed Physice.

Formaliter. Sexto notandum, dissidium esse inter Doctores. An superficies sit locus formaliter, vel materialiter, idem subiectiue. Nam Iandunus hic quæst.4. tenet superficiem non esse locum formaliter, idest vt superficies est, vnde asserit qualitatem actiuam, in superficie existentem, & locati conseruatiuam esse locum formaliter. Sed hæc opinio falsa est. Primo. Quia locus ponitur ab Aristoteles in prædicamento quantitatis, vt locus est. Ergo formaliter non spectabit ad qualitatem actiuam. Secundo. Quia potest esse locus sine qualitate actiua conseruatiua locati, vt patet in aere infecto. Ideo secundo loco Scotus quodlibeto 11. art. 1. affirmauit superficiem non esse genus loci, vel eius rationem formalem, vnde dixit relationem cõtinentiæ esse locũ. Sed hæc opinio etiã refellitur. Primo. Quia proprietates loci scilicet commensurari, & æquari locato, ipsum conseruari, &c. relationi non conueniunt, quoniam ab his abstrahit.

Tertia ergo sententia est S. Doctoris, in secundo dis. 12. q. 1. art. 5. ad 2. Sonci. 5. Meth. q. 40. conclu. 2. & Toleti hic q. 4. scilicet quod superficies dicit rationem formalem loci, & se habet vt genus, quia superficies tripliciter cõsiderari potest. Primo vt dicit extensionem secundum longitudinem, & latitudinem, & sic ponitur secunda species quantitatis continuę. Secundo vt per has dimensiones circũscribit locatum. Tertio vt abstrahit ab ordine ad corpus continens, & cõtentum, & solum dicit quantitatem continuam extensam secundum longitudinem, & latitudinem, & sic ponitur tanquam genus proximum prædicabile de suis speciebus formaliter. Sed dicito, quòd superficies dupliciter considerari potest. Primo in ordine ad corpus, quod ambit, & circũscribit, & sic se habet vt eius forma determinatiua. Scdo vt vltra hoc immobilitatẽ importat, & sic se hẽt vt materiale, q̃a formalitas loci quo ad immobilitatẽ trahitur a polis mundi, vt modo dicemus.

Septimo ergo notandum venit, quod circa immobilitatem loci extat triplex modus dicendi. Primo ergo Auerroes Commento 41. & Iandunus hic 26. dicũt locum esse immobilem propter tres causas. Prima est, quia cum locus sit superficies, & superficies sit accidens, consequẽter non mouebitur per se, quia accidens non mouetur nisi ad motum subiecti. Secunda est, quia si mouetur, non mouetur sicut locatum mouetur. Tertia est, quia non est necesse moueri locum, quando mouetur locatum. Sed hæc sententia non videtur Aristotelica. Primo. Quia dicere locum esse immobilem, quia non mouetur, eo modo quo locatum mouetur, &c. non est facere locum immobilem per se, sed potius per accidens, & secundũ quid. Secundo. Quia hoc non esset proprium loco, quia sic omnia accidentia non mouentur per se, sed si mouentur mouentur per accidens, scilicet quatenus sunt in subiecto mobili. *Est immobilis primo.*

Scotus ergo in secundo dist. 2. q. 6. art. 1. fuit huius sententiæ, quod locus diceretur immobilis secundum æquiualentiam, quia dato, quod circa eandem rem locatã diuersæ superficies varientur, vna tamẽ alteri succedit, & primæ æquiualet. Sed nec hæc opinio subsistit. Primo. Quia nõ obseruat vnitatem numeralem loci, sed solum specificam, quoniam admittit variationem numeralem specierum, Aristoteles autem intelligit locum esse vnũ numeraliter, & sic immobilem. Secundo. Quia idem met Aristoteles dat exemplũ de naui in fluuio posita, circa quam variatur diuersæ superficies aquæ, & tamen dicitur esse immobilis localiter.

Sententia igitur S. Doctoris est. Quod duo sunt consideranda in loco. Primum se habet vt materiale, & tale est superficies, hoc tale corpus locatum ambiens, vt aer continuo circa turrim motus, vel aqua subtus nauim fluens. Secundum se habet vt formale, & hoc est illa distanria quares locata gaudet ad polos mundi, & ad cęlum comparata. Si igitur primo modo locus consideretur, dicitur mobilis, & secundo immobilis, quia & si varientur superficies circa locatum, seruat tamen semper eandem distantiam ad polos mũdi immobiles. Sed contra hanc sententiã cõsurgit Benedictus Pererius, lib. 11. c. 2.

suæ naturalis Philos. & eam oppugnat (vt ipse ait) validissimis argumentis. Primo. Quia sic sequeretur, quod locus formaliter esset ens relatiuum, cum illa distantia non sit nisi quædam relatio, & consequẽter ad locum non esset motus, quia ad relationem non est motus. Secundo. Sic superficies non esset de essentia loci, sed tãtum accideret illi separabiliter. Sed hoc est absurdũ. Ergo. Maior probatur. Quia superficies continuo mouetur, & separatur. Prob. etiam minor. Quia locus diffinitur per suam superficiem, tanquam per suum genus essentiale. Tertio. Aut hic ordo erit subiectiue in cęlo, aut in superficie, idest in aere continente verbi gratia turrim. Non in cęlo, cum cęlum eodem mõ se habeat ad omnia locata. Si in aere, cum varietur aer cum superficie, locus erit mobilis, & non immobilis. Quarto. Quia mirabile est, Aristotelem nullam fecisse mentionem de hac distantia, si ab hac pendet immobilitas loci.

At sentẽtia S. Doctoris immobilis stat, sed antequam eam ab argumentis huius viri defendamus, audiendum primũ est, quid iste senserit. Opinio igitur huius in tribus punctis cõsistit. Primum est, quod solus locus naturalis corporum simplicium, idest elementorum est immobilis, & de hoc solum locutus est Philos. quare ignis semper sursum tẽdit, & terra deorsum. Secundum est, quod quãdoque vsurpamus situm pro loco dicentes ea, quæ sunt in situ esse in loco, sumendo locum generaliter. Tertium est, quod turris circa quam cõtinuo currunt diuersæ superficies dicitur immobilis passiue, quia secundum se non mouetur, actiue tamen non dicitur immobilis propter superficiem mobilem. Sed hæc opinio rudis est, nec Arist. consentanea. Primo. Quia Aristoteles hic diffinit genus loci, vt patet, & non speciem loci, idest locum elementorum, Mirabile enim esset, quod præter misisset hoc tam necessarium, scilicet quid sit locus, & expressisset solum quid sit locus elementorum. Secundo ad quid quæsiuisset quomodo diffinitio loci cõueniat vltimæ sphæræ, si tantum de loco elementorum intellexisset? Secundum punctum etiam falsum est, quia situs respicit partes in loco, & locus dicit continentiam locati, vnde exemplum datum de naui non facit pro situ, sed pro loco, vt est superficies. Tertium non est dignum consideratione, cum manifestum sit Aristotelem loqui de loco vt est superficies, & propterea de eius immobilitate dubitauit.

Ad primum autem Pererij dicendum est, quod locus bifariam considerari potest. Primo pro sola distantia formaliter. Secundo pro distantia fundamentaliter idest pro superficie fundante hanc distantiam, & hoc secundo modo dicimus locum esse immobilem, considerando superficiem prout dicit continentiam locati. Vel secundo dicendum, quod locus dupliciter sumi potest. Primo pro hac superficie, & sic non est immobilis, cum hæc superficies transeat. Secundo sumitur pro loco, vt dicitur locus rei locatæ, & sic ad ipsum est motus, & ipse dicit rem absolutam idest quantitatem, cum respectu distantiæ &c.

Ad secundũ negamus assumptũ, quia quamuis hæc superficies possit separari à loco, non tamen omnis superficies, vnde pro eo tunc, pro quo locatum ambit, necessario dicitur locus.

Ad tertium dicimus, quod talis distantia subiectiue est in re locata, & loco continente non absolute, sed secundum ordinem, quem habet ad polos immobiles cęli. Qui ordo non est æqualiter in cęlo, vt dicit talem distantiam cum re locata.

Ad quartum dicitur: Aristotelem expressisse talem distãtiam textu 37. in fine.

Ad quintum dicimus verum esse, quod locus respectu superficiei trahit, & conseruat locata diuersimode propter diuersum ordinem, quem habet ad cœlũ, quare tantum diuersitatem conspicimus in animantibus sub diuerso climate cęli positis, & de hac re velle dubitare irrationabile est.

Ad primum principale dicitur, quod locus sit superficies, dupliciter considerari potest. Primo in ratione mensuræ adequatæ, & sic dicimus distingui. Secundo in ratione continentis, & ambientis, & ita affirmamus locum continere, & ambire locatum, quia est eius superficies vltima.

Ad secundum dicendum, quod nullum corpus mouetur ad superficiem præcise, sed bene vt dicit talem ordinem, & distantiam

stantiam ad cœlū, ex quo habet virtutē attractiuam, & conseruantiuam locati.

Ad tertium dicimus, quod multæ illæ superficies se habent per modum vnius superficiei, continentis locatum.

Ad quartum dicendum, quod superficies hic sumitur pro vt continet, & non entitatiue, prout dicit vnum ens numero specie, vel genere.

Ad quintum dictum fuit, quod superficies habet profunditatem, non secundū dimensionem, sed secundum continentiā vel æquiualentiam.

Ad sextum, dictum fuit in 7. notabili.

Ad septimum dicitur, quod valet de immobili abstracto à materia secundum rem, & secundum rationem, tale enim est de consideratione Methaphysici, nō vero omne immobile materiale, hoc enim est de consideratione Physici.

Ad octauum dicitur, quod conseruare locatum nō est locus formaliter, & essentialiter, sed est passio eius consecutiue.

Ad nonum dicitur, quod Angelus non dicitur esse in loco circumscriptiue, sed. diffinitiue, vnde non continetur a superficie nisi materialiter, idest vt circumdat locum in quo Angelus operatur, Angelus vero dicitur continere locum formali, & causali continentia, sicut anima sic continet corpus.

Ad decimū dicitur, quod superficies, quæ est locus locatum circumscribit, & diffinit, vt ibi sit, & non alibi. Hoc autem non habet superficies circumdans species corporis Christi, quia non solum est sub hac superficie, sed sub omnibus, etiam infinitis, si infinitæ hostiæ darentur, & hoc simul, & semel.

Ad vndecimum dicendum erit in prima p. q. 52. art. 1. pro nunc autem superficialiter dicitur, quod cum tunc aqua quantitate careat, quæ est ratio locandi quantum, sicut operatio, est ratio locandi a materia separata, ideo erit tantum in loco imaginario. Vel dicendum, quod erit in vase, non præsentialitate completa, sed incompleta, idest præsentialitate ordinis.

LECTIO VIII.

Cui quidem igitur corpori, &c. textu 43.

POstquam Philos. tradidit diffinitionem loci, modo mouet vnum dubiū, scilicet quomodo vltima sphera sit in loco, cum non habeat extra se vltimum terminum, qua difficultate soluta transit ad soluendum difficultates in præcedentibus motas, circa naturam loci.

Primo ergo dicit Philos. quod ex data diffinitione loci elicimus illud corpus, quod extra se habet superficiem circumdantem, & ambientem, illud tale in loco erit. At illud quod hanc superficiem non habet, non erit in loco. Hinc subdit, quod vltima sphera non est in loco secundum totum, sed secundum partes. Hoc autem declarat exemplo aquæ, quæ si non haberet aliud corpus ipsam circumdans, non esset in loco secundum se totam, sed diceretur esse in loco per partes, quia partes aquæ continuo mouerentur, & mutarent locum, & ideo ratione harum posset tota aqua dici esse in loco per partes.

Secundo loco adducit quasdam distinctiones. Prima harum est, quod esse in loco per partes stat dupliciter. Primo in actu, idest per partes diuisas existentes in loco in actu. Secundo in potentia, idest per partes non actu diuisas, sed continuas, & hoc secundo modo asserit coelum, & vltimam spheram esse in loco in potentia, idest per partes, non actu diuisas. Secunda distinctio est, quod quædam sunt in loco in actu, & per se, & quędam per accidens. Primo modo dicuntur esse in loco, quæ se mouendo mutant locum, vel quæ augmentum, vel decrementum sustinent. Quapropter cęlum cum secundum se totum non mutet locum, non dicitur esse in loco per se, sed per partes, quæ diuersa vbi in motu obtinent. Secundo vero modo, illa dicuntur esse in loco, scilicet per accidens, quia id, in quo sunt, dicitur esse in loco, & hoc modo anima dicitur esse in loco, quia corpus in quo est, in loco est; & ita cęlū dicitur esse in loco per partes suas, quia secundum se totum non mutat locum sed per suas partes.

Tertio soluit rationem negantium locum esse &c. Sed de his in annotationibus, & dubijs.

Intētio Arist. Circa supradicta igitur. Primo ad notandum est, litem esse circa intentionem Aristotelis, quam habuit in textu 43.44. & 45. Nam Græci dicunt quod cœlum dupliciter sumi potest. Primo pro vltima sphera, quæ secundum Aristotelem est firmamentum, idest cęlum stellarum fixarum, vel secundum alios est decima sphera, supra christalinum existens, idest primum mobile. Secundo sumitur pro aggregato ex omnibus orbibus simul cōiunctis. Dicunt ergo Aristotelem intellexisse vltimam spheram cum alijs coniunctam esse in loco per partes, quia scilicet inferiores orbes sunt in loco. Albertus vero sentit, Aristotelem voluisse vltimam spheram esse in loco per partes, inquantum constat ex cęlo, elementis, & elementatis, nam istæ partes vniuersi in loco sunt. Sed sententia S. Doctoris est, quod per vltimam spheram, intelligat vltimum cęlum, quod non est in loco per se, sed per partes, & non per partes in actu, vt sequitur ex aliorum opinionibus, sed in potentia, quia secundum se sunt continuæ. Ad hoc enim tendunt distinctiones Philos. & eius verba. Inquit enim in eo enim quod circulariter sunt, continet alia &c. Sed contra hāc expositionem instat Toletus, Aristotelem dicere, quod partes mouentur sursum, & deorsum, hoc autem non potest conuenire partibus orbium, vel cęli. Sed respondetur, quod ly sursum, & deorsum negatiue ponitur, vt sit sensus, quod mouetur circulariter, non mouetur sursum, nec deorsum, & propterea non mutat locum. Remanet ergo solida sententia S. Doctoris, & impugnata aliorū sententia, quia Aristoteles nullam mentionem fecit de hoc aggregato, sed de cęlo, & quia cum vltima sphera, & ipsa sit pars vniuersi, adhuc videndum erat, quomodo hæc pars esset in loco per aliam partem, quod non fecit Philosophus.

Motus localis duplex. Secundo adnotādum est circa textum 45. in quo loco negat Arist. quod circulariter mouetur, moueri secundum locum, quod motus localis dupliciter sumi potest. Primo communiter, pro quocunque quod mouetur in loco. Secundo proprie pro eo quod mouetur in loco, & ad locum, quem non habet, nec secundum totum, nec secundum partes. Primo modo cælum potest dici moueri secundum locum, quia mouetur in loco, sed secundo modo non, quia non mutat locum secundum rem, & secundum totum, sed secundum partes, vnde hic motus non proprie dicitur localis, sed circularis.

Tertio notandum est, Aristotelem in textu 47. incipere soluere rationes oppugnantium veram naturam loci. Reliquit tamen duas insolutas, scilicet, an locus esset elementum aut ex elementis, quia compertum erat nullum horum esse, sed terminum corporis continentis, ita non soluit an locus sit causa, quia ex diffinitione eius, & proprietatibus explicatum remanebat. Respondet ergo primæ rationi, qua obijciebatur, quod si locus datur, erit æqualis locato, & sic deberet augeri, sicut augetur locatum. Respondet inquam non esse inconueniens, quod locus augeatur, quia cum sit superficies aerea de facili cedit, & augetur, & minuitur cum re locata. Secunda erat, quia puncti esset locus. Hoc negat, quia locus non est punctum, sed superficies. Tertia erat, quod duo corpora essent in eodem loco. Hoc quoq. negat, quia superficies non penetrat corpus, sed solum illud circundat. Quarta erat Zenonis, quod locus esset in loco. Hoc pariter negat, quia res locata est in continente, & circundante, & locante. *Soluit rationes antiquorum.*

Quarto animaduertendum venit circa textum 49. quod cum aqua in aerem transmutatur, & aer in ignem, quia tunc imperfectum fit perfectum, ideo hæc transmutatio poterit vocari generatio, quia transit ad esse perfectius, dum vero superius in inferius mutatur, cum sit in minus perfectum, consequenter poterit dici corruptio.

DVBIA.

Sed primo non transis absque dubio, id quod asseruit Aristoteles textu 46. scilicet quod vnum elementum mouetur ad superficiem alterius elementi. Contra enim instatur.

Primo. Nam vnum elementum sic mouetur ad superficiem alterius elementi. Sed terra non mouetur ad superficiem

aquæ,

aquæ, sed ad suum centrum. Ergo.

Secundo. Quælibet res naturaliter quiescit in suo loco. Sed terra non quiescit naturaliter in superficie aquæ, quia si supra eã ponatur, deorsum mouebitur.

Tertio. Locus circumdat per totum locatum. Sed aqua non circumdat per totum terram, quia sic eã cooperiret. Ergo.

Locus dupliciter sumitur. Pro decisione huius dubij sciendum est, quod locus dupliciter sumi potest. Primo pro ratione locandi aliquid in continente, quam rationem appellabimus locum vt quo. Secundo modo sumi potest, pro superficie ambiente, & circumdante locatum, ipsumque ad se allicientem, ac conseruantem. Si locus primo modo sumatur, dicendum venit, omnia in loco poni per centrum mũdi, quia hoc est causa, & ratio quod terra locetur in aqua, aqua in aere, & aer in igne. Si vero secundo modo sumatur, sic locus terræ naturalis est aqua, aquæ aer, & ignis aeris.

Locus cõseruat locatum. Secundo considerandum venit, quod talis superficies, bifariam considerari potest. Primo vt superficies tantum præcise. Secundo vt est in tali distantia ad altitudinem poli, sub tali climate &c. quibus rationibus locus dicitur conseruatiuus rei locatæ, & hoc secundo modo capitur.

Tertio adnotandum est, quod quædam elementa sunt grauia, vt terra, & etiam aqua, quæ est terræ propinqua, & quædam sunt leuia, idest aer, & ignis, quæ magis accedunt ad superiora. In grauibus hoc operatur ratio locatiua, quod facit ea dici esse in loco per centrum, magis quam per superficiem, quia per centrum quiescunt, & conseruantur ab exteriori superficie. At in leuibus alia est ratio, nam hæc magis dicuntur esse in loco per superficiem, quia conseruantur, & quiescunt, dum superius tendunt, non ad centrum mundi.

Ad primum, & secundum iam dictum est, quod terra, & aqua vt grauia primo mouentur ad centrum. Sed & terra secundum totum sumpta potest dici moueri ad superficiem aquæ, non motu locali, sed alterationis, idest conseruationis, quia terra non esset fructifera, nisi circumdaretur, & irrigaretur aquis.

Ad tertium dicimus ad minorem, quod aqua terram circumdat, at quod terram non cooperiat non est ob carentiam potentiæ aquæ, sed ob voluntatem illius, qui dixit. Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida, quod factum est ad conseruandam vitam animalium, se mouentium super terram.

Secundo dubitatur circa textum 48. in quo dicitur, quod locus non destruit rem locatam. Hoc enim falsum esse conspicitur, cum ignis sit locus aeris, ignis autem sit calidus, & aer humidus, & cõsequenter se tangendo per contrarias qualitates necesse est vt se alterent, & corrumpant.

Ad hoc dubium breuiter respondetur, quod elementa bifariam considerari possunt. Primo vt opponuntur in qualitate, vt aqua ratione humiditatis opponitur terræ, ratione siccitatis. Secundo, prout secundum superficies, secundum quas se tangunt similia sunt. Primo modo se alterant, & patiuntur ad inuicem. Secundo autem modo nequaquam, quia simile non patitur à simili, in eo in quo est sibi simile. Hoc autem habet secundum S. Doctorem ex influxu cæli, faciente quod vnum elementum sit locus alterius secundum suas formas substantiales, sed per qualitates suas agentes, quoniam ex influxu corporis cælestis habent, quod vna secundum id in quo cum altera conuenit, non se alterent, & si in tantum, non in totum, & per hoc patet ad argumentum.

LECTIO IX.

QVAESTIO V.

Vtrum vltima sphæra sit in loco per partes.

Videtur quod sic. Primo. Nam eo modo aliquid dicitur esse in loco, quo modo habet esse. Sed partes cæli, & partes omnes continui non habent esse nisi per esse totius. Ergo nec sunt in loco nisi per totum.

Secundo. Eo modo partes sunt in loco, quomodo mouentur. Sed partes non mouentur nisi per accidens, ad motum totius. Ergo similiter non sunt in loco nisi per esse totius.

Tertio. Locus non mouetur necessario

ad

ad motum rei motæ. Sed ad motū vnius partis spheræ omnes mouentur. Ergo vna non est in altera, sicut in loco.

Quarto. Philos. textu 32. inquit. Cœlum maxime esse in loco putamus, quia semper est in motu. Sed illud quod maxime est in loco, est in loco per totum. Ergo cęlum est in loco per totum.

Quinto. Si vltima sphera esset in loco per partes (vt dicit S.Tho.) esset tantum in loco in potentia, vt explicatur in textu. Sed esse in loco in potentia non est absolute esse in loco. Ergo cęlum absolute non est in loco.

Sexto. Totum nihil est præter partes. Ergo si partes cęli sunt per se in loco. Ergo & totum cęlum.

Septimo. Quod mouetur in loco in actu, est in loco in actu, & non in potentia. Sed cęlum mouetur in loco in actu. Ergo erit in actu. Ergo non per partes. Probatur sequela. Quia esse in loco per partes, est esse in loco in potentia.

Octauo. Partes cęli quæ in potentia dicuntur esse in loco nunquam diuidentur. Sed frustra est illa potentia quæ non reducitur ad actum. Igitur vane dicimus cęlum esse in loco per partes.

Nono. Aut possibile est quod partes vltimæ spheræ sint in loco, aut hoc est impossibile. Non primum, cum corpus cęleste sit incorruptibile, & non possit diuidi, si secundum. Ergo non erunt in loco in potentia.

Decimo. Nec valet dicere, quod vltima sphera sit in loco, quia mouetur circa septimam quæ est in loco. Nam hæc fuit opinio Auempacis, dicentis septimam spheram esse locum octauæ, quæ opinio reprobatur à S. Doctore.

Vndecimo. Locus continet, & non cōtinetur. Sed octaua sphera continet septimam. Ergo non est in loco per eam.

Duodecimo. D. Thomas in opusculo de de natura loci declinat à Themistio, & consentit cum Commentatore ponente vltimam spheram esse in loco per centrum. Ergo non erit in loco per partes.

Tertiodecimo. Si cęlum esset in loco per partes, sequeretur quod terra non esset in loco. Probatur, sic enim octaua sphera est in septima, septima in sexta, sexta in quinta, quinta in quarta, quarta in tertia, tertia in secunda, secunda in prima, Prima in igne, ignis in aere, aer in aqua, aqua in terra. Ergo terra non in loco erit.

Pro enucleatione huius quęstionis. Primo præmittemus aliquas adnotationes: Secundo loco probabimus nostram conclusionem, & Tertio diluemus argumenta. Quo ad primum igitur. Primo adnotādum venit. circa hanc difficultatem plures extitisse opiniones. Prima quidē fuit illorum Philosophorum, qui dixerunt locum cœli esse quoddam interuallum seu spatium, ab ipso occupatum. Sed contra hanc opinionem stat quod illud interuallum, seu spatium non est quid reale, sed imaginarium, ficticium, & ab Aristotele reiectum. *Opiniones.* 1

Secunda opinio fuit Alexandri Aphrodisei, negantis omnino cœlum esse in loco, quod probat. Primo quia vel esset in loco per se, vel per accidens. Non per se, quia non habet superficiem ambientem. Non per accidens, quia cœlum non est pars, vel accidens alterius. Secundo, quia Aristoteles arguendo Zenonem, dicebat locum non esse in loco. Sed cœlum est locus vltimus omnium. Ergo cœlum non erit in loco.

Sed hæc opinio de medio tollitur. Primo, quia omne quod mouetur, vel mouetur in loco, vel extra locum, non secundum, vt sensu patet. Ergo erit in loco.

Secundo. Omne corpus est in loco. Sed cęlum est corpus. Ergo erit in loco. Minor est nota sensu. Maior est Aristotelis supra. Nec valet respondere, quoddā esse corpus non existens in loco, sed mobile circa locum, & tale esse cęlum. Nam primo obstat, quod oportet deuenire ad hoc an in loco sit, vel non, inter contradictoria enim non datur medium. Ad cęlū non est extra locum. Igitur erit in loco. Secundo obstat, quia illud quod mouetur circa locum, vt circa locatu, oportet ipsum esse locum, cum ipsum contineat, & ab eo locatum dicatur.

Tertia igitur fuit opinio Auerrois, affirmantis vltimam spheram esse quidem in loco, sed per centrum. Hoc primo probat. Nam locus est immobilis. At cœlum per centrum est tale. Ergo. Secundo quia cœlum respectu centri dicitur non mutare locum. Ergo respectu eius in loco dicitur.

Sed

Sed contra Auerroem primo insto sic. Locus continet locatum. At centrum nõ continet cœlum, sed a cęlo continetur. Igitur cęlum non est in loco per centrũ. Respondet Pererius, maiorem tantũ valere in corporibus motis motu recto, & non motu circulari, vt mouetur cœlum. Sed hæc responsio nullum habet fundamentum in Aristotele, immo cum eo clarissime pugnat, cum continere locatũ fecerit vniuersalem conditionem loci, respectu cuiuscunque locati, sic enim cęlũ non esset locus omnium, cum motu circulari moueatur, & omnia contineat.

Secundo. Locus est diuisibilis, cum sit superficies. At cẽtrum est indiuisibile. Ergo nõ erit locus cęli. Respõdet Pererius, quod cęlum Mathematice est indiuisibile, sed Physice est elementum terræ, circa quod cęlum voluitur. Sed hæc responsio ridicula est. Nam vbi inuenit iste terram esse vocatam centrum terræ, immobile secundum totum, pro vt tale est centrum? Sed cur aer, & aqua, & ignis, nõ dicuntur centrum cœli, cum circa hæc voluatur, & secundum se tota non mutent locum?

Tertio. Habet Aristoteles cęlum esse in loco per accidens. Ergo non est dicendũ cum Auerroe ipsum esse in loco per se ratione centri. Respondet Perrerius, quod quia Aristoteles quærebat adinuenire locum cęlo, sicut attribuitur corporibus motis motu recto, ideo dixit ipsum esse in loco ratione terræ circa quam voluitur. Sed hæc responsio pugnat expresse cum textu loquente de his quæ circulari motu mouentur, & definiente cęlum circulari motu mobile non esse in loco, nisi per proprias partes in potentia.

Quarta ergo sententia est S. Doctoris sustinentis vltimam spheram esse in loco, per partes, sed quomodo dupliciter ipsum exponunt eius discipuli. Nam quidam dicunt vltimam spheram esse in loco per partes, quia concauum vltimæ spheræ (dato secundum Aristotelẽ quod esset firmamentum) est supra conuexum orbis saturni. Cum igitur orbis saturni sit in loco per se, idest per vltimam spheram ipsum ambientẽ, ideo vltima sphera dicetur esse in loco per partes, quia secundum partes suas tangit inferiorem spheram existentem in loco per se. Alij vero Thomistæ hoc interpretantur quod vltima sphera dicatur esse in loco per partes, pro quanto partes eiusdem vltimæ spheræ sunt diuisibiles in potentia.

Locus dupliciter sumitur.

Secundo ergo venit notandum, quod locum dupliciter considerare possumus. Primo proprie, vt significat superficiem ambientem corpus locatum. Secundo cõmuniter, pro quocunque corpore determinatum situm habente in vniuerso. Primo modo quærimus, an vltima sphera sit in loco, omnibus enim constat eam habere supremum situm in vniuerso.

Superficies dupliciter consideratur.

Tertio ergo notandum, quod de superficiebus corporis continui dupliciter loqui possumus. Primo prout possunt mẽsurari separate, & diuisim à toto per suas superficies. Secundo prout sunt coniunctæ, & vnitæ in toto. Si partes mensurarentur primo modo, dicerentur esse in loco per se, & in actu, quia per se, & in actu diuersis superficiebus mensurarentur. At secundo modo dicuntur esse in loco in potentia, quia in actu vnica tantum superficie totum ambiente circumscribuntur, & in potentia pluribus, pro quanto si illud totum in plures partes separaretur, quælibet illarum haberet propriam superficiem, & consequenter proprium locum.

Quomodo sint diuersæ partes in cælo.

Quarto igitur considerandum venit, quod sint diuersæ partes in cęlo bifariã intelligi potest. Primo secundum imaginationem nostram, diuersas partes in cęlo diuidentem, prout ipsum diuidimus in diuersa signa Zodiaci, in diuersas dechamorias, & terminos. Secundo secundum se, adeo vt dicamus in cęlo secundum se esse diuersas partes, ratione quarum dicatur moueri, & esse in loco. Primam intelligentiam multi Thomistæ sequuntur, sed mihi secunda magis placet, quia vere, & realiter quo ad influxum dantur diuersæ partes in cęlo, quare Aristoteles secundo de cęlo, & mundo in cęlo assignauit dexterum, & sinistrum. Dico ergo cęlum esse in loco per partes, quia partes eius vere, & realiter mutant locum, idest diuersa vbi acquirunt, vnde cœlum dicitur esse in Oriente secundũ se, dum ibi est verus Oriens, & sic discurrendo. Hæc autem sententia videtur omnes difficultates eneruare, sed in gratiam etiam aliorum.

Quin-

Ipsumq. denominent. Quinto loco adnotabo, quod totum quandoque denominatur à parte, & quã doque non. Quando ergo id quod conuenit parti, aptum natum est etiam toti conuenire, totum denominat. Quando vero toti non potest conuenire, non denominat totum absolute. Cum igitur esse in loco possit cælo conuenire, sed non secundum totum, ideo absolute non est dicendum, cælum esse in loco, sed secundum quid, idest per partes.

Ipsumq. in loco constituunt. Sed sexto adnotandum venit, quo modo partes cæli moueantur, ad hoc vt sciamus, quomodo sint in loco. Colligẽdum est ergo, quod partes cæli sunt coniunctæ secundum existentiam, & tamẽ actualiter mouentur, quia mutãt diuersa vbi, vnde assignatis diuersis partibus in cælo, Physice inspectis, & consideratis, quo ad diuersum earum influxum, dicendum venit, quod cælum est in loco per partes in actu, si Physice considerentur, & in potentia, si Mathematice, idest si inspiciantur vt diuisibiles, & separabiles à toto.

Conclusio probatur. Quo ad secundum ergo Cõclusio est. Vltima sphera est in loco per partes. Probatur. Eo modo vltima sphera est in loco quo modo mouetur. Sed vltima sphera secundum se tota non mouetur, idest non mutat locum, sed per partes, quæ acquirunt diuersa vbi. Ergo non est in loco nisi per partes. Hæc omnia in superioribus explicata sunt.

Ad primum ergo principale. Primo negatur maior, quia esse pendet à forma, & esse in loco à superficie ambiente. Secundo dicimus, quod cœlum facit, quòd partes sint per esse suum, quia vnũ est esse totius, & partium. At quod sint in loco, non facit nisi per quantitatem, vnde alia, & alia est ratio.

Ad secundum dicimus ad minorem quod partes moueantur per accidẽs stat dupliciter. Primo vt ly per accidens idẽ sonat quod accidentaliter, & separabiliter, & sic est falsum, mouentur enim necessario cum toto. Secundo vt ly per accidens idem sonat quod ad motum alterius, idest totius, & sic est verum, nec contra nos vrget.

Ad tertium dicendum, quod maior nõ valet, quando locus, & locatum sunt continua secundum naturam, vt sunt cœlum, & eius partes.

Ad quartum dictum est, Aristotelem intellexisse cœlum maxime esse in loco per partes, & non absolute, vnde est æquiuocatio in ly maxime, à secundum quid, ad simpliciter.

Ad quintum respondent, qui tenent vltimam spheram esse in loco per partes in potẽtia, quod etiam est in loco per partes in potentia, & non in actu, & hoc nõ esse inconueniens in mobili motu circulari, quia tale non mutat locum. Sed melius puto dicendum, quod partes sunt in loco in actu, & totum in potentia, & hoc quia aliquid aptum natum est conuenire partibus, & non toti, vt supra.

Ad sextum respondent alij, cœlum, & partes nõ esse in loco, nec mutare locum nisi in potentia. Sed melius dicendum, quod aliquid conuenit partibus, quod toti non conuenit; nam partes dupliciter sumuntur. Primo pro omnibus partibus simul, & secundum hunc sensum procedit argumentum. Secundo vt seorsum considerantur, & vna pars habet sua propria, & alia, alia, & totum alia, & sic dicimus partes cœli mutare locum, & occupare diuersa vbi secundum se, quia dato verbi gratia, quod signũ arietis sit Oriẽs cæli quandoque erit in Oriente, quandoque in Meridie, quandoque in Occidente, & quandoque in imo cæli.

Ad septimum dictum est, quod partes sunt in loco in potentia, & non in actu, secundum diuisionem, & non secundum designationem, & diuersa vbi.

Ad octauum dicimus, quod corpus cæleste dupliciter considerari potest. Primo vt corpus, & sic est diuisibile, in potentia non repugnantiæ. Secundo vt est corpus cæleste inalterabile, indiuisibile, & incorruptibile, & hoc modo non dicitur esse in loco, per partes diuisibiles in potentia, sed bene primo modo.

Ad nonum patet per superiorem responsionem.

Ad decimũ dicendum, quod tria dicebat Auempaces. Primum, quod vltimæ spheræ debebatur locus essentialiter. Secundum, quod octaua sphera secundum totum locatur circa septimam. Tertium, quod secundum omnes partes concauas tangebat septimam, & per has erat in loco. Primum negauit D.Th. quia, quod est in loco per se, & essentialiter, habet superficiem

perficiem ambientem, qua caret vltima sphera. Secundum quoque negauit, quia locus est æqualis locato, septima autem sphera non est æqualis octauæ. Tertium autem admisit, & ideo in hoc non sunt contrarij.

Ad vndecimum dicendum, quod septima sphera continet, & tangit non omne corpus octauæ, sed partes illas, quæ ei sunt continuæ, & respectu earum dicitur esse in loco.

Ad duodecimum aliqui negant illud opusculum esse D. Tho. sed melius dicitur, quod se ipso doctior factus sententiam mutauit, vel aliqua ex illis opusculis in gratiam commenti starum conscripsit, quia in illis multa affirmat contraria posterioribus suis dictis.

Ad decimumtertium, quod est Toleti dicendum venit, quod esse in loco per se desumitur à superiori superficie, & non ab inferiori locante, & quia terra habet superiorem superficiem eam locantem, & sic ascendendo vsque ad vltimam spheram, ideo hæc dicuntur esse in loco per se, & descendendo per partes.

Ad primum Alexandri dicitur, quod cælum est in loco per accidens, vt ly per accidens idem sonat quod per partes, sed non vt idem sonat, quod accidentaliter.

Ad secundum dicimus, quod vltimi loci non est locus per se, sed per partes, quod expressit Aristoteles.

Ad primum Auerrois dicimus, quod præter immobilitatem requiritur continentia, quæ non conuenit centro respectu cæli. Secundo dicitur, quod cælum habet fixionem non à centro, sed à suis polis.

Ad secundum dictum, est quomodo cælum mutet locum non secundum se, sed per partes suas.

LECTIO X.

De vacuo.

CAPVT VI.

Eodem autem modo accipiendum est &c. text. 50.

HIc est secundus tractatus quarti Physicorum, in quo Phil. de vacuo disputat, & tria ad solutionem huius quæstionis, an detur vacuum, præstat. Nam primo proponit varias Philosophorum sententias, cum eorum fundamentis. Secundo enumerat diuersas acceptiones vacui, & tertio loco soluit rationes ponentium vacuum.

Primo ergo habet Aristoteles in textu, ad naturalem spectare considerationem de vacuo, sicut ad eum spectat consideratio de loco. Hoc sic probat. Ea quæ habent eandem dubitationem, & fidem, sunt eiusdem considerationis. Sic sunt locus, & vacuum. Ergo pertinebunt ad eundem artificem. Minorem probat, quia aliqui dixerunt vacuum non differre à loco, quia vacuum est spacium seu locus non repletus corpore sensibili, & locus sic.

Secundo loco ait, quod ad tractandum de vacuo ordinate, primo sunt considerandæ rationes negantium vacuum esse. Secundo rationes ipsum ponentium, & tertio communes opiniones circa vacuum. Ait ergo, quod aliqui peccauerunt circa vacuum, quia voluerunt demonstrare non dari vacuum, quia aer est aliquid, & vbi corpus solidum cedit, aer sue cedit. Duplici autem experientia probant aerem esse aliquid. Primo, quia si vter repleatur flatu, & aere, videbimus, quod resistet ponderi. Igitur aer est aliquid. Secundo in clypsedris, aere, & aqua impletis, in quibus videmus aerem impedire exitum aquæ. Sed illi, qui ponunt vacuum, cum dicant vacuum esse spacium non repletum corpore sensibili, dicunt etiam quod cum aer sit minimum sensibile, ideo repletum aere vacuum esse affirmant. Non oportet ergo ait Phil. volendo disputare contra ponentes vacuum probare quod aer sit aliquid. Sed quod hoc spacium non detur, neque separatum à corporibus, sicut quidam illud posuerunt, neque corporibus inclusum, sicut alij illud esse affirmauerunt.

Tertio loco adducit Phil. rationes ponentium vacuum esse. Prima igitur horum ratio est. Motus augmenti non potest fieri in pleno. Ergo fiet in vacuo. Sequela est nota. Antecedens prob. Quia si motus fieret in pleno sequeretur, quod duo corpora essent simul, & si duo, multa alia, & consequenter sequeretur quod

in loco paruissimo magnum corpus staret, quia multa corpora parua facerent vnum corpus maximum. Secunda ratio probans dari vacuum corporibus inclusum est. Quia vinum in vtre positum tantum est, quantum etiam est sine vtre. Vel dicamus, quod si dolium vino impleatur vsq. ad summum, & tunc in eo immittantur lapides parui, vel annuli, videbimus quod vinum dolium non exit, Igitur signum est quod in vino sunt multi pori vacui, qui tunc ex constrictione vini replentur. Tertia ratio est. Augmentum recipitur in re quæ augetur. Sed duo corpora non possunt esse simul. Igitur dicendum venit, quod in corpore sunt aliqua vacua. Quarta ducitur ab experientia vasis cineribus pleni, in quo si aqua immittatur, à cineribus ebibitur, ac si in eo non essent cineres. Ergo signum est, quod in cineribus dantur pori vacui.

Quarto loco ponit opinionem Pytagoricorum, qui de vacuo non sunt locuti naturaliter, dum dixerunt, vacuum ingredi ex infinito vacuo, posito extra cælum. His opinionibus positis transit Phil. ad explicandum quid nomen vacui significet, quia quæstio quid est, sequitur quæstionem an est. Ait ergo quinto loco antiquos dixisse vacuum esse locum, in quo nihil est, per nihil intelligentes non corpus, quia existimauerunt omne quod est, corpus esse, & hoc corpus debere esse tangibile, graue, vel leue. Vnde conficiebant hoc argumentum. Vbi non est corpus tangibile graue, vel leue, ibi est vacuum. Sed multa sunt spacia in quibus non est corpus tangibile, graue, vel leue. Igitur datur vacuum. Corrigit autem Phil. supradictam diffinitionem tanquam mancam, quia in puncto non est corpus tangibile, & tamen non est vacuum. Sic igitur diffiniendum est vacuum. Vacuum est locus, seu spacium non repletum corpore sensibili, tangibili, possibile tamen repleri. Ex hac autem diffinitione duas difficultates tollit. Prima est de puncto, quoniam punctum nec locus est, nec spacium. Secunda est de spacio in quo sonus vel color reperiuntur, an scilicet possit dici vacuum. Respondet enim Phil. quod si illud spacium habet potentiam ad hoc vt possit repleri corpore, dicitur vacuum, & si non, nequaquam.

Sexto loco diffinit vacuum secundum Platonicos dicendo, quod ipsi dixerunt vacuum illud esse, in quo non est substantia aliqua particularis, vel corporea. Hinc dixerunt materiam forma priuatã dici vacuum, eam vocantes locum formarum. Sed hoc est falsum (ait Aristoteles) quia locus est separabilis à re locata, non sic materia.

Septimo loco subdit, quod cum sit determinatum de loco quid sit, determinandum quoque est de vacuo eodem modo. Sed determinatum est, quod locus non est spacium separatum à re locata. Igitur dicendum similiter erit, quod cum non detur hoc spacium separatum, consequenter non detur vacuum. Hinc soluit rationes ponentium vacuum esse, quę omnia habebuntur in annotationibus.

Circa supradicta igitur. Primo ad notandum est, quod Phil. ob duplicem rationem egit de vacuo. Prima est, quia aliqui dixerunt vacuum esse locum. At agere de loco ad naturalem spectat. Ergo & agere de vacuo. Secunda ratio est, quia asserentes vacuum esse, assumpserunt quædam principia, principijs naturalibus repugnantia, vt quod motus non detur, non detur elementum aeris, & similia, cum autem in primo dixerit se velle tractare, & expendere opiniones negantium principia naturalia, iure merito illi agendum erat de vacuo. Non ergo agit Philosophus de vacuo positiue ostendendo illud esse, sed de eo agit negatiue, ostendendo illud non esse, & soluendo omnes rationes ponentium illud esse. Vnde Phil. non agit de vacuo per inclusionem, sed per exclusionem. *Cur Philos. egit de vacuo.*

Secundo notandum venit, quod illi qui negauerunt vacuum esse, non reprehenduntur ab Aristotele in hoc, quod dixerunt aerem aliquid esse, hoc enim concedit, & per hoc multa argumenta aduersariorum soluit, reprehenduntur ergo, quia directe argumentari debebant non dari illud spacium non repletum corpore, & non quod aer sit aliquid. Indirecte tamen ratio hæc destruit vacuum. Nam si aer est aliquid, existendo corpus quantum, aer subintrat. Ergo non datur vacuum, quia aer est aliquid replens illud spacium. *Reprehenduntur antiqui.*

Tertio

Causa erroris ponẽtiũ vacuũ. Tertio notandum, quod antiqui ponentes vacuum, ex tribus videntur decepti. Primo, quia sequebantur imaginationem, imaginantes extra mundum esse spacium non repletum corpore. Secundo, quia cum aer sit corpus minimum sensibile, & parum pro nihilo reputandum sit, existimauerunt locum in quo aer erat esse vacuum. Tertio, quia nesciebant penetrare naturas rerum, & ponere discrimen inter densa, & rara, & deducere quod rara possunt inspissari sine poris.

Diffinitiones vacui. Quarto notandum venit, quod tres videntur assignatæ diffinitiones de vacuo. Prima fuit, quod vacuum est spacium non repletum corpore sensibili, graui, vel leui, possibile tamen repleri. Dicebant quod erat spacium, excludendo punctum, quod non potest esse vacuum. Dicebant corpore sensibili, putantes ea non esse (vt aerem non esse) quæ non poterant tangi. Vnde negauerunt aerem esse corpus. Immo fecerunt corpus cæleste esse de numero compositorum ex quatuor elementis, dicentes ipsum esse corpus tangibile, & sensibile, quod negandum est secundum veram Phil. Dicebant graui, vel leui, per ly vel, subintelligentes &, quia corpus occupans vacuum voluerunt esse graue, & leue, nam aer solum leue est. Secunda diffinitio quæ fuit Platonicorum erat, quod vacuum est in quo non est hoc aliquid vel substantia corporea. Dicebant vacuum esse in quo non est, nolentes ipsum nominare spacium, vel corpus, quia tenuerunt materiam in potentia esse vacuum, & locum formarum, nolentes tamen eam facere corpus. Dicebant in quo non est hoc aliquid, idest substantia completa, contemnentes omnem existentiam partium in eo. Tertia diffinitio fuit, quod vacuum est spacium in quo non est corpus in actu, sed in potentia.

Soluuntur rationes antiquorum. Quinto notandum est, quod præcipuum motiuum ponentium vacuum fuit adhoc, vt saluarent motum localem, vnde dicebant, quod vbi non erat vacuum, ibi non poterat dari motus localis. Hoc autem esse falsum dicit Phil. etiam in motu augmenti, quia partes possunt inspissari, & adunari, quod ostendit hac experientia. Proijciamus lapidem in aqua, tunc videbimus descensum lapidis causare in aqua quasdam circulationes, hæ autem non proueniunt aliunde, nisi propter hoc, quod cum lapis aquam scindit, facit, quod aqua scisa se restringat cum partibus proximioribus, & propterea ex constrictione causatur ille motus localis. Similiter excludit rationem ponentium vacuum in corporibus, quia (inquit) dum aliquid subintrat, aer, vel pars subtilior cedit, vt patet in spongia, nam dum est plena aere, per suam porositatem aquam trahit, cum autem comprimitur, aqua egreditur, & aer subintrat. Soluit etiam rationem de augmento, quamuis hæc res altius petat examen. Asserimus ergo pro nunc, quod in quolibet membro nostri corporis sunt multi pori pleni aliquo humore vel spiritu. Sanguis autem qui est proxima materia alimenti diuiditur in minutissimas partes, vnde alimentum ingreditur in poros, & tunc cedunt illi spiritus subtiles, & alimentum conuertitur in carnem, pro loco, & ratione mouendi, & se conuertendi, nam sanguis, qui vt diximus est proxima materia alimenti, si disponitur à carne, fit caro, si ab esse, fit os, & si à neruo, fit neruus, vnde patet quod ratione alimenti non datur vacuum, corporibus inclusum. Tandem ad argumentum de cinere dicimus, ipsum habere multos poros, aere plenos, vnde dum aquam recipit, aer cedit.

LECTIO XI.

Quoniam autem non esse vacuum, &c. text. 64.

POstquam Philosophus secundũ aliorum placita disputauit de vacuo, hic secundum propriam sententiam disputare, & definire intendit, an detur in vacuum, vel non. Ait ergo, vacuum non esse necessarium propter motum localem, vt dixerunt antiqui. Hoc sex rationibus probat. Quarum prima est. Vnumquodq. ens naturale ex sua natura habet determinatum motum naturalem. Ergo causa motus localis non erit vacuum. Consequentia est nota. Antecedens probat. Quia omne leue sua natura sursum tendit, & omne graue deorsum. Secun-

da est. Quia sic non posset assignari causa motus naturalis, vel naturalis quietis. Probatur. Vnumquodq. corpus naturale naturaliter mouetur ad suum locum naturalem. Sed dato vacuo tollitur locus naturalis, cum vacuum sit spacium non repletum corpore, vel circumdatum superficie, cum superficies circumdet corpus solidum. Ergo sic tollitur motus naturalis &c. Tertia est à simili. Nam quidam Philosophi dixerunt, terram non moueri neq. ad dexteram, neq. ad sinistram, quia in medio mundi quiescit, & paribus vndiq. spacijs à Peripheria distat, nec vlla est ratio, cur huc potius quam illuc vergat. Sed hæc ratio de vacuo concludit, nam eo dato, nulla erit causa, vel ratio, cur magis res moueatur ad hanc partem vel illam, cum in vacuo non appareat maior ratio in vna parte, quam in alia, cum sit ens negatiuum. Quarta ratio ex duobus suppositis procedit. Primum est, quod duplex est motus scilicet naturalis, & violentus. Secundum est, quod motus naturalis prior est violento. Tunc sic arguit. Posito vacuo motus naturalis tollitur, cum partes in eo non habeant, vnde magis se moueant. Ergo tollitur omnis motus. Quinta desumitur ex positione illorum, qui dicebant sagittam moueri postquam demissa erat ab arcu. Nam quidam dicebant hoc euenire ex repercussione aeris, quia aer, aerem repercutit, & sic sagittam deducit. Alij vero dicebant hoc esse, quia aer velocius ferebat. At dato vacuo nullo horum modorum in eo moueri posset, cum in vacuo nullum corpus rem motam circumstet. Sexta est. Quia dato vacuo non erit assignabilis causa quare res moueatur, vel quiescat, cum vacuum omni ex parte sit vniforme, sibique simile.

Secundo loco disputat, an si motus fieret in vacuo, fieret in instanti, vel in tempore, quam rem sub quæstione perlustrabimus.

QVAESTIO VI.

An si motus fieret in vacuo, fieret in instanti.

Videtur quod sic. Nam omne quod in tempore mouetur partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem. Sed hi termini non dantur in vacuo, cum ibi non sit medium, ratione cuius dicuntur terminus à quo, & terminus ad quem, nam vacuum dicitur per negationem medij. Ergo si motus fieret in vacuo, fieret in instanti.

Secundo. Causa tarditatis in motu est resistentia medij, vt hic videtur asserere Phil. Sed in vacuo nulla est resistentia medij. Ergo.

Tertio. D. Th. 4. Sent. d. 11. q. 1. art. 3. habet, quod quando inter terminos mutationis non datur medium, mutatio fit in instanti. Sed dato vacuo tollitur medium. Ergo mobile in vacuo moueretur in instanti.

Quarto. Si motus in vacuo non esset in instanti, hoc esset, quia terminus aquo & terminus ad quem sunt incompossibiles. Sed hoc non obstat, quia non inconuenit, quod mobile omni medio circumscripto, non possit esse in duobus locis habentibus rationem termini à quo, & termini ad quem.

Quinto. Sic sequeretur, quod corpus grauius, tardius moueretur, quam leuius, quia illi magis est inconueniens quod reperiatur in duobus locis.

Sexto. Sic æque velociter moueretur magis graue, sicut minus graue, quia non haberet resistentiam medij.

Pro dilucidatione huius quæstionis tria faciemus. Primo proponemus aliquas annotationes pro notitia veritatis. Secundo probabimus conclusionem nostrã & Tertio soluemus argumenta.

Quo ad primum ergo. Primo adnotandum venit, circa hanc quæstionem, esse duplicem modum dicendi. Primus est Auerrois hic, Commento 71. Alberti Ma. & Ianduni hic, & Gregorij Ariminensis in 2. di. 6. q. 3. art. 2. Hi enim duo dicunt. Primum est, quod motus non potest dari in vacuo. Secundum est, quod si in eo daretur, fieret in instanti. Hoc secundum probant argumentis suprapositis. Et primum sic. Omnis motus sublunaris, est à cælesti influxu. In vacuo non potest esse cœlestis influxus, cum in eo non detur medium, per quod transmittatur. Ergo in vacuo non potest esse motus. *Opiniones.*

Secundo. Si corpus ab vna parte spacij va-

cij vacui ad aliam commearet, primam quam modo occupat, vacuam relinqueret, atque sic naturaliter daretur vacuũ, quod fieri nequit.

Tertio. Omnis motus est ad locum. At in vacuo non est locus. Ergo nec in eo potest esse motus.

Quarto hoc suadent (dicunt) rationes Aristotelis superius positæ.

Secunda sententia est S. Docto. hic, & in 4.d.44 q.2.art.3. Auempacis. Auicennæ, Scoti in 2.d.2.q.9. Licheti di.2.q.9. Soncinatis 12.Methaph.q.43.Collegij Conimbricensis. Toleti, & Ruuij quæ consistit in duobus dictis, superiori sententiæ oppositis, scilicet quod motus potest dari in vacuo, & si in eo fieret, non fieret an in instanti, sed in tempore.

Termini quæstionis explicãtur. Secundo notandum, quod hanc quæstionem non disputamus de facto, quasi detur vacuum, sed eam disputamus de possibili, in ordine ad diuinam potentiã extraordinariam, idest an si per eam daretur vacuum, motus in eo fieret in tempore, vel in instanti. Et ita per instans non intelligimus breuissimum tempus, sed instans indiuisibile, quod non potest esse immediatum instanti.

Causa cur motus sit in tempore. Tertio notandum est, multas esse causas propter quas idem mobile in eodem instanti non potest esse in duobus locis, vel vbi distinctis. Prima ergo causa est resistentia medij, quia medium resistit, & non finit, vt idem mobile simul sit in vtroq. loco. Secunda est natura mobilis, quod aptum natum est successiue acquirere locum, & suam perfectionem. Tertia est, incompossibilitas terminorum, quia terminus à quo, non potest esse terminus ad quem, & implicat quod eadem res dum mouetur, quod sit mota, & ideo fuit perpetua sententia Aristotelis, motum non posse fieri nisi in tempore, ad differentiam mutationum substantialiũ, idest generationis, & corruptionis, quæ fiunt in instanti.

Hæ igitur causæ adeo annexæ inueniuntur, vt vna obsit, & si non alia, & ideo quamuis vna non obsit, verbi gratia resistentia medij, sufficit, vt alia obstet, verbi gratia incompossibilitas terminorum, ne motus fiat in instanti.

Explicantur. Quarto igitur pensandum venit, duplicem esse mutationem. Primam dicimus negatiui, & positiui, vel positiui, & negatiui, idest de non esse simpliciter, ad esse simpliciter, & hanc dicimus generationem, vel de esse simpliciter, ad non esse simpliciter, & hanc appellamus corruptionem, & hæc mutatio, seu mutationes possunt fieri in instanti, quia inter positiuum, & negatiuum non datur medium. Secundam mutationem dicimus esse inter positiuum, & positiuum terminum, & in hac datur mediũ, & talis est mutatio mobilis, vnde non potest simul esse in termino a quo, & in termino ad quem, & consequenter implicat, quod dum mobile mouetur, simul, & semel sit motum.

Aristoteles explicatur. Sed quinto considerandum venit propter rationes Aristotelis, quibus sic probat motum non potest esse in vacuo, & si in eo fieret, quod esset in instãti, quod hæ rationes sunt ad contradicendum, vnde multa assumunt, quæ absolute vera non sunt, & tamen, vt vera ab antiquis concedebantur. Nam primo hi non ponebant diuersos terminos in motu locali, & secundo ipsi affirmabant solam resistentiam medij causare quantitatem motus, quibus suppositis, sequuntur rationes Aristotelis, vnde pro nobis redũdant, & non pro aduersarijs, quia quod ipsi vt dictum Aristotelis sumunt, vt inconueniens deductum ex dictis antiquorum accipiendum est.

Conclusio probatur. Quo ad secũdum ergo ponimus conclusionem, duas partes habentem. Prima est. Motus posset fieri in vacuo, si daretur. Secunda est. Et tunc non fieret in instanti, sed in tempore. Probatur prima pars primo. Dato quod inter cœlum, & terram sit vacuum, aut Angelus potest transire de terra ad cœlum, & secum lapidem deferre, aut non. Non secundum, quia non habet impedimentum in motu. Si primum, habemus intentum. Secundo. Detur vacuum in mundo, & in medio eius creet Deus ignem, tunc quæro aut mouebitur sursum, aut non. Si primum, habemus intentum. Si secundum dicatur obstabit ordo generalis vniuersi, postulãtis quod ignis propriam spheram petat, & repugnabit intrinseca ratio mobilis sursum. Tertio. Si motus in vacuo esset impossibilis aut esset, quia non haberet resisten-

tiam medij, aut propter defectum vbi. Non primum, quia Deus potest destruere media, & conseruare extrema, atque mobile moueatur. Non secundum, quia cœli mouentur in tempore sine resistentia medij.

Probatur secunda pars primo. Extrinsecum nō potest tollere intrinsecum rei, re salua. Sed continuitas, & successio est de intrinseca ratione motus. Ergo non potest tolli per carentiam medij extrinseci. Secundo. Contraria & incompossibilia nō possunt simul verificari de eodem. Sed terminus a quo, & terminus ad quem sunt contrarij. Ergo non possunt inesse eidem pro eodem instanti. Tertio. Effectus partialis non attribuitur causæ totali. Sed resistentia medij non est nisi causa partialis huius totius effectus scilicet moueri in tempore, quoniam & aliæ concurrunt simul vt supra ostensum est. Ergo motus non esset in instanti.

Ad primum ergo principale dicitur. Quod aliud est dicere, quod terminus a quo & terminus ad quem habeant rationem diuersorum locorum, & aliud est quod habeant rationem diuersorum vbi. Dato vacuo quoniam subtraheretur omnis superficies ideo terminus a quo & terminus ad quem, non possunt habere rationem diuersorum locorum, haberent tamen rationem diuersorum vbi, non per negationem medij, sed per incompossibilitatem terminorum.

Ad secundum dictum est, quod non sola resistentia medij causat motum in tempore, sed & incompossibilitas terminorum, & natura motus, & mobilis.

Ad tertium dicitur, quod S.D. loquitur de mutatione substantiali, non de locali, vt supra.

Ad quartum conceditur, quod idem simul non possit esse in duobus vbi.

Ad quintum dicitur, quod tunc magna esset inæqualitas in motu, non tamen talis, vt vnus esset in tempore, & alius in instanti.

Ad primum pro primo dicto aduersariorum dicitur, quod in re mobili virtualiter maneret influxus receptus a cœlo in principio motus, dum recessit a termino a quo, & sic sufficeret.

Ad secundum dicitur, quod illud diuina virtute moueretur per vacuum, & sic eadem virtute remaneret vacuum.

Ad tertium dicitur, quod quamuis in vacuo non essent diuersa loca, ibi tamen essent diuersa vbi.

Ad quartum diximus de intentione Aristotelis.

LECTIO XII.

Et per se autem considerantibus &c. text. 76.

Continuat Aristoteles sermonem suum probandō non dari vacuum, neque imbibitum corporibus, neque separatum ab eis. Probat ergo non dari alias dimensiones præter dimensiones corporis locati, quod probat ad sensum. Nam si corpus materiale aliud corpus non penetrat, sed vnum alteri cedit, vt aqua lapidi in eo proiecto. Ergo cum vacuum eiusdem sit rationis cum corpore, non poterit aliud corpus penetrare. Hoc quidem explicat per corpus cubū, quod si in aqua ponitur, constat illi aquam cedere, quod & in aere accidit, quamuis in eo non sit ita manifestum, quia aer est corpus subtilius, & difficilius figurabile. Sed quia aliquis posset respondere, corpus cubicum non penetrare aquam propter qualitates diuersas, & ideo cum in vacuo non sint qualitates, non erit eadem ratio. Respondet Phil. hoc nihil esse, quia aqua non cedit corpori cubo ratione qualitatum, sed ratione quantitatis, quantitas autem etiam reperitur in vacuo, quare corpora deberent illi cedere, sicut & corpori cubo cedit. Quod autem aqua cedat ratione quantitatis, probat, quia cedit secundum formam, & figuram corporis in eo immissi, & omnia clara sunt in textu.

Circa supradicta adnotandum est. Primo, quod rationes adductæ a Phil. contra ponentes vacuum non sunt diuisim sumendæ, sed coniunctim, quia aliquæ procedunt de vacuo separato, aliquæ de coniuncto, & aliquæ de vtroque simul, & aliquæ destruunt vacuum ex resistentia medij, & aliquæ ex natura mobilis, & aliæ ex natura mouentis. *Rōnes Arist. si mul sumūtur.*

Quare

Quare bene diximus in præcedenti lectione, quod illa ratio Aristotelis, quod si vacuum daretur, motus fieret in instanti, erat cum alijs coniungenda, quia sic optime concludebat.

Duo corpora nō possunt esse simul. Secundo notandum venit, quod supradicta ratio Aristotelis vnum supponit, quod ab antiquis concedebatur, scilicet quod duo corpora non possunt esse in eodem loco, ex hoc enim argumentatur vnum alteri cedere, sicut aqua cedit corpori cubo, vacuo autem nihil cedit. Quod autem duo corpora non possent esse simul dupliciter potest intelligi. Primo secundum se tota, & vt sunt distincta, & sic est verum. Secundo vt vnum imbibitur in alio, & se habent per modum vnius, & sic est falsum, sicut apparet quando aqua bibitur a cineribus, & ex aqua, & farina fit panis.

Vacuū coniunctū, & separatū quid sint. Tertio notandum venit, quid per vacuum separatum, & quid per coniunctum intelligendum venit. Simplicius ergo per vacuum coniunctum, seu imbibitum multas particulas intelligit per totum corpus diffusas, per vacuum vero separatum, intelligit spacium quoddam continuum, & magnum, cuius ratione condensatio fit. At melius S. D. per vacuum separatum intelligit spacium a corporibus separatum, & per imbibitum, spacium in corporibus inclusum, & sic huic expositioni arridet Aetimologia vocabuli.

Rarefactio, & condensatio quid sint. Quarto adnotandum est ad melius intelligendum exclusionem vacui, quid sit condensatio, & rarefactio. Rarefactio ergo est motus corporis fixi, & duri, vel saltem vniti in spacium. Condensatio vero e conuerso est motus corporis rari, in spissum verbi gratia dum parua aqua fit aer magnum spacium occupās, vocatur rarefactio, e conuerso vero dum magnus aer in paruam aquam resoluitur, condensatio appellatur, vel id dicas de stupa dum comburitur.

Causæ raritatis, & densitatis. Quinto notandum est, quod tres sunt causæ raritatis, & densitatis. Prima causa raritatis est caliditas, & densitatis frigiditas. Patet enim quod si oua, castaneæ, &c. quæ multum de vapore ventoso retinent, igni apponantur, crepitant, quia tunc ille vapor vel aer rarefit per calorem, & ita aqua igni applicata, extra vas ebuliendo exit, propter magnum calorem, eam calefacientem. Contrario vero, si vas aqua plenum hiemali tempore ad gelu ponatur, videbimus quod ad paruiorem quantitatem se reducit. Secunda causa raritatis, & densitatis est generatio rei, facta cum alteratione caliditatis, & frigiditatis. Quare cum inferiora corpora in superiora mutantur, generatio, & rarefactio vocatur, quia tunc corpus spissum rarefit, vt conspicimus in fumo egrediente a ligno viridi, & in vapore ex aqua egrediente tempore hyemis. Et contra vero quando superiora mutantur in inferiora, vt dum aer fit aqua vocatur condensatio, & alteratio, & etiam potest vocari corruptio, quia tale ens transit nobiliori ente, ad minus nobile ens. Tertia causa adscribitur motui locali, quare videmus quod vento flante, aer condensatur, & eo non flante rarefit. Colligendum autem est hic vnum a Phil. assertum. s. quod in materia densa est potentia ad raritatem, & in materia rara est potentia ad condensationem, sic enim patet, quod non in qualibet re est potentia ad rarefiendum, & condensandum, sed solum in his quæ quandoque possunt esse sub diuersis formis.

QVAESTIO VII.

Vtrum detur vacuum separatum, vel imbibitum corporibus.

Videtur quod sic. Primo. Nam extra mundum est quædam distantia, & spacium, in quo potest Deus creare nouum mundum. Sed illa distantia, & illud spacium priuatum est omni corpore. Ergo erit vacuum.

Secundo. Sumantur folles vndique complicati, & constricti, & ponantur per horrificium in vase vndequaque obtuso, ita vt non possit ex eo, vel in eo ingredi, vel egredi aer. Eleuentur tunc folles, quo aere tunc replebuntur. Si vasis. Ergo vas remanebit vacuum aere. Et sic dabitur vacuum.

Tertio. Accipiatur vas plenum aqua calidissima, & tunc bene claudatur, aqua reducendo se ad propriam frigiditatem,

patet

patet quod minorem locum occupabit. Ergo remanebit in illo vase spacium vacuum.

Quarto. Sumantur duo lapides æque plani, & vnus alteri supponatur, tunc pars superior secundum omnes partes æque eleuetur, tunc aer non intrabit æque cito, & per motum in instanti in omni illo spacio. Ergo dabitur vacuum.

Quinto. Accipiamus vas omni corpore (aere excepto) vacuum, vndequaque bene obturetur, & in profundum maris proijciatur, tunc cum omne elementum extra propriam spheram positum corrumpatur, necesse est aerem illum corrumpi, & ob frigiditatem in paruam quantitatem aquę reduci. Ergo aliæ partes vasis vacuæ remanebunt, & sic dabitur vacuum.

Vacuū dupliciter sumitur. Pro notitia huius rei. Primo notandū cum S.D. in 2.d.1.q.1.art.5. ad 4. & p.p. q.44.art.1. ad 4. quod vacuum bifariam sumi potest. Primo pure negatiue, ita vt nec pro formali dicat aliquid positiuum, adeo vt secundum imaginationem dicatur spacium quoddam, vt illud imaginamur extra cœlum esse, quod tamen secūdum veritatem falsum est, & hoc potius vocatur inane, quam vacuum. Secundo sumitur priuatiue, & proprie, pro spacio reali inter latera corporis cadente, nullo corpore crasso, vel subtili repleto, & hoc est quod negamus, tam intra, quam extra corpora.

Vacuū non datur naturaliter. Secundo adnotandum venit, quod dupliciter possumus disputare, an vacuum detur. Primo, naturaliter. Secundo in ordine ad diuinam potentiam. Si in secundo sensu hanc quæstionem disputemus, indubie fatemur, per diuinam potentiam, non ordinariam, sed extraordinariam posse dari vacuum, quia Deus potest aerem annihilare, vel impedire, ne corpora vacua repleat, & ita daretur vacuum. Si autem in primo sensu disputatio fiat. Vel loquimur de potentia naturæ, vel de Angelica, an scilicet per potentiam Angeli possit dari vacuum. Si in primo sensu, diximus non posse dari vacuum. Si in ordine ad potentiam Angeli, aliqui tenuerunt affirmatiuam (quod Deo non contradicente.) Hoc probauerunt. Primo. Quia corpora Angelis obediunt, si nō ad omnem motum, ad motum tamen localem, vt docet S. D. p.p.q.110.art.5. Ergo poterunt impedire ne aer ingrediatur illud corpus, quod aqua, vel alio corpore euacuatur. Secundo. Quia maior est virtus Angeli quam inclinatio cuiuslibet corporis ad motum. Ergo poterit impedire ne vnum corpus in locum alterius succedat, & sic dabitur vacuum.

Opposita tamen sentētia tenenda est. Primo. Quia Angeli non possunt immutare ordinem præfixum elemētis a Deo, vt docet S.D.q.16. de malo.art.10.ad vltimum, & consequenter non poterunt impedire ne corpus subtile aeris succedat in locum vacuum. Secundo. Quia sic possent immutare spheras elementorum, & impedire ne vna alteri esset continua.

Repugnat ordini vniuersi. Ideo tertio notandum venit, quod quædam sunt entia priuatiuo (dicam) ordine ordinata, quia particularem ordinem dicunt, & important, vt mouere aliquam partem terræ, vel aquæ. Alia vero dicuntur ordinata ordine vniuersi, idest generali ordine, respiciente totum vniuersum, vt a Deo est constitutum. Quæ primo modo ordinantur, imperio Angelorum in motu locali subduntur, non vero quæ sunt ordinata secundo ordine, vt sunt partes principales vniuersi, inter quæ sunt elementa, vt sibi succedunt, & tangere se habent. Hinc non potest Angelus tollere, quod vbi erat corpus solidum, aer non subintret, quia hic ordo respicit ordinem vniuersi, ab Auctore naturæ præfixum, & per hoc patet ad motiua tenentium posse dari vacuum virtute Angelorum. Nam verum est quod particulares motus, quo ad ea quæ sunt particularis ordinis obedunt Angelis, non vero quæ respiciunt vniuersalem ordinem vniuersi. Et ita verum est maiorem esse virtutem Angelorum, quam corporum, vbi virtus concernit ordinem priuatum, nō tamen vbi respicit ordinem vniuersi a Deo præfixum, & ideo non possunt Angeli contradicere naturæ vniuersali, quæ constituit non admittere vacuum.

Conclusio probatur. Quarto ergo loco ponitur hæc conclusio. Vacuum naturaliter nullo modo est possibile. Probatur primo. Societas

cietas elementorum, à Deo statuta, tolli non potest. Sed dato vacuo tolleretur. Ergo non datur. Maior habetur in speciali de Angelis ad Hebræos secundo dum dicitur. Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ, & Iob. 34. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est. Minor prob. Quia connaturale est, quod vbi corpus solidum cedit, subtile ingreditur. Secundo. Inferiora cælestibus lationibus, & influxibus subduntur necessario. Sed hæc tollerentur dato vacuo, quia transmittuntur ad inferiora per elementa, & non per inane, & vacuum. Ergo non datur.

Tertio probatur experientijs. Nam latera follium constricta, nulla vi diduci queunt, nisi aperto orificio, vt aer ingrediatur. Ita quamuis aqua sit grauis, si tamen ex fistula aer attrahatur, illico aqua ascendit. Ita cucurbiculæ, quę medicis sunt in vsu, carnem sursum attrahunt, quoniam aer qui prius igne incaluerat, & rarus factus fuerat, extincta flamma, frigiditatem, & densitatem recipit, vnde caro eleuatur ne detur vacuum, & multæ aliæ tales experientiæ reperiuntur.

Argumenta soluuntur. Ad primum ergo respondetur, quod illud spacium non est reale, sed imaginarium. Secundo dicitur, quod si daretur, non esset vocandum vacuum, quia vacuum est spacium replebile corpore naturaliter, illud autem spacium non posset repleri corpore naturaliter, & ideo non esset dicendum vacuum, sed inane.

Ad secundum dicendum, quod in illo casu folles non possent eleuari, & si vis adhiberetur, rumperentur, quia natura abhorret vacuum.

Ad tertium dicendum, quod ex aqua congelata vapores subtiliores ascendunt, vel aer ingreditur, & sic non datur vacuum.

Ad quartum dicendum, quod tunc vnus lapis traheret alium, & si oblique penderet, aer subintraret quodam ordine.

Ad quintum dicendum, quod tunc ascenderent vapores subtiliores, vel rumperetur vas a natura vniuersali, contradicente vacuo.

Per hęc autem manent soluta tria alia argumenta, quorum primum desumitur ex Arist. 2. cœli, tex. 27. vbi probat spheras celestes esse orbiculares, ne detur vacuum, scilicet ne angulus succederet, vbi non erat corpus. At cœlum empyreum secundum Theologos est figuræ quadratæ. Ergo si moueretur, daretur vacuum.

Secundum est. Quia si non datur vacuum necesse est quandoque quod aliqua res moueatur contra proprium bonum, & inclinationem, vt quod aqua sursum ascendat per fistulam, ne detur vacuum. Hoc autem est contra Aristotelem dicentem, quod propter commune bonum, res sui detrimentum non appetit, sic enim dicit 8. Ethicorum cap 2. Bonum amabile est, maxime autem vnicuique proprium. Ergo potest dari vacuum.

Tertio est. Ponatur homo in celo, & Deus faciat quod extra illud manum porrigat, aut lapidem iaciat, tunc hæc fient in vacuo.

Ad primum ergo horum dicunt aliqui, quod dato, quod cœlum empyreum moueretur, non daretur vacuum, quia anguli sibi succederent. At nobis melius videtur dicendum, quod in partibus intercedentibus inter angulos succederet aliqua virtus, vel influxus aeri in inferioribus æquiuallens, & hic contiguitatem causaret, & sic non daretur vacuum.

Ad secundum dicitur. Naturam magis esse inclinatam ad conseruationem boni communis, quam particularis, vnde pars se exponit pro toto, & ideo propositio Aristotelis intelligitur, comparando bonum proprium priuatum, ad aliud bonum priuatum, & non ad vniuersale bonum.

Ad tertium dic sicut ad primum principale.

LECTIO XIII.

De tempore.

Consequens autem dictis est. tex 87.

HIc est tertius tractatus principalis huius quarti libri, in quo Phil. agit de tem-

de tempore. Ait ergo quod postquam determinatum est de loco, & vacuo, agendum est de tempore. Acturus autem de tempore, promittit prius per rationes extraneas idest ab alijs positas determinare, an sit tempus, vel non, & si est, quænam sit natura eius.

Secundo loco assignat duas rationes, quibus quidam dixerunt tempus non esse, vel à nobis esse imperceptibile. Prima est. Compositum ex partibus non existentibus non datur. Sed tempus componitur ex præterito, & futuro, tanquam ex partibus non existentibus, cum præteritum non sit, & futurum non existat. Ergo tempus non est. Secunda ratio est. Cuiuslibet diuisibilis existentis necesse est aliquam eius parte esse. Sed nulla pars temporis est, quia si esset, nunc esset. Sed tempus non componitur ex nunc indiuisibilibus, cum nullum diuisibile componatur ex indiuisibilibus. Ergo tempus non est.

Tertio loco inquirit, an detur vnum nunc in toto tempore. Prius tamen habet, difficile esse scire, vtrum nunc temporis quod videtur distinguere inter præteritum, & futurum sit vnum in toto tempore. Ostendit autem quod non sit aliud, & aliud nunc tali ratione. Duæ partes temporis non possunt simul esse, nisi vna contineat aliam. Vel ergo necesse est quod duo nunc corrumpantur, vel quod sint infinita nunc simul. Omnia autem ista sunt inconuenientia. Quod vero non sit vnum nunc dupliciter probat. Primo. Nullius diuisibilis finiti potest esse vnus terminus tantum. Sed tempus est diuisibile finitum. Ergo non potest habere vnum nunc pro termino. Secundo. Si esset vnum nunc in toto tempore sequeretur, quod quæ ante mille annos fuerunt, modo essent in illo nunc.

Quarto loco assignat quid sit tempus iuxta placita antiquorum. Hi autem dupliciter de tempore locuti sunt. Nam quidam dicebant tempus esse motum cæli, & quidam vltimam spheram. Improbat autem hanc opinionem scilicet quod tempus sit motus cæli dupliciter. Et primo sic. Pars temporis, tempus est. Sed pars circulationis non est circulatio. Ergo tempus non erit circulatio idest motus cæli. Secundo. Si darentur plures cæli, plures essent circulationes. Ergo plura tempora, quod est absurdum. Secundo loco excludit opinionem, & motiuum, quod esset vltima sphera, motiuum enim huius opinionis fuit, quod vltima sphera, continet, & tempus continet. At hæc ratio inquit Philosophus dupliciter peccat. Primo. Quia æquiuoce conuenit cótinere tempori, & vltimæ spheræ. Secundo. Quia argumentabantur in secunda figura ex duabus affirmatiuis.

Quinto loco quærit, vtrum motus, & tempus sint idem, & probat quod non, dupliciter. Et primo sic. Motus est solum in substantia, quantitate, & vbi. At tempus est etiam in alijs ab his. Ergo distinguuntur. Secundo. Tempus neq. est velox, neq. tardum. Sed mutatio est velox, vel tarda. Ergo distinguuntur. Maiorem probat. Quia velox, vel tardum determinantur tempore. At nihil determinat seipsum. Ergo distinguuntur. Subdit tamen quod tempus non est sine motu, &c.

Circa supradicta notandum est, quod Philos. postquam egit de infinito, de loco, & vacuo, agit de tempore, quia locus, & vacuum sequuntur naturam rerum, locus secundum veritatem, vt continens, & mensurans locatum, & vacuum secundum æstimationem, tempus vero res naturales transmutabiles respicit, vt earum mensura, vnde de eo erat agendum. *Cur Arist. agit de tempore.*

Secundo notandum venit, quod tempus dicatur motus cæli, vel circulatio, potest dupliciter intelligi. Primo formaliter, & hoc est falsum, vt probauit Phil. Secundo virtualiter, & causaliter, & hoc est verum, cum tempus causetur à motu cæli, & à diuersis eius circulationibus, vt infra videbimus. *Tẽpus non est motus formaliter.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrum motus & tempus distinguantur realiter.

Videtur quod non. Nam motus, & tempus sunt entia successiua. Aut ergo erit eadem successio temporis, & motus, aut diuersa. Si eadem, habemus intentum. Si diuersa, hoc est absurdum, quia impossibile est duas quantitates permansiuas, in eodem quanto permansiua esse. Ergo non poterunt simul esse hæ

duæ

duæ successiones scilicet temporis, & motus.

Secundo. Philos. & S.D. hic asserunt, quod tempus est motus, quia tempus est prioris, & posterioris in motu.

Tertio. Argumentatur Pererius lib. 12.cap.1.suæ Phil. Tempus nihil aliud est, quam numerus prioris, & posterioris in motu. Prius autem & posterius nihil adiungunt motui secundum rem, ab eo distinctum, per Aristotelem hic. Ergo non distinguuntur realiter.

Quarto. Vlna panni non est distincta secundum rem à panno, vt ipsum mensurat per quartas. Ergo nec tempus distinguitur à motu, quia eodem modo se habent.

Quinto. Tempus, & motus sunt res successiuæ, & ambo sunt numerus prioris, & posterioris. Ergo non distinguuntur secundum rem.

Motus, & tempus sūt res successiua. Pro decisione huius quæstionis. Primo adnotandum est, quod tempus, & motus sunt res successiuæ. Res autem successiua dupliciter distinguitur à re permanenti. Primo, quia partes rei permanentis sunt simul in actu v.g. omnes partes hominis existentis. Partes vero rei successiuæ, non omnes simul sunt in actu, sed vna est in actu, & alia in potentia, vt constat in tempore, & motu. Secundo differunt, quia totum permanens non est dum fit, dum enim homo generatur, homo non est, totum vero successiuum dum fit, est. Intellige tamen, quod partes rei permanentis simul sunt, non dum res fit, quia tunc habet rationem successiui, sed dum iam res facta est, & permanet. Ita dum vna pars temporis v. g. præsens aduenit, alia idest præteritum corrumpitur, quia de ratione successiui est non habere omnes partes simul.

Tēpus dupliciter sumitur. Secundo sciendum est, quod tempus dupliciter sumitur. Primo communiter, pro quacunq. mensura durationis, sicut solemus dicere, quod dum Sortes domum petit, meridies est. Secundo sumitur proprie, pro mensura prioris, & posterioris rei mobilis, vt est sub motu, v. g. consideramus durationem mensurantem motum idest transitum de frigiditate ad caliditatem, quem facit manus dum caliditatē acquirit, & sic de tēpore, & motu sermonē habemus in præsenti.

In motu tria sūt. Tertio sciendum est, quod in motu tria sunt consideranda. Primum est subiectum motus, & hoc clarum est distingui à tempore, & motu. Secundum est forma illa imperfecta, quæ acquiritur per motum, & fluxum, de esse imperfecto eiusdem formæ ad esse perfectum. Tertium est mora, seu duratio, vel dicamus tempus quo mobile hanc perfectiorem formam acquirit, & hoc modo dicimus motum, & fluxum formæ tendentis de esse imperfecto ad esse perfectum distingui realiter à duratione, hunc transitum mensurante.

Quarto rememoranda est illa distinctio sæpius repetita, de distinctione reali idest quod aliud est distingui aliqua vt res, & res, & aliud est distingui vt realitas distinguitur à realitate. Primo enim modo non distinguuntur motus, & tempus, cum supponantur esse in eodem mobili. Secundo autem modo dicimus hæc distingui.

Cōclusio probatur. Quo ad secundum principale ponitur hæc conclusio. Motus, & tempus distinguuntur realiter. Probatur primo. Illa distinguuntur realiter, quæ distinguuntur proprijs diffinitionibus, cum diffinitio indicet esse. Sed alia est diffinitio temporis, & alia motus, sicut alia est consideratio motus, & alia temporis, vnde vendicant sibi distinctos libros in hac scientia, vt patet. Ergo distinguuntur realiter. Secundo. Illa distinguuntur realiter, quæ dicunt distinctas realitates. Sed sic se habent motus, & tempus. Ergo &c. Probatur minor, quia mobile per motum acquirit formam, vnde dicit fluxum formæ fluentis, per tempus vero eam non acquirit &c. Tertio. Passio, quæ non est transcendentalis distinguitur realiter à suo subiecto, quia distinguuntur prædicamento. Sed tempus est passio motus, ipsum consequens, per Aristotelem hic. Quarto. Illa distinguuntur realiter, quæ habent distincta principia, & distinctas proprietates. Sed motus, & tempus sic se habent, nam principium motus est natura, temporis vero Deus, habetq. multa motus quæ non habet tempus, vt patet quinto Physicorum. Ergo. Sexto. Causa, & effectus distinguuntur realiter, per Aristotelem 5. Methaphy. Sed tempus est effectus motus, nam causatur

à priori, & posteriori in motu, vt patet ex diffinitione temporis. Ergo distinguuntur realiter.

Ad primum respondetur, quod tempus, & motus dicunt eandem successionem materialiter, sed non formaliter, quia fundantur in diuersis modis successionis distinctis, non solum secundum rationem ratiocinantem, sed etiam ratiocinatam, & per hoc soluuntur omnia argumenta, concludunt enim tempus, & motum fundari in eadem re, non tamen dicere eandem realitatem, modo explicato.

QVÆSTIO IX.

Vtrum duratio rei distinguatur ab eius existentia realiter.

CIrca hanc difficultatem duas opiniones inuenio. Prima est Scoti in 2.d. 2.q.1.& quodli.6. Durandi in 2.dist.2.q. 3.numero 14.Caiet.p.p.q.10.art.5. & 6. Suarez disp.50. suæ Methaphy. sectio.1. numero 5. & Toleti quæst.13.huius. Hi enim tenent hæc distingui secundum rationem ratiocinatam, quod probant.

Primo. Quia duratio non est nisi permanentia in esse, vel continuatio eiusdem esse. Permanentia autem in esse, seu continuatio eiusdem in esse, non est distinctum esse ab eodem esse.

Secundo. Quia sic distinguerentur realiter creatio, & conseruatio rei, nam creatio dicit motum, & conseruatio durationem eiusdem rei.

Tertio. Quia si duratio distingueretur ab existētia rei realiter, sequeretur quod existentia non esset vltima actualitas rei, quia mensuraretur mensura durationis.

Secunda opinio censetur S.Doct. in 2. dist.4.q.1.art.2.& p.p q 10 art.6. vbi docet tempus, & æuum distingui ab Angelis, & mobilibus, vt mēsura realis, à mensuratis realiter, & vt distinguuntur accidentia à proprijs subiectis, quorum distinctio est realis. Hanc sequuntur Iauellus q.10. huius. Soto q.4. Conclusione 3. & 4. Conimbr. & Ruuio hic tractatu de tempore. Hi enim omnes tenent durationem rei distingui realiter ab eius existentia. Hoc probant.

Primo. Quia accidens, & substantia distinguuntur realiter, modo duratio est accidens reale, adiacens existentiæ rei, solus enim Deus mensuratur per suam substantiam.

Secundo. Diuina attributa æternitatis, & esse, distinguuntur realiter inter se virtualiter, seu secundum Scotum ex natura rei. Ergo realiter actualiter distinguuntur in creaturis. Probatur sequela. Quia minor est distinctio in Deo, quam in creaturis.

Tertio. Quæcunque non patiuntur eandem variationem realem, necesse est ea distingui realiter. Sed sic se habent duratio, & existentia, cum existentia non dicat prius, & posterius, vt dicit tempus, seu duratio, sed dicat esse.

Quarto. Quæ distinguuntur prædicamentaliter, ita vt vnum sibi vendicet determinatum prædicamentum, & non aliud, distinguuntur realiter. Sic se habent tempus, & existentia, quia tempus est de prædicamento quantitatis, & existentia substantiæ, est de prædicamento substantiæ, quantitatis, quantitatis, qualitatis, qualitatis, & sic discurrendo, nam actus, & potentia sunt eiusdem prædicamenti, per Aristotelem 9.diuiniorum.

Ad conciliandas has opiniones, in verbis solum differentes, dicimus primam opinionem esse veram, quod non distinguuntur vt duæ res, sed bene vt duæ realitates, quod intellexerunt Doctores secundæ sententiæ, vnde cessant omnia argumenta, nam primum primæ opinionis probat, durationem esse rei, stare cum existentia in eadem re, sed non in eadem realitate, quod & secundum probat, & tertium sed solum habeas pro responsione ad tertium, quod existentia dicitur vltima actualitas in ordine ad causam effectiuam, quia terminat rei productionem. At duratio mensurat esse in genere causæ formalis, vnde variatur genus causæ.

LECTIO XIV.

QVÆSTIO X.

Vtrum tempus sit numerus motus, secundum prius, & posterius.

VIdetur quod tempus non sit numerus. Primo. Nam quantitas continua,

tinua, & quantitas discreta distinguuntur specie. Sed tempus est quantitas continua, & numerus quantitas discreta, vt patet per Aristotelem cap.de quantitate. Ergo tempus non est numerus.

Secundo. Numeratum non est numerus. Sed tempus est numeratum, per Commentatorem, numeratur enim numero formali. Ergo &c.

Tertio. Numerus est plurium. Ergo in diffinitione dicendum est, tempus est numerus motuum, & non numerus motus.

Quarto. Numerus est discretorum, cum sit quantitas discreta. Sed prius, & posterius in motu, & tempore sunt continua. Ergo non est numerus motus, secundum prius, & posterius.

Quinto. Si tempus est motus, aut tempus consequitur motum sensibilem extra animam, aut motum animæ, aut omnem motum. Non primum, quia sic qui non perciperet motum sensibilem, non perciperet tempus. Non secundum, quia sic tempus esset intentio animæ. Non tertium, quia sic tot essent tempora, quot motus. Ergo &c.

Sexto. Tempus est mensura motus. Sed mensura, & mensuratum sunt in tertio modo relatiuorum quorum vnum potest esse absq. alio. Ergo tempus necessario non erit motus.

Septimo. Si tempus est numerus, aut est numerus partium motus, secundum quod vna pars est prior, & altera posterior. Vel est numerus secundum mutata esse indiuisibilia, quorum vnum est prius, & alterum posterius. Non primum, quia illæ partes sunt continuæ, & inter illas non est discretio. Non secundum, quia mutata esse sunt discreta. At tempus non est numerus discretorum, sed continuorum.

Octauo. Absolutum non est respectiuum. Sed tempus est quoddam absolutum, & prius & posterius quoddam respectiuum. Ergo tempus non est numerus motus, secundum prius, & posterius.

Nono. Prius, & posterius infra diffiniuntur per tempus, & modo tempus diffinitur per prius, & posterius. Ergo committitur circulus vitandus.

Decimo. Vel prius, & posterius in tempore, sunt prius, & posterius spacij, vel motus. Non spacij, quia permanent. Non motus, quia sic tempus, & motus essent idem.

Vndecimo. Mensura est indiuisibilis, & minuta. Sed tempus est diuisibile, & longissimum. Ergo non erit numerus, idest mensura motus.

Duodecimo. Mensura debet esse manifesta. Sed tempus, est immanifestum, quare dicebat D.Augustinus 11.Confess. cap.14. Quid est tempus si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare voluero, nescio. Ergo tempus non est numerus, idest mensura.

Tertiodecimo. Falsum videtur tempus esse numerum prioris, & posterioris in motu primi mobilis. Nam Gene. 1. habemus posita fuisse luminaria in firmamento cœli, vt diuiderent diem, ac noctem, essentque in signa, & tempora, dies, & annos, vnde per stellas, per solem, & lunam distinguimus dies, annos, & menses.

Quartodecimo. Tempus non solum est numerus motus, sed etiam quietis, quia etiam quies mensuratur tempore, vt asserit D. Augustinus lib. 11. Confess. cap.24. Ergo male omissa est illa particula, est numerus motus, & quietis.

Pro enodatione huius quęstionis, omissis multis opinionibus de tempore, in Scolis antiquorum disputatis, quas licet videre apud Conimbricenses, quæst. 1. de tempore in hoc 4.

Primo notãdum venit circa illam particulam, quod tempus sit numerus, duplicem esse numerum. Primus dicitur numerans, vt 1.2.3. Secundus numerus dicitur numeratus verbi gratia duæ horæ, tres homines Primus vocatur numerus formalis, quia se habet vt quo res numeratæ numerantur. Secundus vero dicitur numerus materialis, quia respicit ipsa numerata materialia. Tempus non dicitur numerus numerans, sed numerus numeratus prioris, & posterioris motus, & partium rei motæ. Sed hoc etiam bifariam intelligi potest. Primo materialiter idest vt sit numerus rei, vt stat sub duratione. Secundo formaliter vt consideramus rem, existentem sub duratione secundum se continua, distingui ab anima in præteritum, præsens, & futurum,

Tẽpus est numerus.

rum, in dies, menses, & annos, nam intellectus aptus natus est continua diuidere, & hoc secundo modo tempus dicitur numerus formaliter, & completiue.

Motus. Secundo adnotandum venit, quod tempus sit numerus motus, dupliciter considerari potest. Primo considerando motum vt dicit formam imperfectam, continuo ad esse perfectum tendentem. Secundo vt significat prioritatem, & posterioritatem. Nam si primo modo consideretur, sic à tempore distinguitur, quia tempus, vt tempus non dicit esse formæ in subiecto. Secundo ergo modo tempus dicitur numerus motus, quia tempus consequitur motum, prout in motu datur prius, & posterius, quia hanc prioritatem, & posterioritatem mensurat tempus.

Actiue, & passiue. Tertio notandum est, tempus esse numerum motus bifariam posse intelligi. Primo actiue idest tempus est numerus numerans motum. Secundo passiue idest tempus est numerus numeratus. Auerroes hic textu 102.103. & Conimbr. q. 1. de tempore, docent tempus esse numerum motus actiue idest est numerus numerans prius, & posterius motus. Oppositum docent alij plures, quibus videtur fauere S. D. opusculo de tempore cap. 2. Toletus, & Ruuio hic: nam docent tempus esse numerum motus passiue. At ego distinguendum puto, dicendo, quod tempus dupliciter inspici potest. Primo secundum realitatem quam habet secundum se in motu primi orbis, & sic videtur numerus motus passiue, quia sic causatur ex circulationibus primi cæli. Secundo potest considerari formaliter, & complete, secundum quod habet esse formale, & completum ab anima numerante prius, & posterius motus, & sic videtur teneri actiue, quia per animam numerat motum.

Secũdũ prius, et posteri⁹. Quarto adnotãdum est circa lyprius, & posterius, quod prius, & posterius duobus modis sumi possunt. Primo pro priori, & posteriori temporis, habet enim tempus suum prius, & posterius. Secundo modo potest sumi pro priori, & posteriori motus, vel localis, vel augmenti, & decrementi, vel alterationis, secundum quod in his motibus reperitur prius & posterius, & sic sumitur in diffinitione temporis, vnde tempus dicitur numerus motus, secundum prius, & posterius.

Conclusio probatur. Secundo loco principali ponitur hæc conclusio. Recte assignata fuit diffinitio temporis sic. Tempus est numerus motus, secundum prius, & posterius. Probatur ergo primo, quod tempus sit aliquid motus. Nam simul sentimus motum, & & tempus. Vel ergo tempus est motus, vel aliquid motus. Sed non est motus, vt visum est. Ergo erit aliquid motus.

Secundo probat Phil. quod tempus sit numerus motus. Illud quo iudicamus aliquid plus, vel minus, est numerus eius. Sed motum iudicamus maiorem, vel minorem ex tempore. Ergo tempus erit numerus motus.

Tertio probatur quod tempus sit numerus motus, secundum prius, & posterius sic. Cognito priori, & posteriori in motu, cognoscimus tempus. Ergo tempus est numerus motus secundum prius, & posterius. Antecedens patet, quia prius, & posterius motus, est causa cognitionis temporis.

Circa supradictas autem probationes. Primo venit notandum circa probationem, quod tempus est numerus motus, quod aliter diffinimus accidentia in concreto, & aliter in abstracto, dum enim ea diffinimus in abstracto, ea per propriũ genus diffinimus, & loco differentiæ ponimus subiectum, quia differentia accidentis abstracti causatur ex principijs subiecti. Dum autem diffinimus accidentia in concreto, quia ea diffinimus per modum substantiæ, hinc cum genus à materia sumatur, ponimus subiectum loco generis. Verbi gratia. Si diffiniamus simitatem in abstracto, dicemus, quod est curuitas nasi, at in concreto, quod est nasus curuus. Cum igitur tempus diffinitum sit in abstracto, ideo diffinitum est per proprium genus.

Secundo notandum venit circa probationem terræ particulæ, quod tempus causetur ex priori, & posteriori, in motu, bifariam hoc intelligi potest. Primo secundum prius, & posterius motus, in magnitudine, & sic videtur solum verificari de tempore mensurante motum localem,

lem, quia talis solum fit supra magnitudinem. Secundo secundum prius, & posterius motus vt sic, & ita cōtinuitas motus supra magnitudinem non erit præcisa ratio continuitatis cuiuscunq; motus, vt dicemus suo loco de motu augmenti, & alterationis.

Ad primum argumentum respondetur, quod tempus dupliciter considerari potest. Primo solitarie, & secundum se, & sic cum secundum se sit numerus, erit quantitas discreta. Secundo potest considerari subiectiue, vt est in subiecto mēsurabili priori, & posteriori motus continui, & sic vocabitur quantitas continua. Secundo respondetur, quod numerus numerans, per actum animæ est quātitas discreta. At numerus numeratus prioris, & posterioris in motu continuo, vt est tempus, est quantitas continua.

Ad sēm dictum est in tertio notabili.

Ad tertium dicendum, quod tempus ad duo potest referri. Primo ad prius, & & posterius motus, & sic numerus dicitur plurium. Secundo ad motum, & sic dicitur numerus motus, habentis prius, & posterius.

Ad quartum dicendum est vt supra.

Ad quintum dicendum, quod tempus depēdet a motu primi mobilis, vnde cessant omnia assumpta in argumento.

Ad sextum dicendum, quod tempus dupliciter consideratur. Primo vt mensura cuiuscunque motus, & sic potest esse sine vno motu, sed non sine omni motu. Secundo vt est passio motus primi mobilis, & sic fit mensura cæterorum motuum, & ita nō potest esse sine omni motu, & hoc modo non dicitur mensura absolute, sed mensura inseparabilis, & formalis, quæ non potest esse sine mensurato.

Ad septimum dicendum, quod tempus dicitur numerus partium motus, secundum quod vna pars est prior, & altera posterior, non quidem secundum esse, sed secundum apprehensionem, & designationem per actum animæ.

Ad octauum dicendum quod prius, & posterius formaliter dicunt respectum, sed fundamentaliter important absolutum idest motum.

Ad nonum dictum est in quarto notabili.

Ad decimum dictum est pariter, quod prius, & posterius posita in diffinitione temporis sunt prius, & posterius motus, cum ordine ad spacium continuum &c.

Ad vndecimum dicendum, quod duplex est mensura. Prima dicitur mensurans, & hæc consistit in indiuisibili. Secunda dicitur mensura mensurata, & hęc longa est, & breuis, diuisibilis, & indiuisibilis, secundum quantitatem rei mensuratæ, & talis mensura est tempus, vnde cum tempus sit longissimum, talis etiam est eius mensura. Sed hic aduerte quod tempus bifariam considerari potest. Primo vt quoddam totum, & sic realiter stat in successione, quia est totum successiuum. Secundo vt respicit instantia quorum vnum dicitur principium futuri, & aliud terminus præteriti, inter quæ duo instantia intelligitur mediare tempus, & sic intelligitur existere in rerum natura solum per instantia, quia de tempore non habemus nisi nunc, & res dum fit, permanenter non est.

Ad duodecimum dicitur, quod tempus est notum secundum se, sed ratione nostri notificatur ex motu.

Ad decimumtertium dicitur, quod in primo mobili vt in prima, & maxime vniformi mēsura residet tempus, in alijs vero orbibus prout habent cum eo collationem, vnde Sol annos facit, & luna menses, sed primus orbis dies naturales constituit, & ex his fiunt mēses, & anni.

Ad decimumquartum dicitur, quod mensurare secundum prius, & posterius conuenit solum motui per se, quieti vero per aliud, idest per ordinem ad motū, vt annuit Aristoteles 8. Phys. tex. 83. & secundo de coelo text. 36. & ideo omissa est.

LECTIO XV.

QVAESTIO XI.

Vtrum sit vnum instans in toto tempore.

Videtur quod non. Primo. Nam sicut se habet mutatum esse ad motum, ita nunc ad tempus. Sed in motu sunt plura mutata esse, & motus. Ergo etiam in tempore erunt plura nunc. Minor patet.

tet. Maior prob. quia indiuisibile temporis est nunc, & indiuisibile motus, mutatum esse.

Secundo. Si in toto tempore est tantũ vnum nunc. Ergo omnia mutata esse, & omnes partes motus sunt simul. Sed hoc est absurdum, vt patet. Ergo &c. Maior prob. quia ea simul sunt, quæ in eodem nunc sunt.

Tertio. Nunc non potest bis demonstrari. Ergo raptim transit, & non est vnum, Antecedens est Philosophi.

Quarto. Cuiuslibet finiti diuisibilis oportet esse duos terminos. Sed tempus v.g. hora, est quoddam diuisibile finitum. Igitur habebit duo nunc pro terminis.

Quinto. Si esset vnum nunc in toto tempore, sequeretur quòd accidens migraret de subiecto in subiectũ. Sed hoc est falsum. Ergo &c. Assumptum prob. Quia de vno mutato esse, transit ad aliud mutatum esse.

Sexto. Aut hoc nunc esset terminus discreti, vel continui. Non primum, quia non datur tempus discretum. Non secundum. Quia cuiuslibet continui dantur duo termini distincti.

Septimo. Per nunc temporis cognoscimus prius, & posterius in tempore. Sed hoc non fit per vnum nunc, quia nec etiam per vnum mobile cognoscimus prius, & posterius in motu. Ergo non datur vnum instans in toto tempore.

Punctũ duplex intrinsecum, & extrinsecum. Pro enodatione huius quæstionis. Primo notandum venit, vt ascendamus ad cognitionem vnius nunc in toto tempore, quod in linea dantur duo puncta scilicet intrinsecum, & extrinsecum. Punctũ extrinsecum illud est, quod suo motu intelligitur causare lineam suo fluxu, & sua continuatione. Dicitur autem extrinsecum, quia non est de ratione intrinseca lineæ, cum non possit esse in diuersis partibus lineæ. Nec etiam habet rationem termini lineæ, quia terminos lineæ intelligimus duo puncta, quorum vnum se habet vt principium, & aliud vt finis, vnum autem instans hac duplici ratione gaudere non potest. Nec continuat lineam, quia sic haberet plures partes in linea. Punctum intrinsecum illud dicitur, quod lineam continuat, & in actu habet rationem duorum punctorum, & in potentia infinitorum, secundum quod in linea intelligũtur esse infinita puncta in potentia, quia linea est diuisibilis in infinitum. Puncta autẽ in actu sunt principium, & finis lineæ.

Ita duplex nũc intrinsecum, & extrinsecum. Secundo notandum, quod similiter in tempore sunt duo nunc, siue duo instantia, vel momenta. Primum dicitur extrinsecum, quod intelligimus suo fluxu, & motu causare tempus, sicut dictum est punctum extrinsecum apud Geometrã causare lineam. Sed hoc instans neque continuat tempus, neque ipsum terminat, aliter non haberet rationem vnius instantis, quia terminans, & terminatũ, continuum, & continuans, intelliguntur esse distincta. Secundum igitur instans dicitur intrinsecum, quia diuidit tempus prius, & posterius, ipsum continuat, & terminat, vt de eius intrinseca ratione. Si loquamur ergo de instanti intrinseco dicendum venit, quod in toto tempore sunt plura instantia, quoniam idem non potest esse, principium, & finis. Loquendo vero de instanti extrinseco, sic dicimus esse vnum in toto tempore, quia vnum est subiectum in quo subiectatur, vt vnum accidens. i. in primo mobili.

Primũ mobile tripliciter consideratur. Tertio ergo notandum, quod primum mobile, tripliciter considerari, potest. Primo: secundum suam substantiam, & sic cum sit incorruptibile, & vnum esse perpetuum habeat vnico nunc mensuratur, quod secundum Aristotelem potest dici æternitas, & secundum Theologos æuum. Secundo modo consideratur quatenus est in motu, & diuersa vbi acquirit, nihil perdendo de sua substantia, & sic dicitur sub perpetuo motu vniformi, & inuariabili, & propterea affirmamus dicere vnum tempus, sicut dicit vnum motum. Tertio modo consideratur quoad esse accidentale, quod habet in diuersis instantibus temporis, mensurantis mutationem rei generabilis, & corruptibilis: & hoc tertio modo in primo mobili ponimus plura instantia causaliter, quia omnis motus est à primo motu, non tamen formaliter, quia tempus vt in primo mobili subiectatur, semper eodem modo est vniforme, & inuariabile.

Nunc intrinsecũ & extrisecũ differunt. Quarto animaduertendum venit, quod nunc extrinsecum, quod vnum tempus constituit, & intrinsecum quod plura

plura tempora facit, pluribus modis differunt. Primo, quia nunc extrinsecum ponitur mensura primi mobilis, & propterea cum vnum sit primum mobile, vniformi motu gaudens, vnicum dicimus esse instans. Intrinsecum vero ponitur mensura non primi mobilis, sed rerum, quæ dicuntur habere diuersa mutata esse, quæ cum plura sint, ideo dicimus similia nunc plura esse. Secundo differunt, quia nunc extrinsecum habet pro subiecto primum mobile, & nunc intrinsecum mutata esse. Tertio differunt, quia nunc extrinsecum causaliter tantum, & non formaliter terminat, vel continuat partes temporis, intrinsecum vero formaliter illas continuat, & terminat.

Quinto animaduertēdum venit, quod esse vnum instans in toto tempore dupliciter, potest intelligi. Primo secundum rem subiectiue, & hoc est quod asserit Philosophus idest; quod subiecto, & realiter est vnum instans in toto tempore. Secundo, secundum rationem, prout consideramus diuersa instantia, & diuersas partes in eodem tempore, & sic in eo ponuntur plura instantia, & plures partes. Quomodo autem hoc sit verum multi multa dicunt. At ego puto dicendum, quod esse vnum nunc reale in toto tempore, & plura distincta secundum rationem bifariam potest intelligi. Primo vt tempus subiectatur in primo mobili, & sic est vnum nunc, quia in motu eius nulla est mutatio, nulla variatio, & maxima vniformitas. Secundo, vt perficitur per rationem nostram, ipsum distinguentem in lustra, annos, menses, dies, horas, & momenta, & sic in tempore sunt diuersa nunc. Sed ne intelligas diuersas partes, & diuersa nunc temporis esse tantum à ratione, nam fundamentaliter, & aptitudinaliter sunt à natura temporis, entis successiui, & diuisibilis secundum prius, & posterius, completiue tamen & formaliter dicuntur esse à ratione, quia hæc est illa, quæ has partes actu, & formaliter distinguit, & nominat.

Secundo loco principali, ex Philosopho in textu elicimus hanc conclusionem. Vnum est nunc reale in toto tempore, & diuersum secundum rationem. Probatur, Sicut se habet tempus ad motum, ita nunc ad mobile, per commutatam proportionem. Sed vnum est mobile secundum substantiam in toto motu, & si diuersum sit secundum rationem, prout consideratur in diuersis vbi, &c. Ergo vnum est instans in toto tempore realiter, & plura distincta secundum rationem. Secundo. Nunc est vnitas primi mobilis, prout mobile est. Sed talis vnitas vna est, cum in eo detur maxima vniformitas. Ergo est vnum nunc tantum in tempore.

Tertio Causa est simul cum suo effectu, ex 5. Methaph. Sed nunc est causa temporis. Ergo semper erit cum tempore.

Contra autem hanc conclusionem sic explicatam, & probatam non militant argumenta Toleti, & Ruuio. Argumentatur enim Toletus. Primo contra exemplum datum de vno puncto extrinseco, & linea, & vno nunc extrinseco in tempore, & ait, quod nunc causans lineam habet solum locum in imaginatione, & non in re, nos autem loquimur hic de vno nunc non secundum imaginationem, sed secundum rem.

Secundo arguit, quod præsentia mobilis non facit vnum nunc formaliter, sed materialiter; nam formaliter, idest vt est sub motu, est vtique sub diuersis partibus motus.

Tertio arguit Ruuio ex Aristotele textu 100. vbi aperte docet, & alia esse momenta, idest nunc in tempore, quia tempus non est numerus numerans, sed numeratus.

Quarto, quia in tempore sunt diuersæ partes distinctæ realiter, quæ copulantur necessario ad diuersa nunc indiuisibilia.

Quinto, quia tempus continuo fluit, instans vero permanet, vnde pugnat cum tempore.

Sed hæc argumenta vt dixi non attingunt mentem nostram, qui loquimur de vno instanti subiectiue, & extrinseco. Vnde primum argumentum soluitur dicendo. Quod punctum extrinsecum non habet subiectum existens, & suppositum reale, sicut habet nunc temporis primum mobile, vnde in isto puncto vtimur imaginatione, & in nunc temporis realitate.

Z Secun-

tet. Maior prob. quia indiuisibile temporis est nunc, & indiuisibile motus, mutatum esse.

Secundo. Si in toto tempore est tantū vnum nunc. Ergo omnia mutata esse, & omnes partes motus sunt simul. Sed hoc est absurdum, vt patet. Ergo &c. Maior prob. quia ea simul sunt, quæ in eodem nunc sunt.

Tertio. Nunc non potest bis demonstrari. Ergo raptim transit, & non est vnum, Antecedens est Philosophi.

Quarto. Cuiuslibet finiti diuisibilis oportet esse duos terminos. Sed tempus v.g. hora, est quoddam diuisibile finitum. Igitur habebit duo nunc pro terminis.

Quinto. Si esset vnum nunc in toto tempore, sequeretur quòd accidens migraret de subiecto in subiectū. Sed hoc est falsum. Ergo &c. Assumptum prob. Quia de vno mutato esse, transit ad aliud mutatum esse.

Sexto. Aut hoc nunc esset terminus discreti, vel continui. Non primum, quia non datur tempus discretum. Non secundum. Quia cuiuslibet continui dantur duo termini distincti.

Septimo. Per nunc temporis cognoscimus prius, & posterius in tempore. Sed hoc non fit per vnum nunc, quia nec etiam per vnum mobile cognoscimus prius, & posterius in motu. Ergo non datur vnum instans in toto tempore.

Punctū duplex intrinsecum, & extrinsecum.

Pro enodatione huius quæstionis. Primo notandum venit, vt ascendamus ad cognitionem vnius nunc in toto tempore, quod in linea dantur duo puncta scilicet intrinsecum, & extrinsecum. Punctū extrinsecum illud est, quod suo motu intelligitur causare lineam suo fluxu, & sua continuatione. Dicitur autem extrinsecum, quia non est de ratione intrinseca lineæ, cum non possit esse in diuersis partibus lineæ. Nec etiam habet rationem termini lineæ, quia terminos lineæ intelligimus duo puncta, quorum vnum se habet vt principium, & aliud vt finis, vnum autem instans hac duplici ratione gaudere non potest. Nec continuat lineam, quia sic haberet plures partes in linea. Punctum intrinsecum illud dicitur, quod lineam continuat, & in actu habet rationem duorum punctorum, & in potentia infinitorum, secundum quod in linea intelligūtur esse infinita puncta in potentia, quia linea est diuisibilis in infinitum. Puncta autē in actu sunt principium, & finis lineæ.

Ita duplex nūc intrinsecum, & extrinsecum.

Secundo notandum, quod similiter in tempore sunt duo nunc, siue duo instantia, vel momenta. Primum dicitur extrinsecum, quod intelligimus suo fluxu, & motu causare tempus, sicut dictum est punctum extrinsecum apud Geometrā causare lineam. Sed hoc instans neque continuat tempus, neque ipsum terminat, aliter non haberet rationem vnius instantis, quia terminans, & terminatū, continuum, & continuans, intelliguntur esse distincta. Secundum igitur instans dicitur intrinsecum, quia diuidit tempus prius, & posterius, ipsum continuat, & terminat, vt de eius intrinseca ratione. Si loquamur ergo de instanti intrinseco dicendum venit, quod in toto tempore sunt plura instantia, quoniam idem non potest esse, principium, & finis. Loquendo vero de instanti extrinseco, sic dicimus esse vnum in toto tempore, quia vnum est subiectum in quo subiectatur, vt vnum accidens. i. in primo mobili.

Primū mobile tripliciter consideratur

Tertio ergo notandum, quod primum mobile, tripliciter considerari, potest. Primo: secundum suam substantiam, & sic cum sit incorruptibile, & vnum esse perpetuum habeat vnico nunc mensuratur, quod secundum Aristotelem potest dici æternitas, & secundum Theologos æuum. Secundo modo consideratur quatenus est in motu, & diuersa vbi acquirit, nihil perdendo de sua substantia, & sic dicitur sub perpetuo motu vniformi, & inuariabili, & propterea affirmamus dicere vnum tempus, sicut dicit vnum motum. Tertio modo consideratur quoad esse accidentale, quod habet in diuersis instantibus temporis, mensurantis mutationem rei generabilis, & corruptibilis: & hoc tertio modo in primo mobili ponimus plura instantia causaliter, quia omnis motus est à primo motu, non tamen formaliter, quia tempus vt in primo mobili subiectatur, semper eodem modo est vniforme, & inuariabile.

Nunc intrinsecū & extrāsecū differunt.

Quarto animaduertendum venit, quod nunc extrinsecum, quod vnum tempus constituit, & intrinsecum quod plura

plura tempora facit, pluribus modis differunt. Primo, quia nunc extrinsecum ponitur mensura primi mobilis, & propterea cum vnum sit primum mobile, vniformi motu gaudens, vnicum dicimus esse instans. Intrinsecum vero ponitur mensura non primi mobilis, sed rerum, quæ dicuntur habere diuersa mutata esse, quæ cum plura sint, ideo dicimus similia nunc plura esse. Secundo differunt, quia nunc extrinsecum habet pro subiecto primum mobile, & nunc intrinsecum mutata esse. Tertio differunt, quia nunc extrinsecum causaliter tantum, & non formaliter terminat, vel continuat partes temporis, intrinsecum vero formaliter illas continuat, & terminat.

Diuersa habens. Quinto animaduertẽdum venit, quod esse vnum instans in toto tempore dupliciter, potest intelligi. Primo secundum rem subiectiue, & hoc est quod asserit Philosophus idest; quod subiecto, & realiter est vnum instans in toto tempore. Secundo, secundum rationem, prout consideramus diuersa instantia, & diuersas partes in eodem tempore, & sic in eo ponuntur plura instantia, & plures partes. Quomodo autem hoc sit verum multi multa dicunt. At ego puto dicendum, quod esse vnum nunc reale in toto tempore, & plura distincta secundum rationem bifariam potest intelligi. Primo vt tempus subiectatur in primo mobili, & sic est vnum nunc, quia in motu eius nulla est mutatio, nulla variatio, & maxima vniformitas. Secundo, vt perficitur per rationem nostram, ipsum distinguentem in lustra, annos, menses, dies, horas, & momenta, & sic in tempore sunt diuersa nunc. Sed ne intelligas diuersas partes, & diuersa nunc temporis esse tantum à ratione, nam fundamentaliter, & aptitudinaliter sunt à natura temporis, entis successiui, & diuisibilis secundum prius, & posterius, completiue tamen & formaliter dicuntur esse à ratione, quia hæc est illa, quæ has partes actu, & formaliter distinguit, & nominat.

Conclusio probatur. Secundo loco principali, ex Philosopho in textu elicimus hanc conclusionem. Vnum est nunc reale in toto tempore, & diuersum secundum rationem. Probatur, Sicut se habet tempus ad motum, ita nunc ad mobile, per commutatam proportionem. Sed vnum est mobile secundum substantiam in toto motu, & si diuersum sit secundum rationem, prout consideratur in diuersis vbi, &c. Ergo vnum est instans in toto tempore realiter, & plura distincta secundum rationem. Secundo. Nunc est vnitas primi mobilis, prout mobile est. Sed talis vnitas vna est, cum in eo detur maxima vniformitas. Ergo est vnum nunc tantum in tempore.

Tertio Causa est simul cum suo effectu, ex 5. Methaph. Sed nunc est causa temporis. Ergo semper erit cum tempore.

Contra autem hanc conclusionem sic explicatam, & probatam non militant argumenta Toleti, & Ruuio. Argumentatur enim Toletus. Primo contra exemplum datum de vno puncto extrinseco, & linea, & vno nunc extrinseco in tempore, & ait, quod nunc causans lineam habet solum locum in imaginatione, & non in re, nos autem loquimur hic de vno nunc non secundum imaginationem sed secundum rem.

Secundo arguit, quod præsentia mobilis non facit vnum nunc formaliter, sed materialiter; nam formaliter, idest vt est sub motu, est vtique sub diuersis partibus motus.

Tertio arguit Ruuio ex Aristotele textu 100. vbi aperte docet, & alia esse momenta, idest nunc in tempore, quia tempus non est numerus numerans, sed numeratus.

Quarto, quia in tempore sunt diuersæ partes distinctæ realiter, quæ copulantur necessario ad diuersa nunc indiuisibilia.

Quinto, quia tempus continuo fluit, instans vero permanet, vnde pugnat cum tempore.

Sed hæc argumenta vt dixi non attingunt mentem nostram, qui loquimur de vno instanti subiectiue, & extrinseco. Vnde primum argumentum soluitur dicendo. Quod punctum extrinsecum non habet subiectum existens, & suppositum reale, sicut habet nunc temporis primum mobile, vnde in isto puncto vtimur imaginatione, & in nunc temporis realitate.

Secundum cessat, quia motus primi orbis vniformis est, & inuariabilis, & secundum se, & ratione subiecti.

Argumenta autem Ruuio procedunt de nunc intrinseco, quod plurificatur, & ita etiam de hoc nunc, & non de extrinseco procedunt argumenta principalia.

QVAESTIO XII.

An sit vnum numero tempus.

EX solutione superioris quæstionis altera soluta remanet, scilicet an sit vnum numero tempus. Nam de tempore dupliciter loqui contingit. Primo de tempore discreto, quo mensurantur ope rationes Angelorum, & de hoc non loquimur, quia aliud tempus est. Secundo loquendo de tempore continuo, quod subiectatur in primo mobili, & de hoc est controuersia. Nam Gregorius 2. dist. 2. quæst. 1. Simplicius, Themistius, & plures alij tenuerunt plura esse tempora numero, secundum pluralitatem quorumcunque motuum, adeo vt secundum hos quilibet motus habeat suum tempus.

Vtrũ est tẽpus vnu mero. Alia est sententia S. Doctoris hic. Alberti cap. 17. Auerrois textu 132. Ferrariensis quæst. vltima. Soto q. 4. & Duran. in 2. dist. 2. q. 2. Hi enim omnes tenent vnum esse tempus numero, quia habet vnum tantum numero subiectum, scilicet primum mobile. Dicendum est ergo, quod resolutio huius quæstionis ex superiori pendet; nam loquendo de tempore quo ad diuersa nunc intrinseca, sic plura sunt tempora, quia plura sunt mobilia, & plures sunt motus. Si vero loquamur de tempore quoad nunc extrinsecum, idest vt subiectatur in primo mobili; sic dicitur tantum vnum esse, sicut vnum est mobile motu maxime vniformi, regulari, & perpetuo. Sufficit autem quod tempus in eo fundetur, vel actualiter, vel virtualiter, quia si cessaret motus primi mobilis, prout cessauit per horas tempore Iosue, numeratio tamen fieret secundum mensuram motus eius per spacium viginti quatuor horarum, quo cõplet cursum suum. Materialiter ergo plures sunt motus, & plura sunt tempora, quia plura sunt mobilia, sed formaliter sicut est vnum primum mobile, ita est vnum primum tempus, ad quod omnes motus referuntur, vt ad primam suam regulam, vel mensuram, per quam mensurantur, vel mensurari debent.

LECTIO XVI.

Quod quidem igitur tempus numerus motus. tex. 108.

POstquam Philosophus egit de natura temporis, nunc intendit tractare de proprietatibus eius. Dicit itaque manifestum esse ex dictis, tempus habere prius, & posterius, & esse quoddam continuum. Sed quod tempus sit continuum, dicit posse bifariam intelligi. Primo vt est numerus, & ita est discretum, quia numerus est quantitas discreta. Secundo vt est numerus motus, & sic cum motus sit quoddam continuum, tempus quoque dicitur esse continuum.

Secundo dicit, quod tempus non est numerus numerans, sed numeratus, & quod in numero numerante est inuenire minimum, minimum enim numeri simpliciter, & absolute sumpti, idest numerantis est dualitas. At in numero numerato rei continuæ sit inuenire minimum, duobus modis potest intelligi. Primo multitudine, & sic est dare minimum numerum, & minimum tempus. Secundo magnitudine, & hoc non, quia cum tempus sit quoddam continuum cuiuslibet temporis dati, est accipere aliquas partes in quas diuiditur, quod explicat exemplo lineæ, nam secundum multitudinem datur minima linea, idest vna linea, vel duæ, non tamen secundum magnitudinem, quia qualibet linea minima data, adhuc est diuisibilis.

Tertio, assignat aliam proprietatem temporis, nempe quod dicatur breue, vel longum, multum, & paucum, sed nõ velox, vel tardum. Hoc autem prouenit, quia tempus est quoddam continuũ, continuum vero potest esse longum, vel breue, sicut linea dicitur longa, vel breuis. Et quia tempus est etiam numerus, qui respicit paucum, & multum, ideo vt numerus est dicitur multum, & paucũ. Non tamen tempus dici potest velox, vel tardum, quia numerus non dicitur velox, vel tardus, tempus vero est numerus.

merus. Sed animaduertendum venit circa hoc quod tempus non dicatur velox, vel tardum, propterea quia est numerus, & non numeratum, hoc inquam potest dupliciter intelligi. Primo, vt per hoc negetur quod tempus sit numerus numeratus, & ponatur numerus numerans, & hoc est contra id quod supra determinatum est. Secundo vt dicatur numerus numerans suas partes, & non numeratus a suis partibus, & hoc verum est, nam velox, & tardum tempus non numerant, sed a tempore numerantur, nam velox dicitur, quod pauco tempore numeratur, & tardum, quod multo tempore.

Quarto loco subdit, quod tempus est idem, & non est idem. Nam duobus modis considerari potest. Primo secundum se, & sic tempus semper est idem, non enim habet aliud, & aliud esse apud alios, & alios. Secundo secundum suas partes, & sic non est idem, quia prius temporis non est posterius eiusdem, hęc autē diuersitas nascitur ex diuersis nunc, prout nos distinguimus tempus in ætates, sæcula, lustra, annos, menses, dies, horas, & instantia.

Quinto assignat tempori aliam proprietatem, scilicet quod reiteratur, sicut & motus. Hoc autem intellige non numeraliter, quia præterita circulatio non est præsens. Hoc igitur intellige secundum speciem, quia v. g. dato quod motus solis inceperit a primo puncto Arietis, peracto cursu duodecim signorum Zodiaci in spacio vnius anni, ad idem punctum redibit, & de nouo nouum annum, & menses constituet.

Sexto loco ostendit Philosophus nos cognoscere tempus per motum, & motum per tempus, nam & tempus determinat motū, & motus tempus. Si enim cōsideretur tempus vt est numerus motus, sic motum determinat, secundum prius, & posterius. At si tempus consideretur respectu nostri, motus dicitur determinare tempus, quoniam dicimus tempus esse longum, vel breue, quando motus est longus, vel breuis.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum tempus sit ens reale.

Videtur quod non. Primo. Nam tempus est numerus numeratus. Ergo per animam numerantem. Ergo habet esse ab anima, & sic erit ens rationis.

Secundo. Tempus est continuum. Sed tempus vt quoddam continuum actu non existit, nam solum instans temporis existit. Ergo habebit esse ab anima componente, & copulante præteritum, cum futuro, in vno instanti præsenti.

Tertio. Quæ actu non existunt, entia realia non sunt. Sed partes temporis actu non existunt, nam præteritum non est, & futurum expectatur. Instans vero aliquid reale esse non potest, quia vel esset vnum instans cum toto tempore, vel plura. Si vnum, non copulabit nisi partes quas proxime tangit. Si plura, vnum alteri succedit, & sic erunt multa instantia immediata, quod à Philosopho non admittitur.

Quarto. Cum præteritum, & futurum non existant secundum se, si dicantur per instans existere, sequitur quod nō sint entia realia per se, sed per aliud, idest per instans existens.

Circa præsentem difficultatem tres opiniones inuenio. Prima fuit quorundam Philosophorum antiquorum, apud Albertum Magnum 4. huius, cap. 3. tract. 3. scilicet, quod tempus non est ens reale, sed rationis, apprehensum tantum, & imaginatum. *Opiniones.*

Secūda sententia sustinet tempus secundum se esse ens reale, & numerum prioris, & posterioris, nullamque complementum recipere ab anima numerante. Sic sentiunt Simplicius hic, in digressione de tempore, Albertus, cap. 3. & 10. Toletus, Pererius, & Ruuio, quod probant, quia secundum suam naturam, & non ab extrinseco conuenit tempori esse numerum prioris, & posterioris.

Tertia sententia S. Doctoris lect. vltima huius, & p. p. q. 10. artic. 1. Auerrois tex. 131. Ianduni quæst. 27. Ferrarien-

 sis

Secundum cessat, quia motus primi orbis vniformis est, & inuariabilis, & secundum se, & ratione subiecti.

Argumenta autem Rubio procedunt de nunc intrinseco, quod plurificatur, & ita etiam de hoc nunc, & non de extrinseco procedunt argumenta principalia.

QVAESTIO XII.

An sit vnum numero tempus.

EX solutione superioris quaestionis altera soluta remanet, scilicet an sit vnum numero tempus. Nam de tempore dupliciter loqui contingit. Primo de tempore discreto, quo mensurantur operationes Angelicae, & de hoc non loquimur, quia aliud tempus est. Secundo loquendo de tempore continuo, quod subiectatur in primo mobili, & de hoc est controuersia. Nam Gregorius 2. dist. 2. quaest. 1. Simplicius, Themistius, & plures alij tenuerunt plura esse tempora numero, secundum pluralitatem quorumcunque motuum, adeo vt secundum hos quilibet motus habeat suum tempus.

Vtrum est tēpus vnu mero. Alia est sententia S. Doctoris hic. Alberti cap. 17. Auerrois textu 132. Ferrariensis quaest. vltima. Soto q. 4. & Duran. in 2. dist. 2. q. 2. Hi enim omnes tenent vnum esse tempus numero, quia habet vnum tantum numero subiectum, scilicet primum mobile. Dicendum est ergo, quod resolutio huius quaestionis ex superiori pendet, nam loquendo de tempore quo ad diuersa nunc intrinseca, sic plura sunt tempora, quia plura sunt mobilia, & plures sunt motus. Si vero loquamur de tempore quoad nunc extrinsecum, id est vt subiectatur in primo mobili, sic dicitur tantum vnum esse, sicut vnum est mobile motu maxime vniformi, regulari, & perpetuo. Sufficit autem quod tempus in eo fundetur, vel actualiter, vel virtualiter, quia si cessaret motus primi mobilis, prout cessauit per horas tempore Iosue, numeratio tamen fieret secundum mensuram motus eius per spacium viginti quatuor horarum, quo complet cursum suum. Materialiter ergo plures sunt motus, & plura sunt tempora, quia plura sunt mobilia, sed formaliter sicut est vnum primum mobile, ita est vnum primum tempus, ad quod omnes motus referuntur, vt ad primam suam regulam, vel mensuram, per quam mensurantur, vel mensurari debent.

LECTIO XVI.

Quod quidem igitur tempus numerus motus. tex. 101.

POstquam Philosophus egit de natura temporis, nunc intendit tractare de proprietatibus eius. Dicit itaque manifestum esse ex dictis, tempus habere prius, & posterius, & esse quoddam continuum. Sed quod tempus sit continuum, dicit posse bifariam intelligi. Primo vt est numerus, & ita est discretum, quia numerus est quantitas discreta. Secundo vt est numerus motus, & sic cum motus sit quoddam continuum, tempus quoque dicitur esse continuum.

Secundo dicit, quod tempus non est numerus numerans, sed numeratus, & quod in numero numerante est inuenire minimum, minimum enim numeri simpliciter, & absolute sumpti, idest numerantis est dualitas. At in numero numerato rei continuae sic inuenire minimum, duobus modis potest intelligi. Primo multitudine, & sic est dare minimum numerum, & minimum tempus. Secundo magnitudine, & hoc non, quia cum tempus sit quoddam continuum cuiuslibet temporis dati, est accipere aliquas partes in quas diuiditur, quod explicat exemplo lineae, nam secundum multitudinem datur minima linea, idest vna linea, vel duae, non tamen secundum magnitudinem, quia qualibet linea minima data, adhuc est diuisibilis.

Tertio, assignat aliam proprietatem temporis, nempe quod dicatur breue, vel longum, multum, & paucum, sed nō velox, vel tardum. Hoc autem prouenit, quia tempus est quoddam continuū, continuum vero potest esse longum, vel breue, sicut linea dicitur longa, vel breuis. Et quia tempus est etiam numerus, qui respicit paucum, & multum, ideo vt numerus est dicitur multum, & paucū. Non tamen tempus dici potest velox, vel tardum, quia numerus non dicitur velox, vel tardus, tempus vero est numerus.

merus. Sed animaduertendum venit circa hoc quod tempus non dicatur velox, vel tardum, propterea quia est numerus, & non numeratum, hoc inquam potest dupliciter intelligi. Primo, vt per hoc negetur quod tempus sit numerus numeratus, & ponatur numerus numerans, & hoc est contra id quod supra determinatum est. Secundo vt dicatur numerus numerans suas partes, & non numeratus a suis partibus, & hoc verum est, nam velox, & tardum tempus non numerant, sed a tempore numerantur, nam velox dicitur, quod pauco tempore numeratur, & tardum, quod multo tempore.

Quarto loco subdit, quod tempus est idem, & non est idem. Nam duobus modis considerari potest. Primo secundum se, & sic tempus semper est idem, non enim habet aliud, & aliud esse apud alios, & alios. Secundo secundum suas partes, & sic non est idem, quia prius temporis non est posterius eiusdem, hęc autẽ diuersitas nascitur ex diuersis nunc, prout nos distinguimus tempus in ætates, sæcula, lustra, annos, menses, dies, horas, & instantia.

Quinto assignat tempori aliam proprietatem, scilicet quod reiteratur, sicut & motus. Hoc autem intellige non numeraliter, quia præterita circulatio non est præsens. Hoc igitur intellige secundum speciem, quia v. g. dato quod motus solis inceperit a primo puncto Arietis, peracto cursu duodecim signorum Zodiaci in spacio vnius anni, ad idem punctum redibit, & de nouo nouum annum, & menses constituet.

Sexto loco ostendit Philosophus nos cognoscere tempus per motum, & motum per tempus, nam & tempus determinat motũ, & motus tempus. Si enim cõsideretur tempus vt est numerus motus, sic motum determinat, secundum prius, & posterius. At si tempus consideretur respectu nostri, motus dicitur determinare tempus, quoniam dicimus tempus esse longum, vel breue, quando motus est longus, vel breuis.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum tempus sit ens reale.

VIdetur quod non. Primo. Nam tempus est numerus numeratus. Ergo per animam numerantem. Ergo habet esse ab anima, & sic erit ens rationis.

Secundo. Tempus est continuum. Sed tempus vt quoddam continuum actu non existit, nam solum instans temporis existit. Ergo habebit esse ab anima componente, & copulante præteritum, cum futuro, in vno instanti præsenti.

Tertio. Quæ actu non existunt, entia realia non sunt. Sed partes temporis actu non existunt, nam præteritum non est, & futurum expectatur. Instans vero aliquid reale esse non potest, quia vel esset vnum instans cum toto tempore, vel plura. Si vnum, non copulabit nisi partes quas proxime tangit. Si plura, vnum alteri succedit, & sic erunt multa instantia immediata, quod à Philosopho non admittitur.

Quarto. Cum præteritum, & futurum non existant secundum se, si dicantur per instans existere, sequitur quod nõ sint entia realia per se, sed per aliud, idest per instans existens.

Circa præsentem difficultatem tres opiniones inuenio. Prima fuit quorundam Philosophorum antiquorum, apud Albertum Magnum 4. huius, cap. 3. tract. 3. scilicet, quod tempus non est ens reale, sed rationis, apprehensum tantum, & imaginatum. *Opiniones.*

Secũda sententia sustinet tempus secundum se esse ens reale, & numerum prioris, & posterioris, nullamque complementum recipere ab anima numerante. Sic sentiunt Simplicius hic, in digressione de tempore, Albertus, cap. 3. & 10. Toletus, Pererius, & Ruuio, quod probant, quia secundum suam naturam, & non ab extrinseco conuenit tempori esse numerum prioris, & posterioris.

Tertia sententia S. Doctoris lect. vltima huius, & p. p. q. 10. artic. 1. Auerrois tex. 131. Iandum quæst. 27. Ferrariensis

sis 1.con.gen.c.10. Capreoli in 2.d.2. Iauelli hic q 24. & Conimbricẽsium tract. de tempore, in quam consentit tandem Toletus in fine quæstionis. Hi enim omnes tenent tempus bifariam considerari posse. Primo materialiter, & secundum se, & sic est verum ens reale, quia vere, & realiter est numerus prioris, & posterioris motus, qui est ens reale. Secundo formaliter, & completiue, prout intelligimus illud prius, & posterius motus ad vnum instans adunari, & diuidi in plures annos, menses, & dies, &c. & sic dicunt hoc complementum habere ab anima.

Tẽpus hẽt complementum ab anima. Secundo igitur notãdum venit, quod tempus includat prius, & posterius bifariam intelligi potest. Primo aptitudine, scilicet quod tempus omni intellectu præciso, adhuc sit numerus prioris, & posterioris, idest est numerus numerabilis. Secundo actu, & formaliter, & completiue, & sic dicimus hanc formalitatem, & formalitatis complementum habere ab anima coniungente, componente, & diuidente hoc prius, & posterius, in annos, menses &c. Errant igitur aduersarij arbitrantes nos negare tempus secundum suam naturam non esse ens reale, hoc enim, nec diximus, nec somniamus, patet enim Gene.1. posuisse Deum luminaria cæli, vt essent in signa, & tempora &c. Volumus ergo dicere non explicari a nobis, neque sub tali actu exprimi nisi per actum animæ. Ideo.

Vt est quoddã totum. Tertio notandum est, cum S. D. hic, & Alberto Magno cap. 10. quod tempus bifariam considerari potest. Primo quidem secundum suas partes, idest non solum secũdum prius, & posterius, verum etiam secundum diuersa priora, & posteriora, & sic dicitur habere esse reale, quia vere, & realiter hæc reperiuntur in re mobili, in esse suo considerato. Secundo potest tempus considerari secundum quod est quoddam totum. i. vt sumitur per modum horæ, mensis, vel anni, & sic dicitur habere esse a ratione, quia ratio est illa, quæ coacervat, & coadunat tot circulationes, vel intensiones formæ secundum tot priora, & posteriora, & hac distinguit in horas, dies &c. & hoc modo dicitur habere complementum à ratione formali.

Præcipue in ordine ad Deũ. Quarto notandum venit cum eodem S.D. quod numerabilitas, & mensurabilitas temporis dupliciter inspici potest. Primò vt dependet a ratione formaliter, vt supra, & sic ei conuenit quasi ab extrinseco, quia non facit ad eius complementum, vt res est, sed vt intellectum est. Secundo vt dependet ab intellectu increato Dei, qui cum diuina voluntate omnium est causa, & sic hoc habet ex se, & a Deo, vnde si adhuc nullus esset intellectus creatus, tamen in tempore realiter, & materialiter esset numerabilitas, quia à Deo numeraretur diuturnitas rei motæ in ordine ad primum mobile.

Conclusiones probantur. Secundo loco principali ponuntur duæ conclusiones. Prima ponitur contra primam opinionem, & est. Tempus non acquirit suum esse ab intellectu, vnde non est ens rationis. Hanc Toletus probat septem rationibus.

Prima est. Ens rationis ad nullum pertinet prædicamentum in singulari. Sed tempus pertinet ad quantitatem, vt eius species. Ergo. &c.

Secunda. Tempus realiter numerat motum, At motus potest esse sine intellectu. Ergo & tempus.

Tertia. Tempus non est numerus numerans, sed numerus numeratus. Ergo habet esse in rebus numeratis per motum.

Quarta. Ablato numerante, non destruitur numerabile, sicut ablata scientia, non tollitur scibile. Sed tempus secundum se est numerabile secundum prius, & posterius motus. Ergo &c.

Quinta. Sublato intellectu adhuc in motu est prius, & posterius. Ergo & tempus, quod hoc mensurat.

Sexta. Quantitas discreta non est ens rationis. Sed tempus est quantitas discreta. Ergo &c.

Septima. Quia sic etiam motus essent ens rationis.

Secunda conclusio est. Tempus vt est quoddam totum formaliter, accipit cõplementum ab intellectu. Probatur primo ex Aristot. expresse dicente cap. 14. quod

quod tempus est numerus prioris, & posterioris dependens ab anima numerante. Sed ab ea non dependet secundum suum esse reale. Ergo ab ea dependet tantum secundum suum esse formale completiuum.

Secundo. Tempus est quantitas continua, & tamen aliquo modo, vt est numerus fit discreta, non à re, cum ab ea habeat continuitatem. Ergo à ratione.

Tertio. Aut tempus nullo modo dependet ab anima, aut aliquo modo. Non primum, cum sit expresse contra Philosophum. S. Doctorem, ac omnes Illustres expositores. Si secundum, si non dependet ab anima secundum suum esse aptitudinale, & materiale. Ergo secundum esse formale, & completiuum actuale.

Argumenta soluuntur. Ad primum patet, quod tempus ex sua natura habet aptitudinaliter quod sit enim merus numeratus, non actu, & per modum totius, nisi ei superueniat actus animæ, à qua dicitur accipere esse formale, & completiuum.

Ad secundum dicimus, non solum instans existere, sed etiam partes temporis, nō per modum permanentis, vt existit instans, sed vt ens successiuum, nam duplex est ens reale scilicet permanens, & successiuum.

Ad tertium diximus, & dicimus, vnum esse instans extrinsecum, & plura intrinseca, sed non immediata, quia inter instans, & instans tempus mediat.

Ad quartum dicitur, quod partes temporis per se existunt, sed successiue, permanenter autem dicuntur per aliud existere, scilicet per instans præsens, quod intelligitur finis præteriti, & principium futuri.

Breues annotationes de mensuris durationis.

MVltæ sunt mensuræ durationis, à Theologis, & Phil. traditæ, de quibus per extensum non est opus agere, cum negocium Physicum superent, ideo pro nunc quædam breuiter adnotabo, quæ in p. p. D. Thom. adamussim explicabo, durationes istæ sunt Aeternitas essentialiter. Aeternitas participata. Aeuum, & tempus, discretum, & continuum.

Aeternitas est tota simul. Quo ad æternitatem ergo primo dicimus contra Gabrielem in secundo d. 1. quæst. 1. conclus. 7. Aeternitatem esse totam simul, nec vllam successionem admittere, quare cum Deum mensuret, cuius esse est semper esse, ideo in ea non admittimus nec præteritum, nec futurum, iuxta illud domini nostri in D. Ioanne, Amen dico vobis quod antequam Abraham esset, ego sum, & alibi. Ego sum, qui sum.

Secundum se. Secundo notandum, quod æternitas bifariam considerari potest. Primo secundum se, & sic est tota simul, & per hoc differt ab alijs durationibus. Secundo ratione nostri, prout tempori nostro coexistit, & sic in ea quandoque admittimus præteritum, præsens, & futurum, vnde dicimus modo tot annos transisse à quibus coexistebat Adæ.

Mensurat Deum. Tertio notandum venit, quod solus Deus æternitate mensuratur, quia ipse solus omnino est immutabilis. Nam duplex est mutatio. Prima est secundum substantiam, & operationem, & sic mutabilia sunt omnia generabilia, & corruptibilia. Secunda est secundum operationem, sed nō secundum substantiam, vt sunt Angeli, & cæli, qui secundum substantiam sunt incorruptibiles, cum tamen Angeli transeant de vna intellectione, vel volitione ad aliam, & cæli secundum diuersas partes diuersa vbi acquirant, quæ igitur primo modo mutantur, tempore nostro, quod est numerus prioris, & posterioris, mensurantur; & quæ secundo modo, æuo. Deus autem est omnino immutabilis, & ideo solus æternus.

Virtualiter obiectiue. Quarto notandum est, quod æternitas sit realis mensura diuini esse, duobus modis intelligi potest. Primo vt res à Deo distincta realiter, & hoc est falsum, quia Deus est simplicissimus, & in eo nulla datur distinctio realis actualis. Secundo vt res distincta à Deo virtualiter, & obiectiue, quia obijcitur intellectui vt mensura diuini esse, ac si ab eo distingueretur, & hoc verum est, nam Deus ex sua eminentia

est

est quidem simplicissimus, sed ex sua perfectione, hoc etiam obtinet vt possit verificare omnia attributa prædicata, ac perfectiones, ac si in eo distinguerentur.

Dicit respectum rationis. Quinto notandum venit, quod æternitas includat respectum rationis mensurabilitatis, bifariam potest intelligi. Primo secundum se, & hoc est falsum, vt docuit S.D. p.p.q. 10. artic. 1. ad 1. & cum eo Caiet. Non enim est aliquid in Deo, quod ab intellectu nostro dependeat, & ab eo secundum se mensurari possit. Secundo vt a nobis intelligitur, & sic quia à nobis capitur, vt sit duratio diuini esse sine principio, & fine, ideo eam dicimus includere respectum rationis, & sic est interpretandus Ferrariensis 1. cont. gent. capit. decimoquinto.

De Aeternitate participata.

Aeternitas participata ab alijs durationibus distinguitur. Circa æternitatem participatam. Primo animaduertendum venit, quod bifariam sumi potest. Primo vniuersaliter, pro qualibet duratione permanenti, non quidem ex se, sed dependenter à primo agente. Secundo particulariter, & proprie, pro quadam creata duratione ordinis diuini, & inuariabilis. Primo modo de ea locutus est D. August. lib. 83. quæstionum, quæst. 13. dum eam animæ attribuit, nam eam pro æuo sumpsit. Secundo autem modo nos de ea loquimur, distinguentes eam à cæteris durationibus. Nam ab æternitate distinguitur contra Ferrariensem 3. cont. gent. capit. 61. distinguentem æternitatem participatam ab essentiali non intrinsece, ita vt sint duæ æternitates entitatiue, sed extrinsece, idest sit vna æternitas, habens duos modos, vel dicamus duas rationes mensurandi, scilicet diuinum esse, & visionem beatam creatam. Oppositum enim sentit Caiet. p. p. quæstion. 10. artic. 5. & bene, quia æternitas essentialiter est increata, & participata, creata, prima subiectatur in Deo, & secunda in primo beato, vt in nobilissimo suo subiecto. Distinguitur etiam ab æuo. Primo, quia est ordinis diuini, & æuum naturalis. Secundo, quia mensurat operationem, & æuum substantiam. Tertio, quia æuum admittit variationem operationum liberarum, non sic visio beata. A tempore etiam distingui verum est, & clarum, cum tempus solum mensuret generabilia, & corruptibilia.

Multa habet. Secundo notandum venit, quod æternitas participata hæc omnia habet. Primum est, quod est mensura creata; nam cum mēsuret operationem creatam idest visionem, & fruitionem Dei clare visi, & mensura formalis, & propria debeat esse eiusdem generis cum mensurato, dicimus eam esse creatam, & sic per hoc distinguitur ab æternitate essentiali, mensurante diuinum esse, & beatitudinem eius. Secundum est, quod est ordinis diuini, vnde diximus eā distingui ab æuo, quod est ordinis naturalis. Tertium est, quod sit inammissibilis, & per hoc distinguitur à gratia, & charitate, quæ quamuis sint ordinis diuini, amissibiliter tamē largiuntur in via. Quartum est, quod modo subiectatur tanquam in primo subiecto, & nobilissimo in anima Christi, quæ cæteris excellentius Deum videt, & eo fruitur, de qua re agemus p.p.q. 10. art. 5.

De Aeuo.

Quærit S. D. in p.p.q. 10. art. 4. an æuū ab æternitate differat, & dicit aliquos cōstituisse differētiam inter æuum, & æternitatem, quod æternitas non habet principium, nec finem, æuum vero principiū habet, sed fine caret. Hanc opinionem merito reijcit S. D. quia talis differentia non est intrinseca, sed per accidens, quia etiam dato, quod Angeli, & cæli fuissent ab æterno creati, adhuc tamen æternitate non mensurarentur, quia non sunt entia omnino inuariabilia. Dicit ergo quod differūt quia æternitas omnem mutationem excludit, tam in esse, quam in operationibus, Angeli vero admittunt variationem accidentalem operationum liberarum, & vbi, vt supra. Sed de his in p.p. vbi habent propriam sedem.

De

De tempore discreto.

Tempus duplex esse dicimus. Primum dicitur continuum, causarum ex diuisione continui, & hoc ponitur in prædicamento quantitatis, & de hoc solum egit Aristoteles. Secundum dicitur discretum, quia numerat diuersas operationes Angeli, quæ si considerentur vt ab eo exeunt, indiuisibiles sunt, & totæ simul, quamuis per horas temporis nostri durent. Hoc autem tempus constat ex pluribus vnitatibus formalibus, & transcendetalibus, & necessario ponitur propter operationes Angelicas, vt p.p.q.53. ad longum ostendemus.

Finis Quarti Physicorum.


COM-

COMMENTARIA CVM QVÆSTIONIBVS

In quintum Physic.

LECTIO I.

Transmutatur autem transmutans omne. text. 1.



N textu primo assignat Phil. quot modis aliqua dicantur transmutari, & ait esse tres. Primus dicitur secundum accidens, vt dicendo. Medicus cantat, accidit enim medico, vt medicus est, cantare. Secundus dicitur secundum partem, vt dicendo. Sortes sanatur secundum pectus, vel brachium, vel aliam partem. Tertius dicitur per se primo. Per se quidem ad differentiam transmutati per accidens, primo vero ad differentiam moti, vel transmutati secundum partẽ. Hoc autem quod transmutatur per se primo, pluribus modis fit, idest secundum augmentum, secundum alterationem, vt infra.

In secundo textu ostendit hos tres modos reperiri in mouente. Nam quoddam est mouens secundum accidens, vt annuimus, dicendo, musicus cantat vel ædificat. Quoddam dicitur mouens secundum partem, vt dum quis percutit pectus suum. Quoddam vero est mouens per se primo, vt dum Medicus sanat, vel ædificator ædificat, conuenit enim medico, vt medicus est sanare, & ædificatori, vt ædificator est ædificare.

In tertio textu ostendit hæc requiri ad motum. Primum est mouens, quod mouet. Secundum est mobile, quod mouetur. Tertium est tempus in quo mouens mouet & mobile mouetur. Quartum est terminus à quo, à quo incipit motus, vt dum frigidum fit calidum, frigiditas erit terminus à quo incipit calefactio. Quintum est terminus ad quem idest forma acquisita per motum verbi gratia caliditas acquisita per calefactionem. Motus autem dicitur esse de subiecto in subiectum.

In quarto textu asserit, quod mobile terminus à quo, & terminus ad quem non sunt idem, sed distinguuntur v.g. lignum quod est mobile, frigidum quod est terminus à quo, & calidum quod est terminus ad quem distinguuntur. Denominatio autẽ non fit à termino à quo, sed à termino ad quem fit motus, sicut lignum ex frigido effectum calidum, calidum denominatur, quia caliditas in eo est terminus ad quem, vnde & generatio, & corruptio denominantur ab esse, ad quod tendunt.

In textu quinto mouet quendam dubitationem videlicet, an passibiles qualitates vt albedo, & nigredo sint motus. Huic difficultati respõdet negatiue, quia non sunt motus, quod probat. Quia sic terminus motus, esset motus v.g. albedo acquisita quæ est terminus ad quem esset motus. Sed hoc est falsum, quia terminus non mouetur, & ideo non albedo sed dealbatio est motus. Subdit denominationem factam à termino ad quem tripliciter fieri posse scilicet per accidens, secundum partem, & per se primo.

Affirmat in textu sexto, quod mutatio per accidens omittenda est, tam ex parte mouentis, quam ex parte mobilis, & quod motus est in medijs, quæ omnia nota fient in sequentibus.

Circa supradicta autem. Primo notandum venit, quod de motu dupliciter loqui possumus. Primo proprie, prout distinguitur à generatione, & corruptione. Secundo communiter, vt se extendit ad motum proprie dictum, & communiter. Philos. in hoc quinto motum considerat primo modo, & in tertio eum considerauit secundo modo. Egit autem de motu in tertio communiter sumpto, *Motus sumitur communiter, et proprie.*

& hic

& hic proprie, quia in tertio tractabat de consequentibus naturam, inter quæ connumerantur generatio, & corruptio, quæ dicuntur motus communiter, hic autem agit de motu secundum se, & ideo eum proprie considerat.

Qualis motus à Physico consideretur. Secundo adnotandum venit, quod cũ triplex sit motus scilicet per accidens, secundum partem, & per se primo. Primus omnino excluditur ab arte, quia nec dicit propriam mutationem, nec generat certam scientiam. Secundus admittitur secundario, inquantum eadem est consideratio partis, & totius. Tertius autem est ille, qui proprie intenditur. Scias autem quod motus secundum partem dupliciter differt à motu per se primo. Primo, quia motus secundum partem absolute non denominat subiectum, nõ enim absolute dicitur homo sanari, si solum sanetur secundum brachia, motus vero per se primo absolute denominat subiectum. Secundo, quia motus secundum partem aliquo modo dicitur per accidens, non vero motus per se primo, vt diximus supra.

Tres sũt modi motus. Tertio notandum est, quod motus sit triplex, bifariam intelligi potest. Primo subiectiue, idest, triplex sit subiectũ motus, & hoc potest esse verum, sed non necessario quia vnum, idemque subiectum hoc triplici motu potest moueri. Secundo modaliter idest sint tres modi mouendi, & hoc verum est, & intentum.

Quid sit moueri per se primo. Quarto adnotandum venit, quod aliquid dicatur moueri per se primo, vt ædificator ædificare, duobus modis potest considerari. Primo vt idem sonat quod secundum quod ipsum, & omni alio præciso. Secundo vt idem sonat quod immediate. Primo modo non intelligitur, quia quod mouetur vt à causa sua immediata, mouetur etiam ab intelligentia, vt à prima causa simul, & semel. Intelligitur ergo secundo modo idest aliqua mouentur per se primo idest immediate, in eodem genere causæ, sed de his in septimo.

Quinq. requirũtur ad motum. Quinto notandum venit secundũ Philos. in textu, vt etiam supra diximus, quod quinque requiruntur ad motum. Primum est mouens, siue sit per accidens, siue secundum partem, siue per se primo, qualis enim est motus talis est & mouens. Secundum est mobile idest res mota quæ de sua natura sit mobilis, nam immobilia ab hac consideratione excluduntur. Tertium est tempus mensurans motum, vnde patet hic solum esse sermonem de motu continuo. Quartum est terminus à quo incipit motus, quoniam res transmutabilis dum ab vna forma recedit, ad aliam accedit. Quintum est terminus ad quem, qui dicitur quies mobilis ipsum perficiens, & motum eius terminans.

DVBIA.

Primum dubium circa ordinem accidit, scilicet, cur postquam Phil. egit de tempore, agat de motu, cum cognitio temporis à motu dependeat, est enim tempus numerus motus.

Ad hoc dicitur, quod ob duplicem causam postquam Philos. egit de tempore agit de motu. Prima est, quia & si respum nostri motus notior sit tempore, & per motum deueniamus in cognitionem temporis, tamen tempus secundum se est prius motu, vt mensura est prior mensurato. Secunda est, quia Philos. prius intendebat agere de consequentibus naturam vniuersaliter, vt sunt motus communiter sumptus, & tempus, & deinde intendebat tractare de motu priore sumpto prout habet species & modos, nam ab vniuersalioribus incipiendum est.

Secundum dubium accidit circa tres modos motus, an scilicet quando pars mouetur, totum possit dici moueri. Pro affirmatiua enim est, quod totum non est nisi vnio partium, vnde videtur impossibile, quod partes moueantur & totum non moueatur. Pro negatiua vero stat, quod partes possunt moueri motibus contrarijs, vt si dextera fiat calida, & sinistra frigida, totum autem non potest moueri motibus contrarijs.

Ad hoc dicitur, quod duplex est pars. Quædam enim denominat totum, vt crispitudo capillorum, nam habens capillos crispos absolute dicitur crispus. Alia vero est pars, quæ totum non denominat vt albedo dentium, frigiditas vnius manus, & caliditas alterius. Quando pars denominat totum, parte mota totum mo ueri dicitur, quod non verificatur in par

te non denominante totum, de qua procedit argumentum. Vel melius dicitur, quod ad motum partis vt pars est, non dicitur moueri totum, sed bene quando pars sumitur vt pars totius.

LECTIO II.

Quoniam autem omnis mutatio, &c. text. 7.

HIc incipit Philos. ostendere quot sint species mutationis. In textu ergo 7. ait, quod motus est de subiecto in subiectum, vt nomẽ ostendit, & prius, & posterius motus notum facit. Hinc deducit vnam vniuersalissimam diuisionem, scilicet quod omnis mutatio aut est de subiecto in subiectum, aut de non subiecto in subiectum, aut de subiecto in non subiectum, aut de non subiecto in non subiectum. Explicat autem quid per subiectum intelligat dicendo: quod per subiectum intelligit id quod potest affirmatione monstrari. Hinc secundo deducit, quod tantum erunt tres species mutationis, scilicet de subiecto in subiectum, de non subiecto in subiectum, & de subiecto in non subiectum, vnde remanet exclusa quarta species, quæ erat de non subiecto, in non subiectum, quoniam omnis mutatio aut est inter contraria, aut inter contradictoria, & non inter duas negationes, qualis ponitur mutatio de non subiecto in non subiectum. Hinc tertio dicit, quod mutatio quæ reperitur inter contradictoria, idest de non subiecto in subiectum vocatur generatio, quia generatio est de non esse ad esse, sicut corruptio est de esse ad non esse, quæ dicitur mutatio de subiecto in non subiectum. Dicit tamen quod duplex est generatio & corruptio. Prima dicitur simpliciter, quia est de non esse simpliciter, ad esse simpliciter, si est generatio, & si est corruptio, est de esse simpliciter ad non esse simpliciter. Secunda dicitur secundum quid idest de non esse hoc, ad esse hoc, vel econtra verbi gratia de non esse album, ad esse album, vel e conuerso.

In textu 8. intendit probare Phil. neque generationem neque corruptionem esse motum. Hoc igitur primo probat de generatione dupliciter. Primo sic. Quod non est, non mouetur. Sed id quod generatur non est. Ergo non mouetur. Pro explicatione autem huius rationis dicit, quod non ens tripliciter dicitur. Primo de eo quod solum est in intellectu, & non in rebus, vt omne ficticium, & chimericum. Secundo de eo quod non existit simpliciter, sed solum in potentia, nam homo in potentia non dicitur simpliciter homo, sed homo in potentia. Tertio de eo quod existit simpliciter, sed dicitur non esse secundum quid, vt quod non est album vel nigrum. Non ens primo modo nullo modo mouetur, nec secundo modo nisi in potentia, vnde tertio tantum modo, quod non est secundum quid, mouetur. Hinc patet quod cum generatio dicat non esse simpliciter non potest nuncupari motus. Secundo idem probat. Quod mouetur, in loco est. At generatio non est in loco cum dicat non esse. Ergo non conuenit ei ratio motus. Secundo probat principaliter, quod corruptio non est motus sic. Motui nihil contrariatur nisi quies. Sed corruptioni contrariatur generatio. Ergo non erit motus.

Circa supradicta autem primo notandum venit, & quidem circa illos quatuor modos mutationis superius positos, quod de his duobus modis loqui possumus. Primo vt dicamus esse quatuor modos in rerum natura existentes, & hoc fuit reiectum supra per Philos. Secundo vt dicamus tres horum modorum esse in rerum natura, & quartum excogitatum ab intellectu ad construendam bonam diuisionem, & sic illud membrum reiectum fuit, positum à Philos. *Diuisio Phil. explicatur.*

Secundo notandum venit circa hoc dictum Phil. quod per subiectum intelligitur quod affirmatione significatur, quod hoc dupliciter intelligi potest. Primo vt ly affirmatione solum significet propositionem affirmatiuam. Secundo vt etiam inferat exclusionem omnis particulæ negatiuæ, & hoc secundum est, quod intellexit Philos. vt dicendo, homo, equus, bos, capra, &c. *Quid per subiectum intelligatur.*

Tertio notandum venit, quod dum dicimus generationem esse de non esse ad esse, & corruptionem de esse ad non esse, per non esse duo possumus intelligere. Pri- *Et quid per non esse.*

re. Primum, non esse omnino idest puram negationem, & hoc non est intentũ, quia pura negatio non tendit ad esse, generatio autem dicit tendentiã ad esse. Secundum, vt per non esse intelligendum sit ens non existens actu sed potentia, & hoc verum est, quia generatio est de non esse actu, sed potentia, ad esse actu & non amplius in potentia.

Quarto notandum circa hoc quod motus non saluetur inter priuatiua, quod duplex est priuatio. Prima dicitur pura, & hæc non potest esse terminus motus nec à quo, nec ad quem, quia motus non est ab ente rationis, nec ad ens rationis. Secunda dicitur priuatio mixta actui sed imperfecto, & hæc per motum tendit ad actum perfectum, idest ad terminum motus.

Quinto notandum est quod motus, & mutatio idest motus proprie sumptus, & communiter sumptus multipliciter differunt. Primo enim differunt ex subiecto, quia subiectum generationis est ens in potentia, & subiectum motus ens actu. Secundo differunt ex termino, quia terminus generationis est substantia, & terminus motus est accidens. Tertio differunt, quia terminus generationis in indiuisibili acquiritur, vnde in generatione non dantur duo instantia sed solum vnũ instans, in quo primum non esse præcedentium formarum fit primum esse formæ substantialis subsequentis, terminus autem motus diuisibiliter, & continue acquiritur. Ex his autem habes quod forma substantialis non intenditur, & remmittitur sed bene forma accidẽtalis prout explicui 8. Methaph. Item habes quod generatio fit in instanti de qua re vide quæ diximus in 2. de anima.

QVAESTIO I.

Vtrum generatio posset dici motus.

Videtur quod sic. Omnis mutatio successiua est motus per Philos. hic. Sed generatio est mutatio successiua trãsiens de dispositionibus ad vltimam formam. Ergo generatio erit motus.

Secundo. Motus est actus existentis in potentia per Philos. 3. Physic. Sed generatio est actus materiæ existentis in potentia. Ergo erit motus.

Tertio. Velocitas & tarditas sunt passiones motus. Sed vna generatio altera dicitur tardior vel velocior per Philos. 7. huius. Ergo generatio erit motus. In contrarium est Philosophus hic.

Ad primum dicitur. Primo, quod generatio dupliciter sumi potest. Primo vt dicit vltimam introductionem formę substantialis. Secundo vt etiam includit præuias dispositiones materiam disponentes ad introductionem vltimæ formæ. Secundo modo aliqualiter posset dici motus, quia materia continuo disponitur. Primo autem modo in quo consistit vera ratio generationis non dicitur motus sed instantanea mutatio. Secundo respondetur, quod duplex est successio. Prima dicitur propria, & hæc fit supra eandem magnitudinem respectu eiusdẽ formę per intensionem vel remissionem acquisitæ. Secunda dicitur impropria, quia est diuersarum formarum sibi succedentium. Prima successio motum dicit. Secunda autem nequaquam, & talis est successio generationis, quæ cadit inter præuias dispositiones, & vltimam formam, nam hæc sunt diuersorum ordinum. Tertio negatur absolute, quod inter præuias dispositiones, & vltimam formam detur successio, hoc enim falsum est, quia dum vltima forma aduenit priores dispositiones corrumpuntur.

Ad secundum primo dicendum, quod motus dicitur esse actus entis existentis in potentia non ad esse vt dicitur esse actus materiæ forma substantialis in generatione, sed ad terminum motus, & ideo multum differunt. Secundo dicitur, quod generatio prout dicitur motus cõmuniter, est actus existentis in potentiã, nũc vero vt motus sumitur proprie quia talis est cum successione.

Ad tertium dicitur, quod Aristoteles dixit generationem esse velociorem vel tardiorem vt includit præuias dispositiones, non vero vt tantum dicit vltimam introductionem formæ, quia hæc fit in instanti. Hæc autem introductio formæ dicenda est vera actio, & positiua vt terminum dicit, sicut tenet Capreolus in 2. dist. 13. quæst. vnica, art. 3. ad argumenta contra primam conclusionem Ferrariensis 2. con. gen. cap. 17. Soncinas 7.

Methaph.q.22.& Scotus in 2.d.2.q.4.& 9.& in 3.d.4.q.vnica.

QVÆSTIO II.

Vtrum motus sit de subiecto in subiectum.

VIdetur quod non. Principia transmutationis sunt materia, forma & priuatio per Arist. primo Physi. & consequenter omnis mutatio erit de priuatione ad formam. Sed motus dicit transmutationem Ergo de priuatione ad formam, & non de subiecto in subiectum.

Secundo. Dum forma caliditatis verbi gratia per calorem intenditur fit motus, nec tamen tunc est mutatio formæ cum eadem semper permaneat.

In contrarium est Philos. hic.

Ad primum ergo dicitur. Primo, quod illa tria principia sunt mutationes substantiales, & non accidentales, qualis est motus. Secundo dicitur quod etiam in motu reperitur priuatio non quidem pura vt reperitur in generatione substantiali, sed permixta actui vt supra diximus.

Ad secundum dicendum, quod ad motum non est necessaria diuersitas formæ sed diuersitas gradus eiusdem formæ nō enim est necesse quod semper fit de forma in formam, quia etiam potest fieri de gradu minus perfecto ad perfectiorem gradum.

LECTIO III.

Si igitur prædicamenta diuisa sunt &c. tex. 9.

IN textu nono Philos. ponit hanc conclusionem. Motus non est nisi in qualitate, quantitate, & vbi. Hanc probat sic. Prædicamenta sunt decem, neq. plura sunt, neq. pauciora. Sed in nullo alio prędicamenta præter tria enumerata reperitur motus. Ergo in illis tantum tribus datur. Maior est nota. Minorem probat quoad substantiam in textu 10. sic. Motus reperitur inter contraria. Sed substantiæ nihil est contrarium. Ergo in substantia non erit motus. Secundo hoc idem probat de prædicamento ad aliquid sic. Motus dicit realem mutationem. Sed hoc non dicit ad aliquid, quia quis potest fieri albus, & mihi similis in albedine nulla mutatione in me facta. Igitur in relatione non erit motus. Tertio probatur de actione, & passione, quia sicut generationis non est generatio, neq. corruptionis corruptio, ita nec motus erit motus. Sed actio, & passio sunt motus. Ergo in actione, & passione non erit motus.

In textu ergo vndecimo prosequendo intentum suum ponit hanc conclusionem. Mutationis non est mutatio, quā multipliciter probat, & primo sic. Si mutationis esset mutatio, aut esset tanquam subiecti, aut tanquam termini. Sed mutationis non est mutatio tanquam subiecti, quia mutatio non est subiectum mutationis. Non tanquam termini idest vt vna mutatio secundum vnam speciem sit mutatio secundum aliam speciem. Nam sic necessario subiectum moueretur de vna mutatione in aliam, vt de ægritudine in sanitatem. Sed hoc est falsum, quia subiectum potest quiescere sub vna mutatione scilicet sub ægritudine, vel sanitate. Igitur mutationis non erit mutatio nec etiam vt termini. Secundo probat. Si mutationis esset mutatio. Ergo in mutationibus daretur processus in infinitum, quia non est maior ratio de vna mutatione v.g. de secunda, quam de prima. Ergo consequenter non erit motus, quia dum res fit, non est. Vlterius hoc probat; quia cuicunque generationi subijcitur materia. Ergo alia erit generatio generationis materiæ, & sic in infinitum, & omnia clara sunt in textu.

Circa supradicta autem primo notandum venit, quod vis primæ rationis Philos. in hoc consistit, motus, & terminus motus sunt eiusdem prædicamenti. Sed terminus motus solum reperitur in tribus prædicamentis idest quantitate, qualitate, & vbi. Ergo in eis tantum datur motus. Reuocanda est igitur ad memoriam illa distinctio, quæ posita fuit in tertio videlicet, quod motus bifariam considerari potest. Primo vt significat fluxum, & fieri vt sic, quæ consideratio potius est motus secundum rationem, quā secundum rem. Secundo vt significat talem fluxum, & tale fieri, quod est de subiecto in subiectum successiue, & diuisibiliter.

Motus sumitur pro fluxu, & tali fluxu.

biliter. Maior primo modo intelligenda est, quia secundo modo ponimus motum in prædicamento actionis, & passionis.

In prædicamētis quando situs, & habere non est motus. Secundo notandum venit, quod Philos. probando, quod in alijs prædicamentis à quantitate, qualitate, & vbi non reperitur motus, hoc prætermisit probare de prædicamentis, quando, situs, & habere. Hoc autem prætermisit de quando, quia quando significat tempus, tempus autem est mensura motus, & non motus. Prætermisit hoc etiam probare de situ, & habere, quia hæc significant quandam relationem, situs quidem ordinum partium in loco, & habere adiacentiam &c. Probando igitur Phil. ad relationem non esse motum, consequenter id etiam probauit de situ, & habere.

In mutationibus non est processus in infinitum. Tertio notandum est circa illam rationem, quod si mutationis esset mutatio daretur processus in infinitum in mutationibus, quod est inconueniens. Esse igitur inconueniens, quod detur processus in infinitum duobus modis stare potest. Primo in essentialiter subordinatis, & sic est verum, quia in his oportet deuenire ad vnum primum, quod se habeat vt principium, & causa cæterorum subordinatorum. Secundo in non essentialiter subordinatis, & sic dicebat Phil. quod data æternitate mundi, non datur primus homo, primus bos, &c. Cum ergo motus sit de numero successiuorum, & subordinatorum, merito dixit in motibus, & mutationibus non esse processum in infinitum.

LECTIO III. & IV.

QVAESTIO III.

Vtrum in substantia sit motus.

Videtur quod sic. Nam Philos. in tertio inter species motus connumerauit generationem, & corruptionem. At generatio, & corruptio sunt mutationes substantiales. Ergo ad substantiam est motus.

Secundo. Vbi est contrarietas, ibi est motus. Sed in genere substantiæ reperitur contrarietas. Ergo in ea est motus. Maior est Phil. hic. Minor probatur, quia quod corrumpitur, habet contrarium. At multæ substantiæ corrumpuntur. Ergo habent contrarium.

Tertio. Nec sufficit dicere necessarium esse propriam contrarietatem ad motum, & non sufficere communem, quia ad quantitatem, & ad vbi est motus, & tamen in eis nō est propria contrarietas.

In contrarium est hic Philos.

Contrarietas duplex. Pro solutione huius quæstionis rememorandum est duplicem esse contrarietatem. Prima dicitur communis, quæ potest reperiri inter quæcumq. opposita. Secunda dicitur propria, quæ octo requirit conditiones, in prædicamento substantiæ explicatas, ad propositum autem nostrum duas exigit. Prima est, quod contraria maxime distent sub eodem genere, quare numeri non dicuntur contrarij, quia non maxime distant, cum numerus non maxime distet à numero. Secunda est, quod illa contraria sint duæ formæ contrariæ, sub eodem genere cōtentæ, quæ inuicem se alterent, & mutuo, & immediate, se expellant ab eodem subiecto. Si loquamur de contrarietate primo modo, sic in substantia est contrarietas, quia saltem vna species Physice est altera præstantior, vt anima rationalis, anima bruti. Secundo vero modo in substantia non est contrarietas, quia substantia non alterat substantiam, nec per se agit, sed mediantibus qualitatibus, actiuis, & passiuis.

Substantia propriè sumitur. Secundo notandum venit, quod hic sumitur substantia, non vt generaliter significat essentiam, sed vt propriè decernit singulare prædicamentum, & vt dicitur à per se essendo, & accidentibus substando, & contra ea distinguitur.

Ad primum dicendum, quod Phil. ibi considerabat motum communiter, pro quacunque mutatione, non vero pro motu proprio, & successiuo. Sed quis instabit, generationem tempore, & successione mensurari, quia secundum Philos. Vbi datur prius, & posterius, ibi datur tempus. Sed in generatione datur prius, & posterius, idest dispositio materiæ ad formam præcedens introductionem formæ. Sed respondetur, quod generatio bifariam sumi potest. Primo vt includit præuias dispositiones, per quas materia disponitur ab introductionem formæ. Secundo sumitur pro introductione formæ.

Argumenta soluuntur. ma. In ea datur prius, & posterius primo modo, de quo non loquimur, sed bene secundo modo, vnde differentia inter formas. acquisibiles per motum, & per generationem est, quod formæ acquisibiles per motum suscipiuntur diuisibiliter per motum idest secundum intensionem, & remissionem, formæ vero acquisibiles per generationem, in indiuisibili consistunt, & ideo in instanti introducuntur in materiam, per corruptionem præcedentium dispositionum.

Ad secundum dicendum, quod maior valet de contrarietate propria, & non communi, qualis est illa, quæ reperitur in prædicamento substantiæ. Secundo respondetur ad minorem, quod substantia nude considerata non habet contrarium, sed vt habet adiunctas qualitates, vtiq. sed hoc non est ratione substantiæ, sed ratione qualitatum contrariarum, vt diximus in prædicamentis.

Ad tertium dicitur, quod duplex est contrarietas communiter sumpta. Prima est inter terminos positiuos, & hæc sufficit ad motum, & reperitur in prædicamento quantitatis, & vbi. Secunda est inter esse, & non esse, vel non esse, & esse, vt patet in generatione, & corruptione, & hæc non facit motum, sed mutationem substantialem.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ad aliquid sit motus.

Videtur quod sic. Nam dum quis albedinem acquirit, simul etiam similitudinem cum alio albo accipit. Sed albedinem non acquirit nisi per motum. Ergo nec similitudinem, quæ est relatio.

Secundo. Suscipere magis, & minus, non conuenit nisi rebus motis secundum intensionem, & remissionem, per Arist. in prædicamentis, cap. de qualitate. Sed relatiua suscipiunt magis, & minus, saltem fundamentaliter. Ergo ad ea erit motus.

Tertio. Mutari est aliter affici quam prius. Sed per relationem quis aliter afficitur quam prius, quia v.g. Sortes non dicebatur prius pater, & modo dicitur pater. Ergo &c.

Quarto. Theologi propterea negant Deo posse aduenire aliquam relationem, quia nulla ei potest aduenire mutatio. Ergo relatio aduenit cum mutatione.

Quinto. Quod producitur à causa effectiua est quid reale. Sed relatio producitur à causa effectiua. Ergo est quid reale. Sed nullum ens reale aduenit sine mutatione. Ergo ad relationem erit mutatio.

Pro solutione huius quæstionis in quinto Methaph. q. vlt. pertractatæ sciendum est pro nunc, aliquos tenuisse relationem solum formaliter differre à fundamento, & consequenter, non ei aduenire cum mutatione reali. Alij vero quos recipio, sustinent relationem distingui realiter à fundamento. Hanc igitur opinionem amplexando dicimus, quod aduenire aliquid alicui stat dupliciter. Primo quo ad fundamentum idest quo ad entitatem, v.g. quo ad quantitatem, vel qualitatem. Secundo quo ad complementum, vel formalitatem, v.g. vt æqualitas consequatur quantitatem, vel similitudo qualitatem. Pensandum est igitur, quod dum quis habet fundamentum similitudinis v.g. albedinem in quarto gradu, quod dum alius fit albus in quarto gradu, tunc ei nihil aduenit de nouo fundamentaliter, & radicaliter, sed tantum terminatiue, quia fit alteri similis in albedine. Quod ergo aduenit primo modo, aduenit per motum, quia aduenit per nouam entitatem, quod autem aduenit secundo modo, nequaquam, quia non aduenit ei nisi terminatio suæ entitatis. Sed & dicendum venit, quod aduenire alicui stat dupliciter. Primo media actione, vt calor aduenit aquæ per calefactionem. Secundo naturali sequela, & concomitantia, eiusdem actionis, quia comproducitur cum alio, vt risibilitas cum rationalitate. Quod aduenit primo modo, aduenit cum motu, secundo vero modo nequaquam, & hoc modo relatio aduenit fundamento, & ideo sine motu.

Sed hæc responsio non transit sine difficultate, quia sic est saluare solum motum vbi est successiua transmutatio, hæc enim fit media aliqua actione. Hoc autem videtur falsum, quia ad qualitatem vere est motus, at qualitatem potest esse motus in instanti, & naturali sequela, vt patet in illuminatione instantanea aeris. Sed respondetur, quod in illuminatione

aduenit

aduenit de nouo absolutum idest forma, & non respectiuum, quando autem aduenit aliquod de nouo absolutum, tunc fit cum motu, non sic quando aduenit aliquid naturali sequela, quod sit respectiuum. Secundo dicitur, quod aduenire alicui in instanti non est idem quod aduenire naturali sequela, quia aduenire alicui naturali sequela, quid amplius dicit, quam in instanti idest eadem productione produci saltem quo ad esse fundamentale, & virtuale, & per hæc patet ad primum, & ad secundum, nam relatio dicitur suscipere magis, & minus ratione fundamenti.

Ad tertium dicendum, quod duplex est mutatio. Prima dicitur communiter idest per acquisitionem alicuius qđ prius non habebatur, & talis mutatio potest etiam esse in relatiuis, sed non cum motu. Secunda dicitur propria, quia fit cum actione, & passione, & hanc negamus in relatiuis, mutuo se consequentibus naturali sequela.

Ad quartum dicitur, quod aduenire alicui aliquid de nouo relatiue præsupponit aliquid aduenisse prius fundamentaliter, quod Deo conuenire non potest, vnde dicimus relationem Dei ad creaturas non esse realem, sed rationis.

Ad quintum dicendum est cum S. Doctore de potentia quæst. 7. art. 8. ad quintum, quod causa effectiua per se dicitur producere fundamentum relationis cum vera actione, relationem vero consequenter, & naturali sequela, & ideo sine motu, & hoc dicimus de relationibus realibus; nam de relationibus rationis non est difficultas, cum consset columnam posse fieri alteri dexteram, & sinistram, nulla mutatione in ea facta.

QVAESTIO V.

Vtrum ad qualitatem sit per se motus.

Videtur quod non. Primo. Motus est continuus. At alteratio secundum qualitatem non est motus continuus per Arist. 8. huius, tex. 23. Ergo ad eam non est motus.

Secundo. Si ad qualitatem est motus continuus, sequeretur qualitatem augeri in infinitum. Prob. Quia si per decem gradus intendatur, cum in ea sint infinita instantia, aucta erit in infinitum.

Tertio. Extendatur qualitas ad diuersas partes subiecti, tunc hæc extensio fit ratione quantitatis, nam supponimus eădem caliditatem manere, & solum ad diuersas partes extendi. Ergo extensio qualitatis non erit motus per se, quia scilicet fit ratione quantitatis.

Quarto. De ratione motus est contrarietas, saltem virtualis, & gradualis, inter terminum à quo, & terminum ad quem, sed hæc non reperitur in extensione dum idem calor secundum eundem gradum extenditur tantum ad diuersas partes. Ergo &c.

In contrarium est Philos. hic, & ideo ponitur hæc conclusio. Ad qualitatem est per se motus intensiue, & extensiue. Prob. primo intensiue. Ad illum est motus ad quem est accessus continuus de cŏtrario in contrarium, saltem virtualiter, vt dum res de esse imperfecto transit ad perfectum, sed hæc reperiuntur in intensione qualitatis facta per alterationem, vt declaratum fuit supra. Ergo. Secundo prob. extensiue. Dum calor receptus continue, & intensiue in vna parte ad alias extenditur, eodem modo in eis recipitur, sicut in prioribus partibus. Sed in eis receptus est intensiue, & contrarie. Ergo & in his, vnde hæc extensio equiualet primæ, & ei virtualiter correspondet.

Ad primum pro nunc superficialiter dicitur, quod, & si alteratio stricte non sit motus continuus, vt tenet Capreolus in primo d. 17. q. 2. Son. 8. Meth. q. 23. Iandunus, & Ferr. 8 huius, attamen ratione formæ, quæ de actu imperfecto ad perfectum intensiue, & in tempore transit, in ea potest dici esse motus continuus, & hoc modo Arist. hic ponit ad qualitatem esse motum, & in primo sensu negat in octauo.

Ad secundum dicendum, quod ille partes non intelliguntur esse seorsum, & in actu, sed tantum in potentia, & potius Mathematice, quam Physice, & ideo ille motus Physice dicitur finitus.

Ad tertium dicendum, quod illa extensio bifariam considerari potest. Primo vt recipitur in parte in qua non erat. Secundo vt virtualiter in ea recipitur sicut

cut in priori per motum recepta est. Primo modo non dicit motum per se, at secundo modo secundum quem est consideranda, vtique & per hoc patet ad quartum, adest enim virtualis contrarietas, dum in virtute primæ alterationis in hac secunda parte recipitur motu Physico, sicut,& in prima recepta fuit.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ad vbi detur motus.

Videtur quod non. Nam ad situm nō est motus. Ergo nec ad vbi. Antecedens est Arist. Consequentia prob. Quia tantum est obtinere situm, vt cubare, & iacere, quantum vbi circunscribi.

Secundo. In vacuo potest esse motus. At in vacuo non potest esse vbi, cum vbi dicat locum, & locus superficiem. Ergo &c.

Tertio. Angeli mouentur localiter,& tamen non habent vbi, quia non determinantur à loco. Ergo &c.

In contrarium stat Arist. hic, & ratio. Nam in motu ad locum qui dicitur secūdum vbi, est contrarietas terminorum, & successiua acquisitio spatij vsque ad terminum. Hæc autem motum constituunt.

Ad primum ergo negatur sequela, & ad probationem dicitur, quod situs dicit ordinem partium in loco, & vbi circumscriptionem locati, vnde distinguuntur, sed vide quæ diximus in prædicamentis.

Ad secundum dicimus, quod in vacuo potest esse motus, & vbi, non materialiter idest, per aeris circumscriptionem, sed formaliter, per comparationem corporis moti ad polos mundi, & centrum terræ.

Ad tertium dicimus, motum Angelorum esse discretum,& Angelum non cōtineri a loco, sed illum continere, vt late ostendam p.p.q.52.S.Tho.

LECTIO IV.

A textu 18. vsque ad 21. immoratur Philos. ad probandum non esse motum nisi in quantitate, qualitate, & vbi. In textu ergo 18. talem rationem adducit. Motus non reperitur in substantia, in ad aliquid, in actione,& passione. Igitur erit solum in quantitate, qualitate, & vbi. Probat consequentiam, quia contrarietas,& successio non reperiuntur in alijs prædicamentis a supra dictis. Secundo dicit quod motus repertus in qualitate dicitur alteratio, huic enim consentit commune nomen. Distinguit autem duplex quale scilicet essentiale, scilicet differentia essentialis,& accidētale vt actio passio,& passibilis qualitas, vt album, nigrum, calidum, & frigidum dicuntur de aliquo, vt qualitates alteratiuæ idest secundum alterationem. Tertio dicit motum secundum quantitatem, non habere commune nomen secundum, quamuis nominetur secundum speciem, vnde motus ad perfectam quantitatem dicitur augmentum, & in imperfectam vocatur decrementum. Quarto dicit motum secundum locum non habere commune nomen, nec genericum, nec specificum, sed communi vocabulo vocari ad vbi. Explicat insuper, quæ sint illa, quæ proprie dicantur moueri,& dicit ea esse, quę in seipsis non habent principium sui motus, &c. In text. 19. respondet cuidam tacitæ obiectioni, an dum quid de minus albo, fit magis album, hic sit motus secundum quantitatem idest augmentum, aut secundum qualitatem idest alterationem, & respondet, hunc esse motum secundum alterationem, sed moueri secundum alterationem stare dupliciter. Primo simpliciter, vt dum vna species in alia mutatur, vt album in nigrum. Secundo secundum quid idest in eadem specie secundum magis, & minus, vt dū ex minus albo, fit magis album, & vtraque mutatio vocatur alteratio, quod sic probat. Quando minus album fit magis album, aut e contra est mutatio de contrario, vel fere contrario in contrarium, quia minus album à nigro recedit, & ad albedinem accedit. At motus accipit denominationem à termino, & sic concludit solum esse tres species motus. Subdit, qđ modis aliquid dicatur immobile. Primo ergo dr̄ immobile per impossibile, vt sonus. Secundo per difficile mobile, vt claudus, infirmus,& graui pondere grauatus. Tertio per negationem actus motus, quia non mouetur quando debet moueri, cum tamen aptum natum sit se mo-

uere,

uere, & quiescit quiete, quæ est contraria motui, contrarietate communi negatiue, & non positiue. Epilogat tandem dicendo dictum esse quid sit motus, quid quies, & quot sint species mutationum.

Contrarietas motuū nominat. Circa supradicta primo notādum venit, quomodo motus secundum quantitatem dicatur habere commune nomen, secundum genus proprium, & secundum speciem, motus vero secundum qualitatem habere commune nomen secundum speciem, & proprium, & motus localis non habere, nec secundum genus, nec secundum speciem. Sciendum est ergo, quod radix proprij nominis motus est contrarietas, quoniam ergo quæ alterantur propriam contrarietatem habent secundum singulas species, ideo gaudent proprio nomine, quoniam vero contrarietas reperta in quantitate attenditur penes genus quātitatis, sed iuxta defectum, & excellentiam ideo non vno nomine generis, sed duplici specierum explicatur. At quia in motu locali non reperitur aliqua contrarietas, nisi in ordine ad motum, ideo nullo nomine proprio gaudet.

Contrarietas quantitatis est propria. Sed secundo notandum venit, quomodo in quantitate non dicamus esse propriam, sed communem contrarietatem, in omnibus etiam alijs prædicamētis reperibilem, & tamen ab eis negetur motus, & non a quantitate. Notandum est ergo, quod contrarietas augmenti, & decrementi bifariam considerari potest. Primo secundum nomen, & sic vocatur contrarietas excellentiæ, & defectus, nam augmentum excellētiam significat, & decrementum defectum. Secundo secundum rem. Primo modo quantitas dicitur habere contrarietatem communem, sed secundo modo propriam, quia vere, & realiter quantitas mutatur de parua in magnam, vel e cōuerso, substantia autem numquam perdit rationem perfectioris, vel minus perfectæ substantiæ si secundum se consideretur, & idem dic de alijs prædicamentis a supradictis, in quibus est motus.

Ad alia prædicta est motus ali- Tertio notandum venit, quod aliud est dicere, quod solum ad tria prædicamenta sit per se motus, & aliud quod ad alia prædicamenta accidentium nullo modo sit motus. Primum enim significat quantitatem, qualitatem, & vbi esse proprios terminos motus, & hoc verum est, quia si motus sit secundum quātitatem, dicitur augmentum, vel decrementum, si secundum qualitatem, dicitur alteratio, & sic secundum locum, dicitur motus localis. Secundum vero est significare nullo modo ad alia prædicamenta esse motum, & hoc negamus, cum omnia prædicamenta accidentium per motum acquirantur. *quo modo.*

QVÆSTIO VII.

Vtrum ad quantitatem sit per se motus.

Videtur quod non. Nam per Phil. hic, motus debet esse de contrario in contrarium. Sed quantitati nihil est contrarium. Ergo ad quantitatem non est motus.

Secundo. Motus distinguitur a naturali sequela, quia motus fit in tempore, & naturalis sequela in instanti. Sed augmentum quantitatis naturali sequela consequitur alterationem, & conuersionem alimenti in substantiam aliti, nam illico viuens augetur. Ergo ad quantitatem non est per se motus, sed solum aliqua mutatio.

Tertio. Si augmentatio esset per se motus, diminutio quoque esset per se motus. Sed hoc est falsum, cum sit quædam corruptio per se terminata ad non esse alicuius partis quantitatis. Ergo &c.

Quarto. Quantitas est materiæ coeterna. Ergo non acquiritur per motum. Antecedens tenuerūt Pythagorici, Academici, & Arabes, & patet, nō enim potest dari substantia materialis extensa sine quantitate.

Pro solutione huius quæstionis. Primo notando venit, quod non æquo modo reperitur contrarietas motus, in quātitate, qualitate, & vbi. Nam contrarietas in qualitate habet tres conditiones propriæ contrarietatis, & ideo vocatur contrarietas perfectissima. Prima est, quod eius contraria sunt duæ formæ actiuæ. Secunda, quod maxime distant sub eodem genere, & Tertia quod continue acquiruntur. In quantitate autem deficit *In quātitate est contrarietas.*

prima, vnde eius contrarietas dicitur secundum excellentiam, & defectum, tamen habet duas alias conditiones propriæ contrarietatis, quia datur maxima, & minima quantitas, vltra quas non potest extendi, & hæ quantitates continuo, & diuisibiliter acquiruntur. Contrarietas vero motus localis attenditur secundum sursum, & deorsum, iuxta extrema longissimæ lineæ.

Opiniones. Secundo notandum venit duas esse opiniones circa hoc, an ad quantitatem sit per se motus. Prima est negatiua, & hanc habuit Plato Salenus, & Valesius controuersia 29. ad Tyrones. Hi enim duas tantum species motus posuerunt scilicet localis, & alterationis. Secunda opinio est affirmatiua scilicet quod ad quantitatem datur per se motus, & hanc defendit Arist. hic, cap. 2. & cum eo consentiunt omnes peripatetici.

Conditiones motus. Tertio ergo notandum venit, ad motum tres præcipue conditiones esse necessarias. Prima est, quod res ad quam terminatur motus, transeat de contrario in contrarium, v.g. manus de frigiditate ad caliditatem. Attendas tamen contraria esse in triplici differentia. Quædam proprijssime, sicut diximus supra hæc cerni in qualitate. Secundo proprie, & hæc reperiri inter duos terminos incompossibiles affirmamus v.g. inter calidum in summo, & tepidum, nam transitus de tepido ad calidum in summo sufficit ad proprium motum, & si non ad proprijssimum, qui saluatur inter duas formas contrarias, sufficit enim ad propriam cōtrarietatem, quod etiam saluetur in eadem forma habente latitudinem perfectionis, quia sic transit de vno gradu ad alium, relinquendo primum gradum sub quiete idest faciendo quod sit id à quo incipit motus. Tertio sumitur communiter, prout dicit transitum de priuatione ad habitum, vel e contra, & hæc contrarietas non dicitur motus proprie, sed mutatio substantialis, quæ dicitur motus communiter. Secunda conditio est, quod motus sit successiuus, idest cum successione fiat, & non in instanti, quia motus est transitus existentis in potentia (non substantiali, sed accidentali intensiua) ad terminum motus. Tertia est, quod fiat cum vera mutatione, quia non aduenit subiecto sine eius mutatione, vt supra.

Conclusiones prob. Quarto ergo loco ex supradictis deducuntur aliquæ conclusiones. Prima est. Ad substantiam, relationem, &c. non est per se motus. Probatur. Nam substantiæ non conuenit mutatio successiua, nec inter contraria positiua. Nec relationi, quia vnum relatiuum fit alteri simile, sine sui mutatione. Nec actioni, & passioni, quia ad motum non est motus, vt supra. Nec ad alia prædicamenta à quantitate, qualitate, & vbi, quia includunt respectum quo ad suum formale, vnde idem concluditur de illis quod de relatione.

Secunda conclusio est. Ad quantitatem est motus. Probatur. Quia quantitas transit de minori ad maius, incompatibiliter, positiue, & successiue.

Ad primum respondetur, quod quantitati nihil est contrarium proprijssime, vt dicuntur contrariæ duæ formæ actiuæ. Sed tamen est aliquid ei contrarium proprie, idest per incompossibilitatem, quia maius, vt maius, non potest esse minus.

Ad secundū dicendum pro nunc, quod augmentum sit motus continuus stat dupliciter. Primo per se primo, & sic non est verum, quia dicit acquisitionem nouæ substantiæ partialis sub quantitate, eadem generatione. Secundo per se secundo scilicet vt quantum sub tanta dimensione comparatur ad se sub maiori, & sic dicitur motus continuus, quia illa quantitas augetur successiue, nam facta conuersione in substantiam extenditur substantiā per quantitatem successiue, late tamen, vel virtualiter vt dicemus in 8.

Ad tertium similiter dicitur, quod diminutio non est propria corruptio, cum id quod minuitur, esse non amittat, sed extensionem, & ideo macies, & diminutio successiue fiunt, dum calor naturalis non potest tantum nutrire, quantum opus esset, quare quantum minuitur.

Ad quartum dicendum, quod quantitas sit materiæ coæua bifariam intelligi potest. Primo inseparabiliter, & ita verum est, quia materia non existit nisi extensa. Secundo productiue, ita vt intelligatur improducibilis ab agente dispónente materiam ad talem formam, & ad tantam quantitatem, & hoc falsum est, vt do-

vt docet S.D.p. p.q.76.art.6.Albert. Magnus in summa de homine tractatu de nutritiua. Capr. in 2.d.18.q.5.art.1.con. 6.Caietanus de ente, & essentia cap.7.q. vlt. Nam agens in generatione compositi producendo formam in materia, facit etiam quod consequenter eam introducat sub tanta quantitate, & tali qualitate.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum motus de magis perfecto ad minus perfectum, vel e contra sit eiusdem speciei.

Videtur quod non. Primo. Sumamus calorem introductum in aquam in summo, & comparemus eum ad septimum gradum caloris, tunc calor in septem, & in summo, se habent, vt duo extrema cum medio. Sed hæc extrema, & medium per Arist. 10. diuinorum differunt specie. Ergo &c.

Secundo. Corruptiua ad inuicem sunt diuersarum specierum, vt patet in calido, & frigido, in albo, & nigro. Sed magis calidum corrumpit minus calidum per Arist. dicentem, quod maior flamma corrumpit minorem. Ergo &c.

Tertio. Maior est differentia inter magis calidum, & minus calidum, quam inter duo calida. Sed duo calida differunt numero. Ergo magis calidum, & minus calidum non solum differunt numero, sed etiam specie.

Magis, & minus quinque modis sumitur. Pro solutione huius dubij notare oportet, quod magis, & minus quinque modis sumuntur. Primo secundum vnam formam participatam, quia participatur perfectiori, & imperfectiori modo. Secundo secundum modum participandi v.g. vt intelligere participatur ab Angelis sine discursu, & ab homine cum discursu. Tertio secundum quod de vno dicitur per essentiam, & de alio per participationem, vt esse dicitur de Deo per essentiam, & de creaturis per participationem. Quarto secundum quod de vno dicitur formaliter, & de alio eminenter, vt calidum dicitur de igne formaliter, & de sole eminenter. Quinto secundum magnitudinem, & quantitatem, vt homo puer, dicitur minus seipso viro facto. Patet autem quod secundo, tertio, & quarto modo dicit differentiam specificam quinto vero modo nequaquam, vnde de primo est difficultas.

Forma ad quã est motus tripliciter. Secundo igitur recolendum venit, id quod Philos. affirmauit hic tex.31. scilicet quod forma ad quam est motus tripliciter considerari potest. Primo secundum genus generalissimum, prout dicimus alterationem esse ad qualitatem. Secundo secundum genus subalternum, prout dicimus collorationem esse ad colorem. Tertio secundum speciem specialissimam, pro vt dicimus albefactionem esse ad albedinem. In primo sensu non quæritur, quia constat vnam qualitatem secundum genus esse altera perfectiorem, vt qualitates primæ, quam secundæ. Nec in secundo, quia sub colore dantur species, vna altera perfectior, & ideo in tertio solum est difficultas.

Conclusio. Tertio ergo loco ponitur hæc conclusio. Magis, & minus in eadem forma specifica participata, non facit diuersitatem specificam. Prob. Ad vnitatem specificam motus requiritur vnitas formæ acquisitæ secundum speciem per Arist. hic, tex. 31. Ergo necesse est quod forma participata secundum magis, & minus sit vna specie.

Ad primum negatur minor, & ad Arist. dicitur, quod duplex est medium. Primum dicitur per intensionem, quia gradatim fit accessus ad perfectionem formæ. Secundum dicitur per compositionem, quia componitur ex extremis, specie distinctis, vt color viridis ex albo, & nigro. Primum non differt specie ab extremis, secundum vtiq. & de hoc procedit argumentum, & nos loquimur de primo.

Ad secundum dicimus ad maiorem, quod duplex est corruptiuum. Primum dicitur per se, vt aqua extinguit ignem, & hæc differunt specie. Secundum dicitur per accidens, quia accidit quod maius corrumpat minus, verbi gratia quod maior flamma corrumpat minorem, & hæc non distinguuntur specie, & de his est sermo.

Ad tertium negatur maior, de diuersitate specifica, & conceditur de diuersitate graduali, eiusdem formæ specificæ.

LECTIO V.

CAPVT III.

Post hæc dicamus quid sit simul, &c. tex. 21.

POstquam Philos. in præcedentibus ostendit quot sint species motus, hic declarat consequenter quosdam terminos necessarios ad intelligentiam perfectam motus. In textu igitur 21. ponit suam intentionem, quam dicit esse, velle mentionem facere de septem. Primo de simul. Secundo de separato. Tertio de tangere. Quarto de inter. Quinto de consequenter. Sexto de contiguo, & Septimo de continuo, hæc enim sunt illa quæ motum, & mobile consequuntur.

In textu ergo 22. Primo explicat, quid sit simul dicendo, quod illa dicuntur esse simul, quæ sunt in vno loco proprio, quamobrem duas conditiones habet esse simul. Prima est esse simul secundum locum, nam esse simul stat dupliciter. Primo tempore idest esse in eodem tempore. Secundo loco idest in eodem loco. Secunda est esse in eodem loco proprio, nam duplex est locus. Primus dicitur communis, vt coelum respectu omnium viuentium. Secundus dicitur esse proprius, & adæquatus, quia continet vnum tantum corpus. Secundo explicat quid sonat separatum dicendo, quod illa dicuntur separata esse, quæ sunt indiuersis locis proprijs. Tertio explicat quid sit tangere dicendo, quod illa dicuntur se tangere, quorum extrema sunt simul, vt quando duæ superficies coniunguntur. Quarto explicat quid sit inter, dicendo, hoc esse medium inter duo extrema, medians, ad quod prius peruenit id quod mouetur, antequam ad extremum veniat, vt si daretur linea longa decem palmis, dum esset mobile in quinto palmo, diceretur in medio.

In text. 23. explicat quid sit continue moueri, & ait esse absque aliqua interruptione temporis moueri, verbi gratia quis pulsando cytharam si tangat primo cordam vltimam grauem, & deinde subito vltimam leuem, non tangendo medias cordas, vel si quis continuo ambularet absque aliqua interruptione temporis omittendo etiam aliquod spatium, diceretur continue moueri.

In textu 24. docet quomodo sit sumenda cõtrarietas in loco, dicendo, quod accipitur secundum extrema vnius lineæ, vt sunt sursum, & deorsum, ante, & retro, dextrum, & sinistrum, dummodo moueantur vna linea recta.

In textu 25. ponit quid significet consequenter, & tradit multa ei esse necessaria. Primum, quod id quod consequenter dicitur ante se habeat principium, vt secundus dies lunæ consequenter se habet ad primum, quia primum sequitur, & ita numerus ternarius, se habet ad binarium, quia ipsum immediate sequitur.

Secundum est, quod nihil mediet eiusdem generis, verbi gratia transeundo de domo ad domum, quod nulla domus mediet, & si possent mediare plura diuersi generis, verbi gratia lapides, ligna, vites, & similia. Insuper declarat, quod multis modis aliqua dicuntur se habere consequenter. Primo positione, sicut cælla ad cællam, si inter illas alia non mediet. Secundo natura, vt binarius consequitur vnitatem. Tertio modaliter, vt simia consequitur naturam hominis, in similitudine actuum. Quarto tempore, cum multis alijs modis in litera positis. Deinde definit quid sit consequenter se habere per modum habitus, & dicit esse, dum duo mutuo se tangunt, non enim omnia mutuo se tangunt. Concludit tandem, quod cum omne quod mouetur de extremo, per medium moueatur, & inter contradictoria non detur medium, ideo motus erit in contrarijs, & non incontradictorijs. Subdit, quod continuum est illud, quod aliud consequitur, & consequenter se habet per modum habitus, quia dicit cõsecutionem, & tactum Aliæ quę asserit in sequentibus clara sunt, vnde ea omittimus, vno hoc notato, infra explicando, scilicet continuum non solum dicere tactum, verum etiam vnitatem intrinsecam.

Circa supradicta autem primo venit notandum circa illud, quod illa dicantur simul loco, quæ in vno loco proprio, & adæquato sunt, quod per hoc non vult inferre Arist. duo corpora posse esse in eodem loco proprio, & adæquato, hoc

enim

enim reprobatum fuit in quarto Physicorum, sed intelligit loqui conditionaliter scilicet quod si possibile esset, quod duo corpora se penetrarent, quod fieri nequit. Vel intelligit corpora esse in loco proprio, dum illum alteri non concedunt, vt faciunt orbes cęlestes, ignis in sua sphera, & alia elementa secundum totum in suis spheris. Prima expositio est Simplicij. Secunda Conimbr. Sed huic secundæ obstare videtur, quod sic tantum de loco proprio cælestium, & elementorum egisset, & non vniuersaliter de omni loco proprio, quod est contra vniuersalitatem sermonis, & maxime cum opponat esse in loco proprio, esse separato secundum locum, vnde prima expositio melior est. Agit autem hic de esse simul loco, & non generalissime de omni esse simul, quoniam de hoc egit in prædicamentis.

Quid sit esse in loco proprio.

Secundo notandum venit circa illa verba. Continenter autem mouetur, quod nihil, aut minimũ intermittit &c. Quod hæc verba dupliciter interpretantur. Primo quod Arist. voluerit dicere nihil officere discontinuitatem temporis ad cõtinuitatem motus, sed bene esse necessarium quod nulla pars spatij, vel saltem minima relinquatur, quasi continuitas motus pendeat à continuitate spatij, & non à continuitate temporis. At S.D interpretatur hoc vt motus tunc dicatur esse continuus, si nihil, aut parum spatij prætermittatur, nullo vero modo continuitas temporis, quia ad continuitatem motus necessaria est continuitas temporis, & spatij, saltem quod parua eius pars prętermittatur, & hæc expositio consentanea est Aristot. qui vt patet in successu sermonis sui, vult ad continuitatem motus, requiri continuitatem temporis, & spatij.

QVAESTIO IX.

Vtrum motus accipiat speciem à termino ad quem.

Videtur quod non. Nam sic motus specie diuersi, idem dicerentur, verbi gratia motus circularis, & rectus si ad eundem terminum terminarentur.

Secundo. Motus violentus, & naturalis, per se differunt specie. Sed hi possunt terminari ad vnum terminum, vt si lapis deorsum descendat in vno loco naturaliter, & per violentiam ad eundem locum ignis impellatur.

Tertio. Id quod dat speciem, debet esse. Sed existente motu, terminus non est, cum tunc motus cesset, cum fuerit in termino. Ergo terminus non dat speciem.

Quarto. Idem non potest dare speciem contrarijs. Sed contraria possunt terminari ad eundem terminum, vt calor, & frigus aquæ ad tepidum. Ergo.

Quinto. Distinctio specifica, est distinctio quidditatiua, & quidditatis, Sed motus quidditatiue per finem non distinguitur, quia quidditas abstrahit ab existentia, & finis non. Ergo.

Sexto Motus, & actio vnum sunt realiter, & consequenter quod de vno dicitur, de alio non negatur. Sed actiones, non distinguuntur ex terminis, sed ex agentibus, vnde alia est actio Dei, & alia hominis. Ergo &c.

Septimo Motus distinguitur à simplici mutatione per terminum à quo quia scilicet simplex mutatio est de non esse simpliciter, ad esse simpliciter vel econtra, motus vero est ad esse hoc. Ergo distinctio motus erit à termino à quo, & non à termino ad quem.

Octauo. Arist. septimo huius text. 5. dicit, illum esse vnum motum specie, quo ab eodem ad idem specie tenditur. Ergo non accipit speciem à termino extrinseco ad quem.

Nono. De ratione motus est quod sit inter terminos contrarios scilicet inter terminum à quo, & ad quem. Ergo natura motus pensatur etiam ex termino à quo.

Decimo. Motus ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum sunt motus contrarij specie distincti. Sed motus hi distinguuntur solum specie à terminis à quibus sunt, vt patet. Ergo.

Vndecimo. Motus qui per media specie distincta tendunt in vnum finem specie distinguuntur, vt motus ab albo in nigrum per fuscum, & per ceruleum. Sed media se habent, vt termini à quibus incipit motus. Ergo ab eis desumitur distinctio, & vnitas motus.

Duode-

Duodecimo. Terminus ad quem motus debet esse positiuus per Arist. supra. Sed in decremento terminus ad quem non est positiuus, cum non sit acquisitio quantitatis, sed diminutio, & priuatio eius. Ergo saltem decrementum, quod est motus secundum quantitatem, non accipit speciem à termino ad quem. Pro resolutione huius quæstionis. Primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo loco probabimus nostram conclusionem. Tertio resoluemus argumenta.

Opiniones. Quod ad primum ergo primo notandum venit, quod circa presentem difficultatem sunt duæ opiniones. Prima est Alberti de Saxonia hic, q.6.& Burlei, & quorundam aliorum scilicet quod motus recipiat speciem, & distinctionem non solum à termino ad quem, sed etiam à termino à quo. Secũda est S.D.p.p.q.23. art.1.& q.45.ar.1. Soto hic q.3. Ferr.q.4. Tol q.2.Conimb.& Ruuij.& est fere cõmuniter recepta, scilicet quod motus speciem, & distinctionem sumat à termino ad quem.

Motus dupliciter sumitur. Secundo ergo notandum venit, quod motus dupliciter considerari potest. Primo materialiter, vt est idem realiter cũ termino motus. Secundo formaliter, vt ab eo distinguitur, quia ipse est via ad terminum, & terminus est complementum motus. Nam cum motus secundum se sit quid incompletum, non constituit prædicamentum, sed reducitur ad illud prædicamentum, ad quod est motus. De motu ergo primo modo hic non agimus; nam diximus in tertio sic motum esse idẽ realiter cum termino vnde de motu secundo modo est præsens disputatio.

In motu qua tuor sũt. Tertio ergo notandum est, quod in motu quatuor considerare possum, scilicet agens, passum, terminum à quo, & terminum ad quem. Modo ab agente, vel passo motum non sumere vnitatem genericam, vel specificam docuit S. D. q.6. de potentia, art.8. quia motus formaliter dicit fluxum formæ absolute. Cum igitur restent tantum in eo duo termini, scilicet à quo, & ad quem, dicimus à termino à quo, non esse sumendam vnitatem, vel distinctionem specificam motus, sed à termino ad quem, quia terminus ad quem habet rationem formæ, & finis, forma autem, & finis sunt ea quæ distinguunt, vt docuit Arist. secũdo Physicorum, & patet, quia imperfectum comparatur ad perfectum, vt ad formam. Motus autem se habet, vt quoddam imperfectum, & terminus vt quoddam perfectum.

Terminus motus habet vt forma. Tertio ergo notãdum venit cum Ferr. hic q.4. quod aliud est esse speciem alicuius, & aliud ei dare speciem; nam species semper dicit essentiam, & quidditatem intrinsece, & formaliter eius, cuius dicitur species, vt rationale ab intrinseco, & formaliter hominem constituit. Dare autem speciem, & distinctionem specificam, & formaliter, potest etiam conuenire alicui extrinseco, quando id quod ab extrinseco distinguitur, se habet vt potentia ad actum, vel vt actus ad obiectum, quia potentiæ distinguuntur per actus, vt docuit Arist. secundo de anima. Modo motus est actus existentis in potentia ad terminum, & ideo per terminum, vt per actum complentem distinguitur.

Extrinsece. Quarto tamen notandum est, quod in motu duo sunt. Primum est ordo ad terminum, & hic ab intrinseco ei conuenit, quia secundum suam naturam dicit tendentiam in terminum. Secundum est eius complementum, & terminus, & hunc dicimus esse extrinsecum, vel posse esse. Vel melius dicitur, quod cum motus dicat formam fluentem, vt est sub fluxu, ratione fluxus dicit quid extrinsecum à forma, ratione vero formæ quam ad terminum ducit, vt est modus eius, ad eandem speciem pertinet, & hoc est quod dicit Arist. in tertio, motum non esse præter res ad quas est.

Conclusio probatur. Quo ad secundum conclusio est. Motus accipit speciem à termino ad quem. Probatur primo per Arist. tex 31. vbi dicit, omnes dealbationes, & denigrationes esse vnum specie, quia ad vnum terminum terminantur scilicet dealbationes ad albedinem, & denigrationes, ad nigredinem.

Secundo. Idem non potest speciem sumere à duobus contrarijs specie distinctis. At terminus à quo, & ad quem specie distinguuntur, & contrariantur. Ergo non potest motus accipere speciem ab ambobus, sed solum à termino ad quem. Maior est nota. Minor est Arist. primo de

cœlo

coelo text. 86. & hic text. 43. & 8. huius text. 62.

Tertio. Res denominatur ab eo quod acquirit, & non ab eo quod perdit, vnde generatio dicitur ab esse recepto, & corruptio ab esse corrupto. Sed motus recedendo à termino à quo ipsum perdit, & terminum ad quem acquirit. Ergo à terminuo ad quem habet specificationem.

Quarto. Id quod speciem alicui dat, etiam perfectionem, & denominationem. Sed non terminus à quo, sed ad quem dat motui perfectionem, & denominationem, est enim perfectio acquisita, & denominata à termino, vt calefactio, à calore acquisito. Ergo &c.

Quinto. Multæ dealbationes possunt habere diuersos terminos à quibus, v.g. à fusco, à viridi, &c. & tamen sunt vnum specie, & distinctæ solum numero. Ergo vnitas distinctio, & denominatio motus desumitur, non à termino à quo, sed ad quem.

Argumenta soluuntur.

Ad primum, & secundum aliqui concesserunt, motum circularem, & rectum esse vnum motum specie, quando ad vnū terminum terminantur. Sed hoc est contra Arist. primo de cælo c. tertio, & quarto, vbi probat præter quatuor elementa esse ponendum corpus cæleste essentialiter, & specifice ab eis distinctum, & hoc, quia motus circularis qui cælo conuenit, distinguitur specie à motu recto, qui elementis congruit, & ita hic expresse asserit, motum circularem, & rectum differre specie, quamuis quandoque possint habere eundem terminum, quia non habent idem spacium. Alij igitur dixerunt, locum, seu vbi ad quod est motus, dupliciter considerari posse. Primo vt est vbi tantum, & superficies corporis continentis. Secundo vt est connatuale rei motæ ad illud. A primo asserunt non esse sumendam speciem, sed à secundo, & ideo & si motus rectus, & circularis possint habere idem vbi, seu eundem locum materialiter, non tamen formaliter, quia naturaliter conuenit coelo moueri circulariter, & elemento recte, & ita dicimus de remota violenter, & naturaliter. Sed hic modus dicendi displicuit Scoto, Alberto de Sax. & Conimb. quia sic motus calefactionis ignis, cum ab alio igne ad perfectum deducitur, & aquæ dum ab igne ab extrinseco, & per violentiam calida efficiuntur distinguerentur specie, quia connaturalitates sunt diuersæ. Sed dicere quis poterit, hos motus specie distingui ratione diuersi modi specifici causantis variationem. Sed dicendum est ad primum, & secundum, quod terminus ad quem specificet, & vnitatem tribuat mobili, duppliciter. Primo, se solo, & hoc est falsum. Secundo cum debitis conditionibus scilicet cum vnitate spatij, & temporis, & mobilis, de quibus infra, & hoc est verum, modo in motu circulari & recto variatur spatium, & in motu violento, & naturali mutantur modi essentiales motus, & natura rei mobilis, quæ non est capax duorum contrariorum simul, & in actu perfecto.

Ad tertium dicitur, quod dans speciem esse debet, eo modo quo ei species dat, modo terminus in via dat speciem in via, & in esse vltimato, in esse perfecto; & tunc terminus est, & realiter terminat.

Ad quartum dicendum ad maiorem similiter, idem non posse dare speciem contrarijs, vt contraria sunt, sed vt in vnum coire possunt, vtique, vnde medij colores habent propriam speciem, & alterationes ad medium deductas.

Ad quintum negatur maior absolute, procedit enim de distinctione quidditatiua, & specifica ab intrinseco, & non de ea, quæ est ab extrinseco. Vel secundo dicitur, quod dans speciem est forma, vel habet rationem, & modum formæ, vt habent finis, & terminus respectu motus. Ad id autem quod obijcitur, quod finis non abstrahit ab existentia & quidditas, sic impertinens est, quia non loquimur de quidditate, sed de determinante ab extrinseco.

Ad septimum dicendum, quod motus, & actio sunt idē realiter, sed distinguuntur formaliter, & ideo quo ad suas rationes formales actio potest dici talis agentis, vel ab hoc agēre, & motus talis, quia est ad talem terminum.

Ad septimum, Conimb. tenent motum, & mutationem non distingui essentialiter à terminis à quibus, quia generatio equi esset eiusdem speciei, vt modo,

do, si in materia non praecessisse talia forma corrupta, vnde dicunt distinctionem motus, ac mutationis pendere essentialiter, & specifice a terminis ad quos, & cō notatiue ex terminis à quibus. At ego censeo hic aequiuocationem accidere. Aliud est enim quaerere quomodo generatio, & motus distinguantur, & aliud quomodo diuersi motus distinguantur. Nam primum duo postulat, primum scilicet, quod generatio sit a non esse simpliciter, ad esse simpliciter, secundum vero quod sit momentanea. Motus vero exigit quod sit inter terminos positiuos, sed haec ratio est omnibus motibus communis, qua de causa ex hac non sumitur diuersitas motuum specifica, sed ex terminis ad quos, vnde negatur assumptum.

Ad octauum dicitur quod Arist. ibi intendit dicere, illum esse vnum motum specie, quando ab eodem materialiter ad idem formaliter tenditur, quod non fit nisi per terminos ad quos.

Ad nonum dicitur, quod illa est communis ratio motus, omni motui proprie sumpto conueniens, vnde distinctio motus pensanda est aliunde idest ex terminis ad quos.

Ad decimum dicendem, quod illi motus sunt specie distincti ita dupliciter. Primo materialiter, vt sunt à terminis à quibus. Secundo formaliter, vt sunt ad terminum ad quem. Primum est verum, sed hoc non facit speciem motus, sed speciem rei mobilis distingui ab alia specie. Secundum vero est illud, quod dat speciem.

Ad vndecimum idem dicitur, quod illa distinctio mediorum est materialis, & rei mobilis, & non formalis, & specifica, de qua tantum hic loquimur. Sed vlterius distinguo quod aliud est quaerere an hi motus sint vnus motus secundum speciem, & aliud an dato quod specie distingnantur accipiant suam formalitatem à termino à quo, vel à termino ad quem. Primo modo quaerendo dicendum venit, quod hi motus specie distinguuntur, & non sunt vnus motus quia non habent vnitatem medij. Secundo vero modo dicuntur vnius speciei, quia acquirunt eandem formam specificam, scilicet albedinem. Vnde censeo distinguendum de vno motu. Primo simpliciter, & hic non solum debet habere vnitatem termini, sed & mobilis, & medij. Secundo secundum quid, idest ratione termini tantum, & sic motus per media specie diuersa dicetur vnus secundum speciem.

Ad duodecimum Conimb. hic, & Fonseca quinto Meth. cap. 13. q. 9. tenent motum ad decrementum in quantitate, & ad remissionem formae in qualitate, non esse motus positiuos sed negatiuos idest ad terminum negatiuum. Primo, quia essentialiter sunt negationes, priuationes, & corruptiones prioris quantitatis, vel qualitatis. Secundo, quia hoc clarum est in aqua calefacta, quae ita amisit calorem, vt nullum gradum eius retineat, sed ad suam naturalem frigiditatem se reducat. Tertio, quia sic augumentum, & decrementum specie non distinguerentur, cum sint motus in maius, & minus eiusdem quantitatis, vel formae, vnde dicunt, quod in decremento forma quae habebat rationem partis, quia dicebat gradum intensionis formae, vel extensionis quantitatis, sortiuntur rationem totius per accidens, & non per se.

Oppositum videtur docere S.D. in primo d. 17. q. vltima, art. 2. ad secundum, & p. 2. q. 52. art. 2. & 2. 2. q. 24. art 3. vbi docet, non esse necessarium ad veram rationem motus acquirere nouam realitatem, sed sufficere noui modi acquisitionem, & sic est verus motus, motus decrementi, & remissionis formae, quia eadem forma nouum modum acquirit scilicet magis, & minus, vel maius, & minus. Haec sententia est Philosophi hic, tex. 18. vbi enumerat decrementum, & remissionem inter veros motus, qui sunt inter terminos positiuos. Quod autem voluerit terminum illorum motuum esse illis intrinsecum, patet, quia decrementum denominat, determinat, & constituit quantum sub tanta quantitate, vel alteratio formam sub tali gradu intensionis. Vnde ad primum aduersariorum dicitur, quod decrementum, & remissio intensionis formae non sunt proprie, & simpliciter corruptiones, sed secūdum quid, quia non terminantur ad non esse simpliciter, sed ad non esse tale, quod est quid positiuum.

Ad secundum pudet respondere, quia corru-

corruptio totius caliditatis in aqua non est remissio, vel decretio, sed corruptio. Sed nec quisdicet, totalem decretionem extensionis quantitatis, vel intensionis formæ esse decrementum, vel remissionem, sed totalem destructionem, & mutationem. Ad tertium dixit S.D. sufficere ad diuersitatem motus secundum speciem, quod forma varietur, vel secundum se, vel secundum modum habentem ratione termini positiui, vnde quod habebat rationem partis idest gradus intensionis, vel extensionis, acquirit modum totius idest termini à quo. Ideo dicimus augumentum, & decrementum non variare essentiam quantitatis, nec intensionem, & remissionem essentiam formæ, sed variare modos, vnde dicetur distinctio specifica modalis, & non stricte formalis.

LECTIO VI.

CAPVT IV.

Vnus autem motus dicitur multipliciter. tex. 31.

HIc Philosophus incipit determinare de vnitate motus. Ait ergo textu 31. quod sicut vnum multipliciter dicitur, ita vnus motus. Primo modo ergo aliqua dicuntur esse vnum genere, quia sunt, in eadem ordinatione generis, & hinc est, quod ea quæ sunt de vno genere prædicamentali, dicuntur vnus motus genere, vt omnes ambulationes, & motus ad locum dicuntur spectare ad prædicamentum vbi, & omnes alterationes, ad prædicamentum qualitatis. Secundo modo aliqua dicuntur esse vnus motus specie, quia terminantur ad eandem speciem, vt omnes dealbationes, vel denigrationes, nam sic albedo differt specie à nigredine, & albefactio à denigratione. Tertio modo aliqua dicuntur vnus motus specie secundum quid, quia illa species est subalterna, quæ ad superiora comparata dicitur species, & constituere vnum motum secundum speciem, sed comparata ad inferiora dicitur genus, & vnus motus genere.

In tex.32. & 33. Mouet vnam dubitationem scilicet an si motus fiat supra vnam magnitudinem multoties, de eodem in idem, fit vnus. Respondet quod non, quia ad vnitatem motus non solum requiritur vnitas termini, sed etiam spatij, modo spatium non est vnum. Nam si ad vnitatem motus non requireretur vnitas spatij, sequeretur quod motus circularis, & rectus possent esse idem, cum possint habere vnum terminum.

In text. 34. ponit quomodo motus dicatur vnus simpliciter, seu numero, & dicit, quod ille dicitur vnus motus numero, quando habet triplicem vnitatem. Prima est subiecti seu mobilis. Secunda est magnitudinis supra quam mobile mouetur. Tertia est temporis, in quo mobile mouetur.

In text.35. excludit duos modos quibus motus non dicitur esse vnus numero, & simpliciter. Primus est quando mobile est subiectum per accidens, v.g. Coriscus albus. Secundus quando habet solum vnitatem termini specificam, & non numeralem vt contingit, dum duo homines sanantur in eodem tempore, & eadem medicina, ab vna, eademq. infirmitate.

In tex.36. ponit quandam dubitationem, scilicet an si idem subiectum v.g. Socrates duabus vicibus ab vna infirmitate sanetur, v.g. ab infirmitate oculorum sit ne eadem sanitas. Respondet quod non, quia impossibile est quod res corrupta eadem numero redeat, cum ergo prima sanitas fuerit corrupta per infirmitatem, secunda non erit eadem numero. Cætera quæ ad literam Arist. pertinent clara sunt, & superiora confirmant.

QVÆSTIO X.

Vtrum ad vnitatem motus requiratur vnitas mobilis, spatij, forma per motum acquisita, & temporis.

VIdetur quod non, & primo arguitur de forma. Nam quod est in continuo fluxu, variatur. At forma sub motu est in continuo fluxu. Ergo variatur. Ergo non erit eadem forma.

Secundo. Si dicamus quod sit eadem forma, sed non secundum eundem gradum. Arguitur. Gradus imperfectior

in perfectiori continetur. Sed quod in alio continetur, non est eiusdem speciei cum continente, vt patet de vegetatiuo, quod continetur in sensitiuo, & sensitiuum in intellectiuo. Ergo &c.

Tertio. Sic darentur gradus in forma. Hoc falsum dicunt Herueus in primo d. 17. q. 4 art. 2. & Greg. q. 4. artic. 1. quia. Primo forma est inuariabilis essentia. Secundo quia formæ se habent sicut numeri, numeri autem in indiuisibili consistunt. Tertio per formam res habent certitudinem. Sed per Arist. decimo diuinorum id quo res habet certitudinem est quid minimum, & quid indiuisibile. Ergo Quarto. Vna forma specie non potest simul esse in diuersis subiectis, non solum numero, sed etiam specie distinctis. Sed albedo v.g. est in niue, pariete, & manu, quæ specie distinguuntur. Ergo dum ista albefacit, non mouentur vno motu.

Quinto. Descendat corpus viuum de turri, & in medio descensus moriatur, tunc est vnus motus de sursum, ad deorsum, & tamen non est idem mobile, quia corpus viuum, & mortuum distinguuntur specie sub corpore. Ergo ad vnitatem motus non requiritur vnitas mobilis.

Sexto. Moueatur vna arbor, media parte viridis, & media sicca, tunc mobile non est vnum, & motus est vnus. Prob. quod mobile non sit vnum, quia quæ specie differunt, non possunt continuari. At lignum viride, & siccum specie distinguuntur, vt animatum, & innanimatum. Ergo &c.

Septimo. Arist. hic tex. 23. dicit, quod si quis continuata pulsatione prius tangat summam cordam, & deinde imam, medijs non tactis, hic motus erit vnus, & tamen non est idem mobile, idest eadem corda tacta, & pulsata.

Octauo. Moueatur lapis de orbe lunæ ad terram, tunc hic motus est vnus, & non interruptus, & tamen spacium non est idem, quia transit per ignem, aerem, aquam, & terram vsque ad centrum. At cum hæc elementa habeant diuersas superficies, dicunt etiam diuersa spatia, & loca.

Nono. Dum manus transit de frigido ad calidum, transit de contrario ad contrarium. Ergo de forma ad formam. Ergo ad vnitatem motus non requiritur vnitas formæ.

Decimo. Demus terram esse perforatam à summo vsque deorsum, & quod per foramen lapis projiciatur, tunc à centro transibit ad imum, & deinde redibit ad centrum, quia omne graue tendit ad centrum en vnum mobile duplicem motum habens.

Vndecimo. Probatur non esse necessariam vnitatem temporis. Nam per tempus vel intelligimus tempus vt est in primo mobili mensurante omnes motus. Vel per ipsum intelligimus mensuram propriam, & immediatam vniuscuiusque motus. Non primum, quia est vnum in omni motu, non secundum, quia hoc non sufficit.

Vnius motus qualis. Duodecimo. Ad huc ad vnitatem motus postulatur vnitas mouentis, quod expressit Arist. tex. 49. & hoc hic tacuit. Pro resolutione huius quæstionis. Primo aliqua annotabo. Secundo loco conclusionem nostram probabo. Tertio diluam argumenta. Primo ergo notandum venit, quod circa præsentem quæstionem plures essent ponendæ opiniones, nisi de intensione, & modo intensionis formæ egissem in 8. Meth. ideo nunc solum noto quod de vnitate motus bifariam loqui contingit. Primo de vnitate generica, vel specifica, & sic de hac non loquimur, quia abstrahit a tempore, & motu. Secundo de vnitate formali, & ita de hac est disputatio, quærendo v.g. an dum paries dealbatur, vel manus calefit, dealbatio, & calefactio possit dici vnus motus.

Conditiones vnitatis motus. Secundo ergo loco noto, Aristot. hic tres conditiones attribuisse vnitati motus, scilicet vnitatem mobilis, formæ, & temporis, quibus ex sequentibus addenda est vnitas spatij, quod probauit Aristot. quia motus circularis, & rectus sunt diuersæ speciei, propterea quod fiunt per diuersa spacia.

Conclusio probatur. Quo ad secundum conclusio est. Ad vnitatem motus requiruntur vnitas mobilis, formæ acquisitæ per motum, temporis, & spatij, supra quod fit motus. Prob. de vnitate mobilis. Idem accidens non potest esse in diuersis subiectis. Sed

motus.

motus est accidens. Ergo idem motus non potest esse in duobus subiectis. Intellige discontinuis, & disparatis. Secūdo prob. de vnitate formæ. Nam motus est fluxus formæ. Ergo vnus fluxus, vnius formæ. Tertio prob. de vnitate temporis. Nam qui es est cessatio motus. Ergo si mobile per aliquam moram quiescat, amplius non mouetur, eo modo quo mouebatur. Ergo si incipit de nouo moueri, erit alius motus. Quarto prob. de vnitate spatij, quia aliter (vt diximus) motus circularis, & rectus essent idem.

Argumenta soluuntur. Ad primum dicitur, quod variari stat dupliciter. Primo per diuersas partes, seorsum existentes. Secundo per successiuam intēsionem, & perfectionem formæ in subiecto. Primo modo tollit vnitatem motus; vnde qui tenent intensionem formæ esse per additionem partis ad partem, coguntur negare vnitatem motus. Secundo autem modo non est formam variari, sed alio, & alio modo à subiecto suscipi, idest intensius, & remissius & sic nos tenemus intensionem formæ fieri per maiorem radicationem in subiecto.

Ad secundum dicimus, quod duplex est continens. Primum dicitur continens formam. Secundum dicitur continens gradum eiusdem formæ. Primum distinguitur specie a forma contenta, vt dictum est de vegetatiuo, & sensitiuo in intellectiuo. Secundum vero non distinguitur specie, sed secundum magis, & minus, & hoc ratione subiecti participantis formam intensius, & remissius.

Ad tertium dicendum, quod dentur gradus in forma dupliciter intelligi potest. Primo in essentia formæ, & hoc est falsum, quia secundum se est inuariabilis, indiuisibilis, & se habet sicut numerus, vt argumenta probant. Secundo in subiecto, secundum quod ab eo suscipitur, & sic habet gradus intensionis, & remissionis, quia in subiecto intenditur, & remittitur.

Ad quartum dicendum, quod vna forma non potest esse in diuersis subiectis sibi adæquatis, inadæquatis, vtique vt sunt omnia illa quæ eam participant, sed non secundum totum suum esse, & perfectionem. Secundo dicitur quod valet de forma non participabili, non vero de participabili, vt sunt formæ, quæ possunt intendi, & remitti in subiecto.

Ad quintum respondent aliqui, illum esse vnum motum, quia subiectatur in materia, quæ remanet eadem sub viuo, & mortuo, sed hanc sententiam reiecimus in 7. Meth. vbi ostendimus compositum esse subiectum accidentium, & eadem accidentia nō remanere in viuo, & mortuo. Dicimus ergo illum motum non esse vnum simpliciter, quia ei deficit vnitas mobilis, nam dum in via moritur, primum non esse præcedentis formæ fit primum esse subsequentis, idest cadaueris, & ideo cum formæ varientur, & mobile, & accidens, idest motus intelliguntur variata.

Ad sextum dicendum, quod si mobile non est vnum (vt vere non est vnum continuum, sed tantum contiguum) nec motus erit vnus, nisi secundum quid, quia ei deficit vnitas mobilis.

Ad septimum primo dicimus, Arist. ibi explicasse ad continuitatem motus requiri etiam continuitatem spatij, sed parum interrupti, sicut fit in pulsatione cordarum citharæ, nam parum physice, pro nihilo reputatur. Secundo alij dicunt, ibi Arist. loqui de continuo solum secundum quid, idest de habente continuitatem temporis, in sequentibus vero loqui de continuo simpliciter, dum motui etiam attribuit continuitatem spatij. Tertio respondent Conimbr. quod in pulsatione citharæ duo inspicere possumus, primum est manus, quæ cordas pulsat, secundum sunt cordæ pulsatæ. Dicunt ergo quod & si respectu cordarum motus non sit continuus, quia successiue non tanguntur, tamen ex parte manus motus est continuus, quia de si prema ad imam transit, vel e contra, transeundo etiam per spacium occup. tum à cordis non pulsatis.

Ad octauum dicunt Conimbr. diuersas superficies non officere, cum tantum sit vnum vbi acquisitum. Sed si hoc valeret, procederet de vbi terminatiuo, n res mota semper habet aliquod vbi, vn de in diuersis locis sunt diuersa vbi. Si igitur diuersa sunt loca elemētorum per quæ transit, plura habebit vbi. Dicen-

dum est igitur, quod illud spatium bifariam considerari potest. Primo Math. vt solum spatium dicit. Secundo Physice, vt dicitur spatium in tali, & tali re. Primo modo est vnum, & de tali spatio hic loquimur, argumentum autem procedit de spatio secundo modo, extra propositum.

Ad nonum dicendum, quod duplex est motus. Primus est secundum eandem formam, vt dum verbi gratia caliditas augetur, vel minuitur. Secundus est per diuersas formas, vt dum à subiecto caliditas eijcitur, & frigiditas introducitur. Primus motus est positiuus, & secundus aliquo modo negatiuus. Dum ergo nos dicimus ad vnitatem motus prȩexigi vnitatem formæ, loquimur quando est secundum eandem formam, nam quando est secundum diuersas, dicitur potius generatio, vel corruptio secundum quid, quam motus. Vel secundo dicitur, quod tunc duplex est motus. Primus terminatur per vnam formam, & alius per aliam incipit, quare cum deficiat vnitas formæ sub motu, non erit idem motus numero.

Ad decimum dicendum, quod lapis descendens quiescet in centro, quia ad suũ terminũ properauit, nec valet quod terra sit perforata, quia elementa in suo loco naturali non sunt grauia, vt patet de aqua in mari. Vel dicendum, quod si absque quiete in cẽtro ad aliam partem moueretur, & iterum rediret, duplex erit motus Physice, quia motus sursum, & deorsum Physice distinguuntur, Mathematice autem poterit dici vnus motus, quia non fuit per quietem interruptus.

Ad vndecimum. multi multa dicunt, nos autem breuiter dicimus, per vnitatem temporis sumere tempus sine media quiete, quod est subiectiue tanquam in primo subiecto in motu primi mobilis, & vt in mensurato in mobili, sub motu tunc nullo modo quiescente.

Ad duodecimum respondendo inuenio duas opiniones. Prima affirmat ad vnitatem motus necessariam esse vnitatem mouentis, scilicet quod vnus mouens moueat. Hanc defendunt Conimb. hic, c.4, q.5. & alij plures & probant. Primo expresso testimonio Arist. 8. Physicorum tex. 4. vbi dicit, ad vnitatem motus necessariam esse vnitatem agentis. Secundo. Quia diuersa agentia agunt per diuersas virtutes, ergo per determinatas actiones. At motus, & actio idem sunt realiter, ergo si non est eadem actio, nec erit idem motus. Secunda sententia negat necessariam esse vnitatem mouentis ad vnitatem motus. Hoc probat. Primo. Quia Arist. de hac vnitate nullam fecit mentionem, vnde si fuisset necessaria manicus fuisset. Secundo. Quia semper sunt plura agentia ad eundem motum concurrentia scilicet prima, & proxima, superiora. & inferiora, quæ agunt per diuersas virtutes, & si subordinatas. Tertio. Quia non implicat per absolutam Dei potentiam plures causas immediatas, proximas & adæquatas, concurrere ad productionem eiusdem effectus, & tunc necesse erit quod per eandem actionem agante & sic vnus effectus erit à pluribus causis. Ruuio hic cap.4. q.2. ad vltimum conatur has duas opiniones conciliare dicendo, quod motus bifariam considerari potest. Primo materialiter, vt est idem cum actione, & passione. Secundo formaliter, vt secundum se consideratur, Primo modo dicit postulare vnitatem agentis, in quo sensu locutus est Arist. 8. Physicorum. Secundo vero modo sufficit ipsum habere conditiones superius assignatas, quo pacto fuit hic consideratus.

Sed melius puto dicendum, quod de vnitate motus bifariam loqui contingit. Primo de vnitate motus, vt in actu est. Secundo vt in potentia est. Ad primam vnitatem sufficiunt quatuor illæ conditiones, & sic vnitas agentis per accidens erit, nam motus vt motum, & fluxum dicit, non habet ab intrinseco quod sit ab vno, vel duobus agentibus, ab vna, vel duabus virtutibus per modum vnius. Secundo autem modo requirit vnitatem mouentis formalis, reducentis potentia mobile, ad actu motum, nam actiones, vt actiones ab agentibus determinantur, ideo vnus motus debet causari ab vno agẽte, vel à pluribus per modum vnius agentis. Vnde Arist. in 8. Physicorum loquitur de mouentibus per modum plurium concurrentibus, vt ibi patet aperte, & per hoc patet ad argumenta.

LECTIO VII.

QVAESTIO II.

Pro complemento huius quinti libri, sunt soluendæ aliquæ difficultates. Prima ergo difficultas occurrit circa text. 36. An agens naturale possit regenerare idem corruptum secundum numerum, & secundum substantiam. Videtur quod sic. Nam per Philosophum secundo de generatione, tex. 56. idem in quantum idem, & similiter se habens, semper aptum natum est facere idem. Sed potest dari casus, quod vnus ignis per tres horas eodem modo se habeat circa aquam, & in prima hora ei applicetur, ad calefiendum per medietatem eiusdem horæ, & deinde remoueatur ab igne, & frigefiat, & frigefacta in initio secundæ horæ iterum applicetur igni eodem modo se habenti, & æqualiter vt prius calefacienti, tunc videtur dicendum, eandem esse calefactionem.

Secundo per Philosop. quinto Meth. Illa sunt vnum numero, quorum materia est vna. Sed vna aqua pro materia potest stare sub duabus calefactionibus. Ergo &c.

Sensus quæstionis aperitur. Pro solutione huius dubij notandum est, quod hic loquimur de reparatione eiusdem numero, secundum numerum. Nam idem secundum speciem reparari patet in generatione, dum generans reparatur in genito. Secundo loquimur de reparatione substantiali, & terminatiue. Nam materia prima sæpe subiectiue generatur, & corrumpitur, se non eius substantia, nec terminatiue, vt alias ostendimus. Secundo loquimur naturaliter, ideo.

Opiniones. Secundo notandum venit, quod an per diuinam potentiam idem secundum numerum possit reparari, est duplex opinio. Prima est quorundam, scilicet quod per absolutam Dei potentiam idem numero non possit bis generari. Hoc probant. Primo. Quia Deus non potest bis generare id quod est, quia dum res est, ingenerabilis est. Ergo nec potest eandem rem regenerare dum corrupta est. Probatur. Res quæ generatur non fuit ante, cum mutatio sit præsens de non esse ad esse. Sed res corrupta actu fuit. Ergo non potest regenerari. Secundo. Nulla potest assignari causa, quod dum res est non possit iterum generari, & corrupta vtique.

Conclus. probatur. In contrarium ponuntur duæ conclusiones. Prima est. Idem numero corruptum, non potest regenerari, & reparari numeraliter. Probatur primo. Generatio fit per ordinem quem habet materia ad formam, sed materia non habet ordinem ad formam corruptam. Ergo. Probatur minor, quia ordo potentiæ ad actum supponit formam vt acquirendam, & non vt deperditam. Secundo. Maior est interruptio secundum esse, quam secundum magnitudinem. Sed interruptio secundum magnitudinem tollit vnitatem rei diuisæ, vt si diuidatur lignum per medium, & ex vno ligno duo ligna fiant. Ergo corruptio quæ est interruptio secundum esse, vnitati naturali magis obstabit. Tertio quælibet generatio est terminus præcedentis alterationis. Sed in separatione essent duæ alterationes. Ergo ibi essent duæ generationes, & consequenter duo genita. Quarto. Ad generationem inferiorum necessarij sunt influxus cælestes. Sed hi non possunt reparari, & redire cum sint inuariabiles. Ergo &c. Secunda conclusio. Per absolutam Dei potentiam idem numero corruptum potest reparari. Probatur. Non implicat Deum omnia illa quæ fuerunt necessaria, ad generationem v. g. Sortis in esse restituere, & in eadem priori dispositione, quia quod fecit, iterum facere potest. Ergo Deus poterit reparare idem numero genitum.

Ad primum contra primam conclusionem dicitur, quod propositio Philosophi intelligitur de idem, vel eodem secundum speciem, & non secundum numerum, nam ignis idem manens duplicem caliditatem in aqua producit, quia prima fuit corrupta, & non est simile si interrumperetur intensio caliditatis, quia quamuis interrumpatur intensio caliditatis, remanet tamen eadem forma, & ideo potest de nouo augeri, non sic vero quando corrupta est in totum, nam tunc non potest redire nisi secundum speciē.

Ad secundum dicitur ad propositionem Philosophi, quod habere vnam materiam

teriam stat dupliciter. Primo sub eadem potentia proxima, & propria. Secundo sub potentia remota. Secundo modo non facit vnum numero, sed vnum specie, & genere. Primo autem modo facit vnum numero, modo negatur quod in corrupto sit eadem potentia propria, & proxima, quæ præcessit, est enim similis in specie, sed non eadem numero, cum sit corrupta. Hinc quamuis v.g. dulcedo, albedo, grauitas, & figura sint in vno subiecto, non tamen sunt formaliter, & inter se vnum numero, sed solum subiectiue, quia idem subiectum sub alia, & alia potentia respicit ista accidentia.

Ad primum autem contra secundam conclusionem dicitur, quod corruptum comparatur ad duplicem generationem, scilicet primam, & secundam à prima distinctam, & non vt eam includentem, vt argumentum peccando probat.

Ad secundum respondetur, hoc prouenire ex parte rei, quia dum est, non est in potentia ad generationem, ad quam est in potentia dum corrupta est, & ideo potest iterum reduci ad actum.

QVAESTIO XII.

An sit vna sanitas non interrupta per infirmitatem in sano.

ARist. tex. 36. quærit, an sit eadem sanitas numero, quæ manet in sano, non infirmato, & tex. 38. dicit, hoc dubium esse extra intentionem Physici, quia agere de vnitate, ac diuersitate formarum est munus Meth. qui in 10. Meth. agit de vno, multis, diuersis &c. tamen ne ieiunus recedas, arguo non esse eandem sanitatem. Nam quod mutatur, idem non manet. Sed sanitas mutatur, quia corpus quandoque est magis sanum, & quandoque minus. Respondetur primo, quod duplex est forma. Prima stat in indiuisibili, quia nec intenditur, nec remittitur, vt est forma substantialis, & numeri. Aliæ vero sunt intensibiles, & remissibiles, quæ sunt de genere qualitatis, vt albedo, caliditas, & similes, quæ suscipiuntur secundū magis, & minus. Modo dico quod id quod mutatur primo modo non manet idem, quod vero mutatur secundo modo, vt est sanitas, semper est eadem quamuis non eodem modo participetur. Vnde secundo respondetur, quod sanitas bifariam considerari potest. Primo secundum se, & sic est forma simplex, & non mutatur secundum suam essentiam, nec suscipit magis, & minus. Secundo vt participatur à subiecto, & sic mutatur secundum magis, & minus, quia subiectum quandoque est magis sanum, & quandoque minus, sed hæc non est mutatio formæ, sed subiecti, vt bene explicat. S. D. tex. 37.

QVÆSTIO XIII.

Si motus regularis est magis vnus, quam irregularis.

ASserit Philosophus tex. 43. Motum regularem, idest seruantem eandem vniformitatem in velocitate, vel tarditate motus, esse magis vnum, quam motum irregularem idest non seruantem eandem vniformitatem. Hoc autem videtur falsum, quia vnitas motus non cōsistit in tarditate, & velocitate, sed in vnitate formæ, mobilis, spatij, & temporis, quæ etiam possunt seruari in motu difformi, & irregulari, vt si duo pergant continuo per vnam viam, & per mediam horam eadem celeritate, & in alia medietate, vnus eadem velocitate iter continuet, & alius remissius pergat, sed continue.

Sed respondetur, quod duplex est vnitas motus. Prima dicitur essentialis, & hæc consistit in quatuor illis enumeratis. Secunda dicitur essentialis, & modalis simul, & hæc vltra enumerata postulat eandem velocitatem, vel tarditatem, ideo vnus motus secundo modo, vt est motus vniformis, est magis vnius extensiue, & pluribus modis quam motus difformis, qui est tantum vnus essentialiter, sed non modaliter, & ita omnia recta videntur magis vnum, quam tortuosa, quia recta habent vniformitatem in longitudine, non sic tortuosa.

LECTIO VIII.

QVAESTIO XIV.

AN sint duo motus secundum se, quã do aliquid ex contrario mouetur, in contrarium.

Philosophus text. 47. docet motum de contrario in contrarium esse vnum re, & diuersum ratione, ideo hac occasione quæritur, an hic vere duplex sit motus, vel vnus tantum. Videtur enim vnus tantum. Primo, quia Philosophus hic docet talem motum esse vnum re, & eiusdem speciei.

Secundo. Dum manus ex frigida fit calida, idem est subiectum vtriusque contrarij, quod de vno ad aliud tendit. Ergo est vnus motus, quia vnum est mobile.

Tertio. Vbi est vnus terminus ad quẽ, ibi est vnus motus secundum speciem. Sed dum nigrum fit album vnus est terminus ad quem, quia mobile deperdendo nigredinem tendit ad albedinem. Ergo erit vnus numero motus.

Quarto. Si illi essent duo motus, sequeretur, quod vn⁹ motus haberet duos modos contrarios, v.g. acquisitio albedinis haberet pro cõtrario deperditionem albedinis, quia acquisitio albedinis contrariatur deperditioni, & insuper haberet pro contrario acquisitionem nigredinis, quia acquisitio albedinis, & deperditio nigredinis sunt motus contrarij. At per Arist. vnus motus nõ habet duos motus contrarios. Ergo &c.

Quinto. Sic etiam sequeretur, quod vnum duobus motibus moueretur, puta deperditione albedinis, & acquisitione nigredinis, quia acquisitio nigredinis terminatur ad nigredinem, & deperditio albedinis in albedinem, qui sunt motus contrarij ad quos.

Sexto. Vnitas motus desumitur ab id quod est motui intrinsecum. At solum terminus ad quem est motui intrinsecus, & hic vnus est, terminus vero à quo est extrinsecus. Ergo motus de contrario in contrarium intrinsece non erit nisi vnus.

Pro solutione huius quæstionis. Primo notãdum venit, quod circa eam sunt plures modi dicendi. Nam quidam dicunt, quod motus sumptus pro fluxu vnus est, quia tantum tendit in terminum ad quem, sumptus vero pro forma est duplex, quia vna abijcitur, & alia acquiritur. Ita docet Paulus Venetus hic, cum quibusdam alijs. Alij dicunt, proprie non esse duplicem motũ idest inter duos terminos positiuos, sed potius habere rationem corruptionis, quia forma à qua incontrarium incipit motus corrumpitur, & forma ad quam est motus acquiritur. Alij dicunt, quod vnus tantum est motus, quia vnus tantum est terminus intrinsecus motus idest terminus ad quem, terminus vero à quo extrinsece se habet ad motum. At opinio S.D. hic, Coment. & Alberti Magni est, quod duo sint motus.

Secundo igitur notandum venit, quod motus de contrario in contrarium bifariam considerari potest. Primo vt dicit tantum fluxum, & sic dicitur tantum esse vnus, quia terminus à quo non intelligitur sub fluxu, cum ab eo sit recessus, & ad terminum ad quem si accessus. Secundo vt dicit formam sub fluxu successiuo, & sic dicimus duplicem esse motum.

Tertio ergo notandum, quod hic non loquimur de mutationibus formarum, in indiuisibili consistentium. Nam hæ non dicuntur moueri successiue, sed in instanti mutari. Loquimur ergo de formis, quę intensionem, & remissionem patiuntur. Hæ autem in terminis ad quem contrariæ dicuntur, vt albedo, & nigredo, sanitas, & infirmitas, sed in medio permiscentur, vnde contrarietas ipsarum non pensatur ex medio, sed ex extremis. Volumus igitur dicere, quod in motu de contrario in contrarium est duplex motus. Primus quo intelligitur forma termini à quo moueri ad medium, & alius quo intelligimus formam termini ad quẽ cõtinuo abijcere formam termini à quo, & quo ad gradum intensum, & remissum, & accedere ad terminum ad quem idest ad suum esse formale, quo contrariari dicitur formæ existenti sub termino à quo.

Quarto ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Dum mobile mouetur de contrario in contrarium, intelligitur duplici motu moueri. Probatur. Primo. Dum nigrum fit album, non solum albe-

albedo fluit, sed etiam nigredo, vna ascendendo, & alia recedendo. At vbi duplex est fluxus duarum formarum, duplex est motus. Ergo in motu de contrario in contrarium duplex est motus. Respondet Toletus, quod fluxus termini à quo non est motus, sed mutatio, vnde solus fluxus termini ad quē dicitur motus. Sed hæc responsio est falsa. Primo, quia nigredo non corrumpitur in instanti, sed in tempore, idest successiue, vsque quo venit ad medium. Secundo quia sic nullus esset motus distinctus à mutatione, si terminus à quo intelligitur corrumpi, & mutari, & non moueri. Hoc autem est contra Arist. ponentem motum de contrario in contrarium inter duos terminos positiuos.

Secundo. Motus augmenti, & decrementi, accessus, & recessus duo sunt. Sed talis motus reperitur inter duo contraria, quia intensio vnius decrescit, & alterius crescit. Ergo &c.

Tertio. Terminus à quo non facit ad vnitatem motus, vt supra probatum fuit. Ergo facit ad eius diuersitatem.

Ad primum dicimus, motum de contrario in contrarium vere esse vnum materialiter, quia vere est vnus fluxus, sed distingui formaliter, scilicet ratione formarum fluentium.

Ad secundum dicimus, vnum esse mobile, sed sub duplici forma fluente, & ideo duplicem esse motum.

Ad tertium dicendum, quod terminus ad quem facit motum esse vnnm formaliter, & denominatiue, quia motus specificatur à termino ad quem, sed tamen hic vnus motus supponit alium motum idest deperditionem sui contrarij.

Ad quartum dicimus, acquisitionem albedinis includere contrarietatem deperditionis nigredinis, quia vnum expellit aliud, & ideo non sunt duæ contrarietates, sed vna.

Ad quintum dicimus, quod deperditio albedinis non terminatur ad albedinem, quia albedo non acquiritur, sed deperditur, vnde terminatur ad medium.

Ad sextum negatur minor, de ratione enim intrinseca motus est vterque terminus, quamuis diuersimode vt explicatum est.

QVAESTIO XV.

An quies contrarietur motui.

Videtur quod non. Nam per Arist. 10. Diuinorum. Vnum, vni est contrarium. Sed motus contrariatur motui per Arist. hic, vbi dicit ægritudinem con trariari sanatiuo, quia ægritudo est motus ad ægritudinem, & sanatio ad sanitatem. Ergo quies non potest contrariari duobus &c.

Secundo Oppositio contraria est inter duos terminos positiuos, & priuatiua inter priuationem, & habitum. At quies opponitur motui, vt eius priuatio. Ergo non opponitur ei contrarie. Maior est Arist. 10. Diuinorum Minor patet.

Tertio. Illud quod ad aliud ordinatur, non opponitur ei ad quod ordinatur, cum contraria opponantur ad inuicem, & non ad inuicem ordinentur. Sed motus ordinatur ad quietem, nam mouens mouet formam ad terminum, vt sub eo quiescat. Ergo &c.

In contrarium est Philosophus hic, tex. 53.

Pro resolutione quæstionis dicito, quietem contrariari motui, his subintellectis. Primum, quod ei contrariatur contrarietate communiter, quę stat inter habitum, & priuationem, non autem contrarietate propria quæ stat inter duos terminos positiuos. Secundum, quod hic est sermo non de quiete quam habet mobile in termino ad quem ad quam ordinatur motus, sed de ea quam habet in termino à quo motus incipit, verbi gratia Petrus incipit albefieri à nigredine quā reijcit. Tertium est, quod loquimur de termino à quo, non vt est in amissione formæ successiue, sed vt est sub quiete, vt Petrus sub nigredine debeat moueri ad albedinem.

Ad primum primo dicimus ad maiorem, quod hæc propositio. Vnum vni est contrarium glossatur primo de contrarijs in extremo sumptis scilicet in termino à quo, & ad quem, & non vt in medio adunatis, quia medium potest opponi duobus extremis, vt color fuscus,

albedi-

albedini, & nigredini. Secundo valet de contrarijs contrarietate perfecta, quę dicit maximam distantiam duarum formarum, positiuarum, sub eodem genere, non vero valet de contrarietate imperfecta, & communiter, quia vnum pluribus potest contrariari. Tertio valet, quod si vnum pluribus contrarietur, erit verum pro quanto accedit ad naturam, vel rationem eius proprij contrarij. Patet ergo quod non valet in priuatione, & consequenter in quiete quæ priuatiue opponitur motui. Vel secundo dicas ad minorem, quod quies bifariam considerari potest. Primo vt respicit terminum ad quem, & sic dicitur eius priuatio. Secundo vt dicit formam sub termino à quo, & sic forma existens, sub termino à quo, contrariatur formæ existenti sub termino ad quem, & per hæc patet ad secundum.

Ad tertium dicitur, quod procedit de quiete sub termino ad quem, nos autem loquimur de quiete sub termino à quo.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum quies in terminum ad quem sit perfectio motus.

Resolutio huius quæsiti formalis, & breuis est, quod motus bifariam sumi potest. Primo pro fluxu, & sic quies in termino ad quem non est eius perfectio, sed negatio, & priuatio. Secundo pro forma fluente, & transeunte de esse imperfecto sub motu ad esse perfectum, & permanentem sub termino motus, & sic dicitur perfectio motus, quia sic adipiscitur suam perfectionem, & statum permanentem.

Finis Quinti Libri Physicorum.



S E P T I M V S
P H Y S I C O R V M

C A P V T I.

L E C T I O I.

S. D. I.

Omne enim quod mouetur. tex. 1.



IC Philosophus intendit determinare de motu in ordine ad primum motorem, vnde pro explicatione eorũ quæ dicuntur ab Arist. in prima lectione S.D. contenta, tria agenda erunt. Primo enim breuiter explicauimus literam. Secundo ad eam aliquas annotationes addemus. Tertio quædam dubia apponemus.

Quo ad primum habendum est pro generali intentione Arist. in hoc septimo libro, quod intendit aliqua principia ponere, ex quibus in octauo concludet causam effectricem motus esse æternam. In primo ergo tex. statuit vnam vniuersalem hypotesim, videlicet, quod omne quod mouetur, ab alio mouetur, quam in duobus primis textibus duabus rationibus probat. Prima ergo ratio est. Omne quod mouetur, aut mouetur ab intrinseco, aut ab extrinseco. Sed quod mouetur ab extrinseco, ab alio mouetur, vt patet de lapide sursum proiecto, à proijciente. Item quod mouetur ab intrinseco, ab alio mouetur, quia tam animatum, quam innanimatum mouetur à partibus, quarum vna se habet vt mouens, & alia vt mota. Secundo hoc probat sic. Illud quod mouetur ad motum alterius, & quiescit ad quietem alterius, non mouetur per se primo, quia sic ab alio dependet. Sed omne quod mouetur, mouetur ad motum alterius, & quiescit ad alterius quietem. Igitur ab alio mouetur. Minor in quo stat difficultas probatur, quia omne quod mouetur, est diuisibile saltem in duas partes. Modo patet, quod vna mota, alia mouetur, & vna quiescente, & alia quiescit. Tertio potest hoc probari elicitiue ex Phil. sic. Idem non potest simul esse in potentia, & in actu. Sed in composito ex partibus forma mouet, ergo quod se habet vt materia, mouetur.

Quo ad secundum, primo notandum est, quod motus dupliciter considerari potest. Primo secundum se, & in ordine ad naturam, & ad suas partes proximas, & cætera quæ motum consequuntur, videlicet infinitum, locus, tempus, & quoad suas species, & sic de eo hucusque actum est. Secundo potest considerari in ordine ad primum motorem, & sic in hoc libro consideratur, vnde aliqui fuerunt in sententia, hunc septimum librum esse partem octaui libri. Sed nos communem sequimur opinionem, esse præambula rem ad octauum, & Aristotilem pro auctore habere, quod constanter docet Simplicius, & Auerroes. Diuiditur autem in duas partes principales, in prima, ostendit dari primum motum, & primum motorem, in secunda vero comparat mobilia in velocitate, & tarditate motus.

Secundo notandum venit, Philosophum in his libris physicis ordinem doctrinæ seruare, & non naturæ. Nam communiora nobis notiora dicuntur, & ab his incipiendum venit per Arist. primo Physicorum, modo principia motus vniuersaliora, & communiora sunt ea de quibus hucusque actum est, nam modo ea applicantur ad primum motorem, quapropter Arist. primo egit de principijs essendi rerum naturalium, videlicet de materia, forma, & priuatione, & hoc in primo libro, in secundo vero egit de principijs cognoscendi, idest de natura, de causis per se, & per accidens, in tertio de consequentibus naturam, idest de motu, infinito, loco, vacuo, & tempore. *Ordo p̄cedēdi.*

pote. In quinto disputauit de speciebus motus, de eius vnitate, & diuersitate; & in sexto de diuisibilitate, & indiuisibilitate motus, hic autem incipit hæc principia applicare ad primum motorem.

Tertio notandum venit, quod Philosophus in tex. dicit, quædam moueri ab intrinseco, & quædam ab extrinseco, & quod in motis ab extrinseco clarum est; quod per se primo à seipsis non mouentur. Hoc autem dixit esse manifestum ob duplicem causam. Prima est, quia mota ab alio propter hoc quod ab alio mouentur, à seipsis non moueri constat. Secunda est quia mota ab alio violenter (de quibus apud Doctores habet sermonem Philosophus) patet non moueri per se. In motis autem intrinsece motu physico, & diuisibili, necesse est dicere, quod cum diuidantur in duas partes, ratione vnius moueant, & ratione alterius moueantur, & sic non mouentur per se.

Sed a motu ab extrinseco non mouentur per se.

QVAESTIO I.

Vtrum aliquid possit moueri à seipso.

Videtur quod sic. Voluntas seipsam mouet ad actum volendi. Ergo.

Secundo. Aqua calefacta se reducit ad frigiditatem. Ergo mouetur a seipsa.

Tertio. Subiectum per naturalem consequentiam causat, & recipit propriam passionem. Ergo &c.

Quarto. Cor mouetur motu locali in corpore, sed non ab alio, cum sit principium omnis motus in corpore, & idem non possit esse mouens, & motum. Ergo aliquid potest moueri a seipso primo.

Quamuis hanc quæstionem ad longū examinauerimus in 9. Meth. tamen in gratiamPhysicorum aliqua alia dicemus, & repetemus. Sciendum est ergo primo generaliter, quòd Arist. intelligit semp, & directe verificare hanc propositionē, Omne quod mouetur, ab alio mouetur, &c. in motis motu Physico, in motis vero motu Metaphysico, solum extensiue, & indirecte. Sed nec intendit loqui absolute in omni natura, sed in composita ex materia, & forma, quæ est illa, quæ proprie mouetur Physice, vt notauit S.D. de veritate q.23.art.3.

Sed distinguendum venit, quod quadrupliciter potest intelligi aliquid moueri a seipso primo de eo quod dicitur moueri virtualiter, & potentia. Secundo loquendo de eo quod secundum omnes suas partes mouetur, & non solum secūdum vnam, & secundum manum, vel brachium. Tertio de eo quod mouetur a se, & per se primo, vt est primum mouēs. Quarto de eo quod primo mouetur, via generationis, vt est cor secundum medicos. His ergo modis stantibus, quærimus, an aliquid possit moueri a se ipso.

Moueri à seipso quadrupliciter.

Secundo igitur notandum, quod duobus modis potest intelligi ly moueri a se ipso primo. Primo vt idem sonat quod intrinsece. Secundo vt idem sonat secundum quod ipsum totum, & non ratione alicuius partis. In primo modo non est difficultas, quia omne compositum ex materia, & forma dicitur moueri per se, id est intrinsece a sua forma, vnde in secundo stat nodus difficultatis.

Intelligitur dupliciter.

Tertio sciendum est, quod moueri secundum totum adhuc stat dupliciter. Primo vt idem dicit quod non per partem. Secundo vt idem sonat quod omni alio præciso, ita vt sit sibi causa motus, & hoc ab alio non habeat. Tunc Scotus dicit, quod aliquid potest moueri per se primo, primo modo, vt graue descendendo deorsum, non tamen secundo modo, quia quamuis graue non secundum omnem suam partem se moueat, & moueatur, id tantum, se mouet omni alio præciso. Sed hæc opinio figmentum est, & alibi reprobata, nam omne diuisibile per se primo non pōt moueri per Arist. graue etiam est diuisibile. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, quod voluntas mouetur a Deo, & ab intellectu. A Deo quidem quo ad primum actum volendi. Et ita intellectus cum specie producit intellectionem, & vt pura potentia eam recipit. Et ita Angelus seipsum per suam substantiam intelligit, & eius intellectio in intellectu eius recipitur, & voluntas vt potentia recipit volitionem, & cum notitia eam producit.

Ad secundum dicendum, quod in aqua se reducente ad frigiditatē duo sunt. Primum est agens principale, quod dicitur generans, operans mediante substantia aquæ, & eius potentia reducendo aquam ad frigiditatem. Secundum dici-

tur agens quo, scilicet quo mediante aqua mouetur ad frigiditatem, & tale est qualitas frigiditatis existens in aqua, qua mediante generans eam reducit ad frigiditatem. Ita habeas calorem se augere in ventriculo tempore hyemis ab alio.s. a frigore circumstante, & ita dic de multis alijs similibus.

Ad tertium dicimus, quod duplex est motus, & motio, scilicet per mediam actionem, & per naturalem concomitantiam absque alia singulari actione. Argumentum procedit de motione secundo modo, nos autem loquimur hic proprie de ea primo modo.

Ad quartum dicimus cum S.D. opusc. 35. cor moueri motu continuo, & circulari ab anima, vt a primo principio motus, & a potentia motrice, quæ in ipso hæret, vnde ratione potentiæ, mouetur, & ratione virtutis motricis dicitur moueri, hocque sibi vendicat ex sua perfectione, quia est principium omnis motus in animali.

Dubia.

Circa supradicta etiam sunt aliqua dubia. Primo enim dubitatur circa rationem Philosophi, nam eam impugnat Galenus sic. Id quod mouetur per partem, mouetur per se. Ergo non bene infertur, illud mobile non moueri per se, quando vna pars quiescit, & alia pars mouetur.

Ad hoc dicitur, quod moueri per se stat dupliciter. Primo vt distinguitur contra per accidens, & sic verum est, quod id quod per partem mouetur, per se mouetur. Secundo vt distinguitur contra hoc quod est primo moueri, & non per aliud, & hoc est quod intendit Philosophus, scilicet quod illud quod mouetur per partem, ab alio mouetur, & non per se primo.

Secundo dubitatur contra eandem rationem, quia supponit vnum impossibile, nempe quod totum moueatur, & pars quiescat. Nam totum non est nisi suæ partes. Ergo si mouetur totum, mouetur secundum omnes suas partes.

Ad hoc respondent aliqui dicentes, esse impossibile considerando totum non in genere, sed vt tale est, nam coelo moto, impossibile est quod aliqua eius pars quiescat, vt est coelum motum, sed vt est corpus, possibile est ipsum quiescere. Sed hæc responsio reijcitur a S. D. quia cum Philosophus loquatur formaliter, & realiter, prout res vere mouentur, sic impossibile est toto moto, partem quiescere. Respondet ergo ipse, argumentū Philosophi fundari supra propositione conditionali, videlicet, quod si totum a seipso moueretur, non dependeret a partibus, modo motus totius a partibus dependet, vnde est arguere ex conditionali impossibili, vt si arguatur. Si homo est asinus. Ergo est irrationalis, & si asinus habet alas, volat, quod tamen in facto falsum est.

Tertio arguitur contra eandem rationem, quia videtur petere principium. Assumit enim id quod debet probare .s. quod id quod mouetur ad motum partis, non moueatur per se primo, quod non probauit.

Ad hoc de facili dicitur, quod Philosophus non petit principium, quia argumentatur ex conditionibus.

Quarto quæritur an, talis demonstratio sit quia, vel propter quid. Nam videtur quod sit demonstratio quia, quia arguere ex quiete partis ad totum, est arguere ab effectu ad causam, nam quies est causa motus. Sic autem arguit Philosophus.

Ad quartum commentator respondet, hanc esse demonstrationem signi, sed S. D. asserit eam esse demonstrationem causæ, quia quod totum non moueatur a se ex hoc pendet, quia eius motus dependet a motu partium, cum partes sint causæ materiales motus totius, & si non sint causæ formales, sed sic sit totum at intentio Phil. vt apparet in tex. est comparare partes ad totum, vt materiale ad formale.

Quinto arguitur contra eandem rationem, quia per eam probare possumus quod nihil moueatur ab alio primo. Quia omne motum est diuisibile. Igitur ad quietem vnius partis totum quiesceret. Ad hoc omissis multis responsionibus dico, non esse eandem rationem de moto, & mouente, quia mouens se dependet ab aliquo in se habente rationem causæ, seu motū ab alio dicit solum passionem, vnde debet sumi vt passiuum solum, & non

non vt passiuum ad actiuum, sicut sumitur mouens seipsum.

LECTIO. II.

Quoniam autem omne quod mouetur tex. 30.

A Tex. 30. vsque ad 49. hęc habemus. Primum est, quod datur primũ mouens. Probatur. In mouentibus, & motis non est processus in infinitum, neque possibile est infinita mobilia moueri in tempore finito. Sed hoc accideret nisi daretur primum mouens. Ergo. Probatur minor. Sit A mobile, & moueatur a B. & a C. & sic in infinitum, modo sit tempus R. finitum, si moueantur illa mobilia, tunc apparet quod in tempore R. finito, moueantur infinita mobilia. Sed hæc ratio infirma est, sed in octauo roborabitur.

Secundum quod tradit Philosophus est, quod motus potest dici vnus tripliciter. Primo numero, idest ille, qui erit de vno subiecto numerali, ad aliud subiectũ numerale, vt de hoc albo, in hoc nigrum. Secundus dicitur vnus specie, quia est ad eandem speciem motus, v.g. ad alterationem, vel augmẽtum, vel ad motum localem. Tertius dicitur vnus genere, quia est ad vnum genus. s. vel quantitatis vel qualitatis, vel vbi.

Tertio dubitat, an infinita mobilia faciunt infinitos motus. Nam videtur omne mobile facere vnum motum. Respondet Philosophus, quod si omnia mobilia continuentur ad inuicem, quod non est impossibile, erit vnus numero motus. Explicat autem quomodo omnia mobilia possint continuari ad inuicem dicendo, quod hoc non erit secundum se, & quia sic possunt differre; vnde erit quatenus mobilia sunt, sicut homini repugnat habere alas, quatenus homo est, non tamen vt animal est, vt sic, quia dantur multa animalia alata.

Causa subordinata, & non subordinata. Circa supradicta autem primo notandum est, quod in hac ratione intendit Philosophus probare dari primum motorem, mouentem, & non motum, quia si in mouentibus, & motis non datur processus in infinitum, deuenieudum erit ad primum motorem. Considerandum est ergo pro nunc, quod in causis non est processus in infinitum, vnde deueniendum est ad vnam primam causam. Sciendum est tamen, quod causæ sunt in duplici differentia. Nam quædam vocantur necessario subordinatæ, id est inter se necessario dependentes, adeo vt secunda dependeat a prima necessario in esse, & operari. Aliæ vero dicuntur non necessario subordinatæ, quoniã in operari necessario non dependent ab inuicem, cum vna operetur in actu sine alia. Hinc triplex est differentia inter causas subordinatas, & non subordinatas. Prima est, quod subordinatę ita se habent, quod inferior accipit virtutem operandi à superiori, vt in moralibus Balliuus a Rege, & in naturalibus homo a sole, & a Deo. In subordinatis vero nisi accidentaliter, nõ est necessarium inferiorem accipere virtutem operandi à superiori, & si ab ea potuerit habere esse, vnde Plato filius Socratis, filium generat post obitum patris. Secunda est, quod in necessario subordinatis superior est perfectior inferiori, & diuersæ naturæ ab ea, vt patet in intelligentia cælo, & homine generante. In accidentaliter vero tantum ordinatis, omnes causæ, possunt esse eiusdem naturæ, & perfectionis, vt omnes homines generantes, omnes malei ferrum percutientes, & similes. Hoc autem intelligimus quando causa prior est principalis, & nõ quando est instrumentalis, quia nutritiua generationem antecedit, & non est ea nobilior, & operatio sensus præcedit operationem intellectus, & non est eo præstantior. Concurrunt enim in his instrumentaliter, & non principaliter. Tertia differentia est, quod primæ. i. subordinatæ simul concurrunt ad effectum producendum, non vero secundæ. i. non necessario subordinatæ.

In causis effectiuis nõ est processus in infinitũ. His stantibus elicimus primo, non esse processum in infinitum in causis efficientibus, quia sic omnes causæ essent medię, cum nulla esset prima, & sic non mouerentur, quia secunda non mouet nisi mota a prima, & quia in perfectis datur vnum primum perfectiuum, & ideo dicimus in his necessario subordinatis non esse processum in infinitũ, sed nec in non necessario subordinatis, sed simul existẽtibus, quod tamen ab extrinseco prouenit, quia .f. non potest dari infinitum in actu.

actu, in non vero simul existentibus, sed successiue, potest esse processus in infinitum, v.g. in generatione, si esset æterna.

Neque in causis materialib. Secundo elicimus, in causis etiam materialibus non esse processum in infinitum vnde quando Philosophus secundo Meth. tex. 12. vocat materiam infinitam, hoc intelligitur nō positiue, quasi habeat de facto aliquam infinitatem, sed intelligitur negatiue, quia secundum se non vēdicat sibi aliquam propriam formam, qua finiri dicatur. Hinc negamus generationem æternam, quo ad species, cum sint determinatæ, aliter super vna specie essent infinitæ aliæ superiores in esse, & in perfectione, quod contra dicit speciebus finitis, quare, & si possit dari infinitum materiale, vt quantum diuisibile in infinitum, & generatio æterna, hæc non erit nisi successiue, & non simul in actu, quod & accideret in infinita transmutatione elementorum, vt aer fieret aqua, & aqua aer infinities.

Neque in causis formalib. Tertio elicimus in causis etiam formalibus non esse processum in infinitum secundum speciem, secundum indiuidua vtique in specie humana, data immortalitate animæ, & æternitate mundi. Et quamuis numeri differant specie, & in eis sit processus in infinitum, tamen numeri non sunt necessario subordinati secundum aliquam rationem causalitatis, sed tantum prioritatis, & posterioritatis in numeratione.

Nec in finalib. Quarto etiam elicimus in causis finalibus non esse processum in infinitum, cum finis habent rationem vltimi.

Secundo principaliter notandum venit, quod Philosophus duo theoremata assumpsit. Primum est, quod omne quod mouetur, ab alio mouetur, quodquidem in tex. tertio applicauit ad mobile motu locali, quia omne quod mouetur localiter, ab alio mouetur, vsquequo peruentum sit ad primum mouens immobile. Hoc autem probauit in motu locali, & non in alijs speciebus motus ob duplicem causam. Prima est, quia motus localis perfectissimus est, & cæterorum motuum causa, & propter ea quod de primo dicitur, de alijs etiam dictum intelligitur. Secunda est, quia motus localis ducit nos in cognitionem primę causę mouentis localiter cœlum, secundum diuersa vbi, & hoc immediate. Secundum theorema fuit, quod in mouentibus, & motis non est processus in infinitum, sed deueniendum est ad vnum primum moués immobile, quod in 8. magis probabitur.

Dubia.

Sed supradicta non transeunt sine difficultate. Primo ergo dubitatur circa illud, quod dictum est, omnia mobilia posse ad inuicem continuari. Nam corruptibile, & incorruptibile, & ea quæ mutuo se destruunt non possunt continuari ad inuicem. Sed talia sunt mobilia. Ergo falsum est dictum Philosophi.

Ad hoc dubium dicitur, quod omnia corpora corruptibilia, & incorruptibilia bifariam considerari possunt. Primo secundum eorum naturam, & esse. Secundo vt corpora mobilia, & mouentia. Primo modo non possunt continuari adinuicem. Secundo autem modo sic, & in hoc sensu locutus est Philosophus. Sed contra hanc responsionem D. Tho. arguit Iandunus dupliciter. Primo, quod Diu. Thom. non sibi constat, nam in præcedentibus impugnabat illos, qui dicebant non esse impossibile partem quiescere, toto moto, considerando hæc in genere, & pro ratione adducebat, quod illud tunc dicitur impossibile, quando prædicatum repugnat subiecto ratione differentiæ specificæ, sed ratione differentiæ specificæ repugnat, quod omnia mobilia possint fieri vnum. Ergo S. Th. nō sibi constat. Secundo, quia si omnia mobilia possunt fieri vnum, quatenus corpora, & non fient illa potentia esset frustra, quod est contra naturam potentiæ.

Ad primum horum omissis aliorum responsionibus dicimus, quod possibile, & impossibile dupliciter sumitur primo in ordine ad aliquam potentiam actiuam, vel passiuam reducibilem ad actum. Secundo in ordine ad non repugnantiam terminorum possibile, quod tamen impossibile erit Physicæ secundum potentiam actiuam, vel passiuam. Illud ergo quod dicitur impossibile primo modo, habet dicere repugnantiam prædicati cum subiecto, ratione differentiæ specificæ, & hoc est primum assertum S. Th.

sed

sed secundum assertum in hoc stat, quod Physice, sed non Logice repugnat quod omnia corpora vt sint mobilia, & mouentia possint continuari ad inuicem, & per hoc patet ad secundum, quod procedit de potentia Physica, cum tamen nos loquamur de potentia Logica, & obiectiua.

Secundum dubium accidit, (& si aptius ad alium locum trasferri potuisset) quod in mouentibus, & motis non est processus in infinitum, vnde ad vnum primum mouens efficiens improductum deueniendum est. Nam oppositum videtur docere idem Phil. secundo Meth. tex. quarto, vbi dicit, quod principia semper existentia non habent aliquam causam vt sint. Ergo apud eum datur plura principia improducta.

Ad hoc dubium pro nunc breuiter dicitur, clarum esse apud Philosophum 12. Meth. 8. Phys. immo & secundo Metaph. loco citato, quod detur vnum primum principium improductum, dicit enim ibi, vnum esse primum, a quo omnia alia dependent, sicut à primo calido, omnia calida sunt, & hoc quidem effectiue, vt patet exemplo ignis, & non finaliter, vt male interpretatus est Gregor. de Arimino in secundo d. p. quæst. 1. Non enim calida sunt à primo calido finaliter, sed effectiue, & ita omnia etiam à prima causa, vt ibi explicat Commentator. Ad auctoritatem ergo Philos. primo dicitur, quod ibi sumpsit plurale pro singulari, sicut etiam sæpe alibi hoc fecit, præcipue 12. Meth. dum dixit tex. 3. & 39. quod datur substantia separata, semper manens, illico trāseundo ad loquendum de ea in plurali dicendo, omnes substantias separatas esse sine materia. Ideo scito, quod genus aliquando sumitur distributiue pro omnibus in genere contentis, & quandoque collectiue, pro primo generis. Primo modo de eo loquitur in plurali, vt loquēdo de animali, de omnibus animalibus. Secundo vero modo loquitur de eo in singulari, vt de animali vt sic; & ita in proposito loquendo de separatis à materia distributiue loquitur de omnibus in plurali, & loquendo collectiue, de primo tantum. Secundo alij interpretantur verba Philosophi sic, quod principia semper existentium, i. cœlorum sunt semper, & non habent aliquam causam, vt aliquando fit, & aliquando non, sed sunt causæ horum inferiorum, sed cum dependentia à primo motore qui est causa causarum. Alij dicunt, quod ly non habent intelligitur non quo ad esse, sed quo ad mouere, quia creati sunt, vt motores cœlorum, ita vt non habeant causam extra primum, quæ eos moueat ad mouendum. Quarto dicitur, quod duo dicit ibi Philosophus de principijs semper existētium. Primum quod semper sunt vera. Secundum quod illis non est aliqua causa vt sint. Quod ergo, semper sint vera, & sine causa, stat dupliciter. Primo ab intrinseco, quasi eorum veritas, & esse pendeat ex compositione partium, vt accidit in generalibus, & corruptibilibus. Secundo ab extrinseco, quia producta sunt ex nihilo, & habent primam causam pro causa esse, & veritatis ipsorum. Primum est quod intellexit Philos. volendo per hoc ponere differentiam inter ipsa, & composita, non vero affirmauit secundum, quod est quod nos docemus. s. omnes intelligentias in esse, & motu dependere a prima causa, eas creante sine nouitate essendi.

LECTIO III.

Primum autem mouens &c. tex 9.

PRo explicatione eorum, quæ dicuntur ab Arist. à tex 9. vsque ad vndecimum proponenda, & explicanda venit sequens quæstio.

QVÆSTIO II.

Vtrum mouens, & motum debent esse simul.

VIdetur quod non. Primo. Nam sagitta proijcitur a sagittante, eo immoto. Igitur mouens, & motum non sunt simul.

Secundo. Sol calefacit aerem, & tamen non est simul cum aere, cum inter aerem, & ipsum medient multi orbes. s. Veneris, Mercurij, &c.

Tertio. Per Philosophum secundo de

de anima duo corpora dura non possunt se tangere in aere, vel aqua, quin mediet aer, si sunt aere, vel aqua, si sunt in aqua, sed contingit quod corpora mota sint corpora dura, ergo tunc mouens, & motum non erunt simul.

Quarto. Magnes trahit ferrum per magnam distantiam. Ergo &c.

Quinto. Auicenna dicit homines sua imaginatione pluuias generare, & partes corporis distantes immutare, & ita fascinatores nocere animalibus ab eis distantibus. Ergo &c.

Sexto. Arguit Scotus hoc non esse necessarium, saltem in prima causa. i. Deo. Nam Arist. primo de cęlo text. 100. ascribit Deo locum cōuexi primi cœli, a quo loco dicit eum trasmittere suam virtutem, vnde non est necesse, quod simul sit cum passo, vel moto.

Septimo. Infinita virtus non habet modum determinatum agendi. Sed Deus habet virtutem infinitam agendi.

Ergo non determinatur ad hunc modum, vt simul sit cum passo, &c.

Octauo. Sol & Astra multos producũt effectus, non autem per suas virtutes, quia sunt accidentia, accidens autem nō potest generare substantiam. Ergo &c.

Esse simul multipliciter. Pro resolutione quæstionis. Primum notandum est, quod duplex est agens. Primum dicitur proximum, quod supposito, & contactu tangit rem motam, sicut facit figulus rotam. Secundum dicitur remotum, quod supposito non tangit rem motam, sed virtute, sicut facit sol dum calefacit terram. Quod mouens igitur, & motum sint simul stat duobus modis. Primo supposito, & contractu, saltem in principio motus, sicut experimur in sagittante, nauem trahente, vel soles ducente secundo virtute, vt supra. Primo modo intelligit Philosophus mouēs, & motus esse simul, sed etiam secundo modo verum est. Non autem intelligimus mouens, & motum, esse simul loco i. in eodem loco esse, quia hoc est impossibile, sed dicimus hoc modo esse simul contactu, quod inter ipsa non mediet aliud suppositum, si sunt simul supposito, vel alia virtus si sint simul immediatione virtutis.

Opiniones. His stantibus circa præsentem difficultatem inuenio duas opiniones. Prima negat necessariam esse simultatem contactus inter mouens, & motum, agens, & passum, vnde dicit Deum posse agere in omnibus rebus, etiam quod eis non esset præsens, quapropter dicit Deum esse in omnibus rebus propter immensitatem, non vero propter operationem, nisi concomitanter, & per accidens. Ita Scotus in primo d. 37. q. vnica; & ibidem Okam Basolis, Gabriel, & inter veteres Alexander 1. Meth. Cont. 18. Secunda opinio affirmat cum Arist. necessarium esse contactum, & immediationem, vel suppositi, vel virtutis inter mouens, & motum. Hanc tuentur S. D. 1. p. q. 8. art. 1. cū Caiet. Ferr. Bannesio, Zumello, & alijs ibidem, & tertio contra gentes cap. 68. cum Ferr. ibidem, & hic Durandus 1. d. 18. q. 1. Albert. Magnus d. 37. art. 1. D. Bonauentura 1. p. d. 1. art. 1. Aegidius. 1. p. d. q. 1. art. 1. Capreolus in primo dist. 37. q. 1. art. 2. Toletus, Conimb. Ianellus, & Ruuio hic.

Tractus quadru. Tertio ergo sciendum, quod mouere, seu trahere rem motam stat quadrupliciter. Primo per modum finis. i. amore, vnde inquiebat Poeta. Trahit vnumquemque sua propria volupta, & in hoc tractu trahens non imprimit virtutem in tracto, sed tractus sua virtute, & inclinatione mouetur ad trahentem, vt locatum, ad locum. Secundo per modum vacui, & sic in fistula absorpto aere trahitur aqua. Tertio per impressionem virtutis, seu qualitatis alterantis rem tractam, sicut patet in magnete trahente ferrum, & ambra rapiente palleas, & in generante mouente grauia, & leuia secundum S. D. hic. In tali enim tractu imprimitur aliqua virtus trahens non tantum per modum finis, sed etiam per modum sufficientis. Quarto per violentiam aliquam, vt dum vehementiori motu lapis proijcitur deorsum, quam eius naturalis motus efficiat. Intentio ergo Philos. ad omnes hos modos extendi potest, sed proprie tamen de quarto intelligit.

Non habet tantdem modum in medio, & in tra ho, Quarto sciendum, quod agens remotum per medium operans non habet eundem effectum producere in re mota, & in medio, sicut sol non alterat corpora cęlestia, & alterat terram, & piscis stupor sic dictus secundum Plinium 9. Hist. cap.

cap. 37. & 29. de animalibus stupefacit manus piscatores, & non stupefacit retia. Item Hechenis piscis nauigia retardat, & immobilitat, teste eodem Plinio lib. 32. Histor. cap. 1. & tamen minimus est. Ita mirabile est, quod fundus lebetis aqua pleni antequam aqua ferueat calidus sit, & ea feruente tepescat, de qua re multi multa dicunt, apud Conimbr. hic, artic. 6. Ergo autem censeo hoc prouenire, quod cum ignis sursum tendat, ideo vigorosior effectus transmittit calore ad superiores partes, sed quia aqua sua natura frigida est, ideo vbi reperit impetum ignis, ibi ei resistit, quod accidit in fundo lebetis.

Conclusio probatur. Secundo loco principali ponitur hæc conclusio. Mouens, & motum sunt simul, in motu locali. Probatur. Omne quod mouetur, aut mouetur ab intrinseco, aut ab extrinseco, sed in vtroque motu mouens, & motum sunt simul, nam in motu intrinseco constat mouens, & motum se tangere. Hoc etiam patet in motis ab extrinseco secundum quatuor species motus ab extrinseco .s. pulsionis, vectionis tractionis, & vertiginis. Nam pulsio est motus quo mouens a se elongat mobile, quod non facit nisi tangendo, & mouendo ipsum. Pulsio vero quæ diuiditur in impulsionem, quę est motus in quo mouens nunquam relinquit mobile sed ipsum continuo pellit, sicut fit dum quis pondus trahit secum, & in expulsionem, quæ est motus quo mouens mouet motum, non comitando semper illud, vt dum sagittans sagittam proijcit, nam in his duabus speciebus patet etiam mouens, & motum esse simul. Idem diximus de vecione, quæ est tertia species motus extrinseci, vecio enim est motus quo res mota mouetur per accidens, vt dum quis vehitur naui, vel auriga, vel equo, sic enim notum est etiam quod mouens, & motum sunt simul. Idem dicendum venit de tractione, quarta specie quæ est motus, quo mouens trahit ad se mobile, vt dum quis ad se trahit aliquod pondus. Nec hoc negandum est vertigini, quæ est motus compositus expulsione, & tractione quia quod circulariter fertur secundum vnam partem, a mouente recedit, & sic pulsio dicitur, & secundum alteram accedit, & tractio nominatur vnde induit natura dictarum specierum. Adiungimus hoc etiam esse verum in duos modos principales tractionis, scilicet in tractione ad seipsum, vt est respiratio, qua trahitur aer, & expiratione qua expellitur.

Secundo loco principali probatur conclusio vniuersaliter contra Scotum, & asseclas, ex illo psalmi. Quo ibi a spiritu tuo &c. concludit enim. Etenim illuc manus tua deducit me, &c. Ita D. Paulus Act. 17. ait de Deo. Quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Hoc idem docent D. Aug. 8. super Gen. cap. 26. D. Ambros. lib. 1. de spiritu sancto D. Bern. sermone 6. D. Hilar. 8. de Trin. D. Anselmus in Monologio cap. 22. Ac alij partes. Hi enim omnes dicũt Deum ideo vbique esse, quia vbique agit.

Tertio. Vnicuique agenti assignata est sphæra suæ actiuitatis, vnde extra eam agere non potest. Ergo necessarium est quod agens, & passum, mouens, & motum sint simul.

Quarto. Sol secũdum aduersarios non attingit vltima nisi per media. Ergo oportet quod prius in medio necessario agat, quam in extremis.

Quinto. Propter hoc Doctores non concedunt vacuum, quia necesse est coelestes influxus per cælos, & elementa transire ad elementata. Ergo necesse est, quod superiora prius inferiora immediata tangant.

Sexto. Prima causa cum secundis concurrit, & eas quasi pro effectibus habet. Sed implicat quod causa agat per aliam causam, & per eam non agat. Ergo necesse est quod simul cum secundis causis effectus attingat.

Ad primum ergo dicitur, sufficere quod mouens sit simul cum moto, vel in principio motus, vel in successu totius motus, vel virtute, vel supposito, vt supra. Si quis autem quærat, quomodo proiecta, & iacta moueantur. Aliqui, vt Toletus 8. huius tex. 86. & Conimbr. hic artic. 8. hoc prouenire affirmant ab impetu eis impresso a iaciente, vel proijciente, his inhærente, & consequenter dicunt hunc impetum esse qualitatem realem inhærentem rei motæ, vel proiectæ. Primo hoc probant. Quia patet, *Quomodo proiecta moueātur.*

Ee quod

quod cum Angelus cælestem sphæram mouet, in eam impulsum imprimit, & in graui constat, quod cum centro appropinquat, celerius mouetur, & ita leue dum suæ sphæræ appropinquat; & pariter dum mobilia contra eorum naturam mouentur tardius in fine procedunt, propterea quod ille impulsus deficit. Secundo. Quia Angeli boni per vim Dæmones in hunc, aut illum locum impellunt, imprimendo in eis spiritualem impulsum, quare si datur spiritualis impulsus, non est materialis negandus. Tertio. Quia lapis celerius mouetur iactus quam penna quia habilior est lapis ad recipiendum impetum, quam penna. Quarto. Quia Angelus in vacuo potest iaculum mouere, & proijcere, & tamen tunc ab aere non moueretur, cum à vacuo aer excludatur. Quinto. Quia globi tormentarij, qui maxima diruunt potius aerem videntur mouere, & frangere, quam ab eo moueri.

Secunda sententia est S. D. tertio de cœlo, tex. 28. Simplicij 8 huius tex. 82. Auerrois ibidem. Themistij in sua parafrasi lib. de Insomnis cap. 9. Burlei 8. huius tex. 76. Maironis in secundo d. 13. q. 7. & aliorum plurium. Hi enim docent, iacta, & proiecta ab aere fracto moueri, qui dum se post iactum, & proiectum venit, hæc mouet, magis, & minus, prout cum maiori, vel minori impetu aer frangitur, & commouetur. Dicendum igitur venit, quod causa motus proiectorum duplex est. Prima dicitur remota, & talis est proijciens, qui impetu facto in re pro iecta, eam pellit. Secunda dicitur proxima corporalis, & talis est medium, in quo fit motus, idest aer fractus, & adunatus, qui rem impulsam defert.

Hoc expresse docuit Aristot. 8. huius tex. 82. & tertio de cœlo tex 28. & libello de insomnijs cap. secundo & in problematib. sec. 11. prob. sexto & c. prob. primo. Quia si proiectum moueretur per qualitatem ei impressam, seq. quod in initio motus fortius moueretur, quia tunc illa virtus esset in suo initio, hoc autem falsum est, experientia teste. Ergo dicendum venit hoc ab aere obsistente prouenire, antequam frangatur, & eo subito fracto velocius moueri, & celerius quidem quam in fine, quia tunc sunt concitatæ plures partes aeris, quam post vt tradit S.D. secundo de cœlo à tex. 35.

Ad primum ergo aduersariorum dicitur, quod virtus Angeli motiua applicatur cœlo, & sic per eam mouet. Grauia autem, & leuia proiecta contra propriam inclinationem, dum suo loco accedunt, celerius mouentur a generante, & à suis qualitatibus naturalibus. Ad secundum dicitur, quod ille impulsus est per alligationem, grauium vero, & leuium à generāte, & per qualitatem intrinsecam vnde diuersa est ratio. Ad tertium dicitur, quod penna cum sit leuis, non frangit cum impetu aerem, & per eum concitatum mouetur cum tanto impetu, vt lapis, quia ipse magis aerem concitat. Ad quartum dicimus, quod tunc in vacuo moueretur iactum per impulsum in eo factum in initio motus, & si motus esset violentus, qualitas moti retrocederet motum, quia non haberet requisita ad continuationem motus violenti. Quintum pro nobis cōcludit, quia magna concitatio aeris magnum impetum facit.

Ad secūdum principale dicendum est, quod sol non est agens proximum, sed remotum, cui sufficit esse simul cum re mota contactu virtutis. Secundo dicitur, quod est simul suo modo. Et si quis quærat, quodnam agens proximum erit in calefactione terræ, dicemus, esse radios reflexos solis. Nec negandum est, solem calefacere terram, cum non calefaciat medios orbes, quia eius actio recipitur in diuersis subiectis secundum eorum dispositionem, liquefacit enim terram, & non liquefacit lapides, & in vno loco producit aurum, in alio argentum, & in alio plumbum, pro natura, & dispositione suscipientium eius actionem.

Ad tertium dicendum, quod duplex est corpus. s. resistens, & non resistens, vnde intendit Philos. negare inter mouens, & motum, non omne corpus non resistens vt est aer, & aqua, sed corpus resistens, & agens.

Ad quartum dicebat Alexander, magnetem trahere ferrum per modum finis. Sed hoc impugnat S. D. Primo. Quia sic traheret ferrum in quacumque distantia, quod falsum cernitur. Secundo, quia magnum ferrum non trahitur nisi a magna magnete. Tertio, quia

sic

sic semper traheret, quod non est verum, quia si perungetur alijs, non trahit, nec Ambra ad se trahet paleas nisi prius sit calefacta. Dicendum venit, quod talis attractio non est propria, de qua intelligebat Phil. in propria enim attractione mouens, & motum mouentur ambo, saltem in initio motus. Vel tertio melius dicas; quod magnes trahit ferrum effectiue, imprimendo in eo quandam qualitatem attractiuam, vt tradit Galenus primo de natura, & propterea censeo ferrum, seuacum quandoque ad diuersas partes trahi a magnete, si vera sunt quæ tradunt Lusitani, in Fernandi Magaliani admirabili nauigatione. Oportet enim in locis illis ad quæ se conuertit acus magnesius, esse aliquam qualitatem attrahentem, quę nobis nota non est, cum in nostris nauigationibus Europeis sciamus pixidem magnesiam non conuerti niui ad articum polum Vide autem de hac re multa iocunda apud Conimb. hic quæst. 1.

Ad argumentum Auicennæ dicimus, falsum esse homines sua immaginatione pluuias facere, hoc enim vel casu, vel miraculo, vel actione Dæmonis fit. Quod tamen imaginatio, & phantasia corpus alteret, docet S. D. de quærit. q. 26. artic. tertio ad vndecimum, nam cum motu cordis appetitum diuersimode excitat, vnde in timore corpus pallet, ac frigesci, in verecondia rubore perfunditur, in ira sangui accenditur, & in mærore florida facies obscuratur. Hoc autem prouenit, quia apprehensio nociui, vel proficui, amabilis, vel odibilis appetitum mouet, & appetitus sanguinem alterat, concitat, & secundum diuersas eius alterationes varios motus, & effectus producit. De fascinatione autem dicendum venit, quod ab oculis fascinantis vapores pessimi egrediuntur, qui aerem corrumpunt, & sic viuens attrahens hunc aerem nociuum, patitur sicut etiam contingit tempore pestis. Quot enim fascinatio detur, docuit Arist. in prob. sex. 20. prop. 34. D. Th. ad caput tertium Epist. ad Galatas, & p. p. quæst. 112. art. 3. & tertio contra gentes cap. 100. & Albertus Magnus lib. 22. de Animalibus cap. quinto Immo aliquibus famelijs in est fascinario à natiuitate, vt tradit Plin. lib. 7. cap. 2. & lib. 33. cap. 10. nat. hist. Ex oculis autem præcipue fascinatio prouenit. Primo, quia animalia venenosa in extremis, venenum habent. Secundo quia oculi spiritosi sunt, & affectus cordis ad eos de facili transeunt.

Ad sextum dicendum, Aristot. ponere Deum in concauo primi cœli, non tanquam in loco sibi adæquato, sed vt in loco proportionato eius excellentiæ, & maxime accommodato ad diffundendam suam virtutem.

Ad septimum dicimus, infinitam Dei virtutem ab alio non determinari ad agendum hoc, vel illo modo, sed se determinare, ad agendum prout ei conuenit, & secundum se, & in ordine ad causas secundas.

Ad octauum dicimus, quod illæ virtutes quamuis natura sua sint accidentia, causaliter tamen dicuntur substantiæ, quia agunt, vt eius instrumentum coniunctum, vt docuimus 7. Meth. vide ibi.

LECTIO IV.

S. D. IV.

At vero neque inter id quod alteratur.

IN text. 12. & 13. confirmat Phil. conclusionem in præcedentibus positam, & quo ad motum localem probatam. s. quod mouens, & motum debent esse simul. Probat igitur etiam hic primo quadam inductione, quod mouens, & motum sint simul in motu alterationis sic. Nam omnia quæ alterantur hoc habent, quod vltimum alterans .i. immediatum, & non remotum, & primum alteratum idest, quod primo via generationis alteratur, sunt simul tactu. Nam duplex est alterans. Primum dicitur remotum, vt ignis à longe calefaciens secundum dicitur proximum, vt aer ab igne calefactus. Primum non est simul cum alterato. Secundum vero vtique, & de hoc loquitur Philosoph. dum dicit, necessarium esse, quod alterans tangat, vel secundum totum, vel secundum partem alteratum, aut secundum totum, aut secundum partem. Secundo loco probat eandem conclusionem tali ra-

tione. Omnis alteratio est similis alterationi sensibili .i. quæ fit secundum sensum. Sed in alteratione quæ est secundum sensum alterans, & alteratum sunt simul. Ergo, & in qualibet alteratione. Maiorem ostendit, quia alteratio fit secundum qualitates sensibiles, quæ constituunt tertiam speciem qualitatis, vt sunt grauitas, leuitas durities, & mollities, quæ sensu percipiuntur, sonus, & non sonus, quæ auditu, albedo, & nigredo visu, dulcedo, & amaritudo gustu, humiditas, & siccitas, densitas, & raritas, tactu & sic de contrarijs supradictis, & medijs. Omnes enim hæ dicuntur passiones, quia passionem sensibus ingruũt, vel quia a passionibus causantur. Secundum autem has qualitates corpora dupliciter differunt. Primo vel secundum eandem qualitatem, magis, minusve participatam. Secundo quia habent diuersas qualitates. Nam ignis ab aqua differt per diuersas qualitates, quia ignis calidus, & siccus est, aqua vero frigida, & humida. Album vero, & minus album differunt secundum magis, & minus, respectu eiusdem formæ .i. albedinis, quia diuersimode eam participant, subdit. Quod secundum has qualitates alterantur corpora animata, & innanimata, & partes animatorum quæ sunt innanimatæ, vt pili, & vngues, quia calescunt, & frigescunt, & alio modo alterantur. Minorem vero ostendit, quia inter alterans, & alteratum nullum cadit medium, nam si substantia agit per qualitates tamquam per medium, medij non erit medium, vnde formetur sic ratio. Alteratio fit secundum, qualitates sensibiles, quæ sunt obiecta sensuum, secundum quod eorum sunt obiecta. Sed hæc agunt semper per medium contiguum. Ergo inter alterans, & alteratum nullum est medium, Maior supra est explicata. Minorem ostendit per medij contiguitatem, nam corpori aer est contiguus, & ita visui quare lumen agit in corpus, & superficiem per aerem contiguum, & color similiter per aerem in visum agit, & sic in alijs sensibus. Tandem hoc probat in motu augmenti, & decrementi ab extrinseco, relinquendo quod in eo quod est ab intrinseco hoc notum sit. Hoc ergo sic probat. Appositio, & subtractio fiunt per hoc, quod per appositione quanti quantum augetur, & per subtractionem minuitur, sed hoc non potest fieri nisi apponens sit simul cum apposito, & subtrahens cum subtracto. Ergo in motu augmenti, & decrementi, mouens, & motum erunt simul.

Circa supradicta autem primo venit notandum, quod primum, & vltimum dupliciter sumuntur. Primo pro primo in ordine causandi, quod est primum remotum alterans. Secundo pro proximo, eo quia ascendendo ab effectu ad causam primum quod occurrit est illud .i. proxima causa. Dum ergo Philos. dicit mouens, & motum, agens, & patiens, esse simul proprie, & formaliter loquitur de primo agente, & mouente, nam primum .i. remotum non solet esse simul cum re mota supposito, & tactu, sed virtute, & causalitate prout apparet in virtute solis generantis fortem cum patre eius.

Secundo notandum est, quod dum Aristot. attribuit obiectis sensum alterare potentias, exemplificat etiam de sono, quod S. D. interpretatur de sono in aptitudine sumpto, & non in actu. Sonus igitur bifariam sumi potest. Primo vt est sonus in actu, & sic est qualitas in aere consequens aliquem motum localem, quare secundum huiusmodi qualitatem non videtur primo, & per se esse alteratio. Secundo vt dicitur sonus in aptitudine alicuius sonabilis, & sic non fit aliquid sonabile, vel non sonabile nisi per aliquam alterationem. Hæc autem distinctio S.D. bifariam intelligi potest. Primo de sonabili, secundo de sono. Si intelligatur de sono formaliter, & subiectiue, dixit ipsum sonum esse in aere secundum quandam qualitatem consequentem motum localem soni vsque ad auditum vnde ad ipsum non est primo, & per se alteratio .i. ad sonum formaliter, nam in auditu causabit alterationem per receptionem soni. Si vero sumatur subiectiue pro sonabili, sic conspicuum est quod id quod erat solum in potentia sonabile, non fiet actu sonabile nisi per alterationem reducentem sonabile de potentia ad actum, vel econtra ipsum remouens ab actu; & sic necesse erit, vt sint simul.

Tertio notandum venit, quod Philos. attribuit

Altera-tio ani-matorũ, & inna-nimato-rum dif-ferunt. attribuit alterationem animatis, & inanimatis, sed cum multiplici differentia. Prima est in cognitione, quia animata, vel cognoscunt, vel cognoscere possunt sua cognitione sensitiua alterationem, non sic inanimata. Secunda in vniuersalitate, quia quæ alterant inanimata, possunt etiam alterare animata, sed non omnia quæ alterant animata possunt alterare inanimata possunt alterent per apprehensionem qua inanimata carent. Tertia est, quia alteratio animatorum formalius dicitur alteratio secundum qualitatem sensibilem, quia sentitur, non sic alteratio inanimatorum, cum sensu sint orbata, vnde alterantur qualitate sensibili secundum se, non vero ab ipsis.

Sunt si-mul. Quarto notandum venit, quod aliud est loqui de mouente, & moto secundum supposita, & aliud secundum quod se tangunt. Nam loquendo secundum supposita quibus actiones attribuuntur, non est necessarium quod suppositum mouens sit semper simul tactu cum supposito moto, nam Aristot. tex. 13. dixit mouens tangere motum per aerem medium. Loquendo vero de tactu, dicimus quod cum aer sit quoddam medium deferens actionem suppositi mouentis, & operantis, ita vt agat eius virtute, & motione, ideo agens, & patiens, mouens, & motum, alterans, & alteratum dicuntur esse simul, & generaliter suppositum agens cum re acta, quia qualitas per quã agit suppositum substantiale, dicitur substantia, non formaliter, sed causaliter, vt 7. Meta. ostendimus.

QVAESTIO III.

An per absolutam Dei potentiam fieri possit, quod agens agat, vbi non est præsens.

Videtur quod sic. Nam principale agens potest mouere instrumentum, vt agat tantum vt a Deo motum, & non secundum propriam virtutem. Igitur agens aget vbi non erit, &c.

Secundo. Probabile est Phantasiam in capite residentem, vt instrumentum animæ effectiue mouere appetitum, in corde insidentem, & tamen multum distant. Igitur fieri potest, vt aliquod agens assumatur ad agendum in loco, vel passo a quo multum distat.

Tertio. Credibile est ignem inferni in centro terræ existens, agere in Dæmones, per aerem vagantes, vt est Dei instrumentum, & tamen ab his distat.

Quarto. Humanitas Christi fuit Diuinitatis organum, & instrumentum ad miracula operandum. At Christus miracula in distantem locum operabatur. Igitur non est inconueniens posse Deum assumere aliquod agens ad agendum, vt eius instrumentum in locum distantem ab eo.

Quinto. Omnis creatura Deo per potentiam obedientialem subditur, ad omnia ea quæ Deus voluerit in ea, & per eam operari. Sed non est in congruum dicere, posse Deum Paulum Romæ existentem assumi vt eius instrumentum ad aliquid operandum Venetijs, quia hoc non excedit Dei virtutem infinitam.

Sexto. Simultas agentis, & passi vt conditio extrinseca requisita ad agendũ cum actio, & virtus a simultate non dependeant. At Deus potest supplere pro omni conditione extrinseca. Ergo &c.

Septimo. Secundum S.D.3.p.q.32.art. quarto Sacramenta concurrunt vt instrumenta gratiæ, sed hæc sæpe operantur vbi non sunt, vt patet in matrimonio inter absentes, in eis operans gratiam. Ergo &c. Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod circa eam sunt duæ opiniones. Prima affirmat posse Deum assumere aliquid vt eius instrumentum ad operandum, vbi nullam habeat virtutem.

Hanc tenuit Scotus, in primo d.37.& naturaliter, & a fortiori per absolutam Dei potentiam. Item Palud.in 4.d.1.q.1. Conimb.hic, cap.2.q.2. Cardinalis Bellarminus li.2. de Sacram. in genere cap.11. Suarez 3.p.q.13.art.1.dist.31. sect.6.quã immerito Conimb. attribuunt etiam D. Th.Caiet. cum tamen hoc non affirment, sed oppositum. *Opinio.*

Secunda sententia censetur S. D. p.p. q.45. vbi docet instrumentum a Dei eleuatum debere aliqua sua virtute concurrere ad operandum, quapropter creatura non potest eleuari ad creandum, quia non potest habere actum proprium

in

in nihil. Hanc sententiam receperunt Molina p.p.quæst.8.art.1.dist.2. & Ruuio hic. q.2.

Pro resolutione igitur quæstionis tot intelligimus. Primo loqui de potentia Dei absoluta, secundum quod de ea philosophari possumus, nam forsitan habet modos latentes in sua infinita potentia, secundum quos potest facere, vt agens agat in absens,& in nihil.Secundum est, quod loquimur de præsentialitate suppositali, vel virtuali, & volumus dicere, implicare, agentē posse agere in aliquid sine contactu suppositali, vel virtuali. Tertium est, quod si loquamur de contactu tantum virtuali, dicimus implicare instrumentum agere in rem quam sua virtute non tangit, hæc enim contradicunt, agere sua virtute in aliquam rem, & eam sua virtute non tangere. Non negamus autem posse Deum assumere aliquid vt instrumētum inanimatum, quod nihil operetur, sed tunc habebit præsentialitatem suppositi, & si non virtutis.

Conclusio probatur. His stantibus conclusio est. Implicat agens agere in rem quam nō tangat, vel supposito, vel virtute. Probatur primo. Necessaria est existentia ad esse in rerū natura, adeo vt implicet rem existere sine existentia,& ita ad operari in tempore, necessarium est esse in tempore. Ergo similiter ad operandum in loco, necesse est esse in loco, vel supposito, vel virtute. Ideo dum Conimb. dicunt posse Deum facere, quod agens non attingat rem in quam agit secundum suam substantiam, sed bene secundum suam actionem, tunc affirmant quod nos defensamus, scilicet necessarium esse agentem esse præsentem ei in quod agit, vel præsentia suppositali, vel saltem virtutis, & actionis.

Secundo implicat instrumentum Physice operari in rem aliquam, & Physice non esse cum ea, vel operari moraliter, & moraliter non esse cum ea, nam affirmamus quod agens eo modo quo agit, simul est cum re in quam agit.

Argumenta soluuntur. Ad primum ergo dicitur, quod tunc instrumentum erit simul supposito, i. præsentialitate rei, & si non virtutis, cum re in quam agit. Sed hoc non est difficiū nostrum. Disputatio enim est quando instrumentum concurrit vt instrumentū Physice, & vt instrumentum coniunctū, an tunc possit esse, quod rem attingat sua virtute, & non sit præsens virtute, & per hoc patet ad alia argumenta. Secundo enim probat phantasiam non esse simul cum corde contactu rei, non vero probat non esse simul cum eo virtutis contactu. Ita si ignis inferni excruciat Dæmones Physice, necessarium erit, quod per aliquam actionem, & virtutem eos excruciet. Si vero eos affligit moraliter, simul cum eis erit moraliter, & obiectiue. Ita quartum probat humanitatem Christi vt instrumentum verbi fuisse simul cum his in quibus miracula operabantur, quæ est simultas virtutis, & si non suppositi. Ita quintum docet tunc Deum assumere corpus ad operandum in aliquo loco per præsentialitatem virtutis, & in summa omnia probant aliquam simultatem, vel realem, vel moralem, vel vt instrumenti, coniuncti, vel vt separati, vnde disceptatio potius est verbalis, quam realis.

CAPVT III.

LECTIO V.

S. D. V. & VI.

Quoniam autem quæ alterantur, &c. tex. 14.

A Textu 14. vsque ad vigesimumprimum immoratur Philos. ad probandum quod solum ad tertiam speciem qualitatis est alteratio .i. secundum qualitates sensibiles, in tex. ergo 14. proponit, quod omnia alterantur secundum qualitates sensibiles, vnde illa solum alterantur, quæ apta nata sunt pati a qualitatibus sensibilibus.

In textu vero quintodecimo arguit videri circa quartam speciem qualitatis esse alterationem.i.circa formam, & figuram,& hoc idem probat de prima specie sic. Acquisitio, & remissio qualitatis, non videtur fieri posse nisi per alterationem. At in prima, & quarta specie qualitatis datur acquisitio, & remissio qualitatis,v.g. acquisitio, & remissio virtu-

tis

tis in prima specie, vel formæ, vel figeræ in quarta. Ergo ad eas est alteratio. Respondet Philos. quod ad has per se, & principaliter non est alteratio, quod probat multipliciter. Primo. Ad eas nō est per se primo, & principaliter alterātio, quæ consequuntur alterationes primarum qualitatum. At sic se habent forma, & figura, quia non sunt condensatio, vel rarefactio, sed hæc consequuntur. Ita cum aliquid calefit, vel infrigidatur inadæquate, hanc calefactionem, & infrigidationem, consequitur sanitas, vel ægritudo. Ergo cum omnis alteratio quæ est in prima, & quarta specie non fit nisi propter rarum, & densum, caliditatem, & frigiditatem, vel similem qualitatem sensibilem, ad primam, & ad quartam speciem non erit per se alteratio. De secunda autem specie.i.de naturali potentia, & impotentia hoc non probat, quia constat, quod hæc non acquiruntur, nisi per transmutationem naturarum, quæ non fit nisi per qualitates sensibiles.

Secundo probat de quarta specie qualitatis sic. Quando forma imprimitur per alterationem, subiectum prædicatur in recto de qualitate ipsa, & non in obliquo. Sed in artificiatis in quibus attendantur forma accidentalis, & figura, subiectum seu materia non prædicatur in recto, sed tantum denominatiue de forma, & figura. Ergo ad hæc non est primo, & principaliter alteratio. Maiorē, & minorem explicat exemplis, nam dicimus aerem, vel argentum esse calidū, vel frigidum, humidum vel siccum in recto, non vero dicimus esse triangulū, vel piramidem, sed tantum denominatiue. i. habere formam, vel figūram piramidis, vel trianguli. Tertio hoc sic probat. Dum res fit, alterari non dicitur, non enim dicitur domus alterari dum fit .i. dum lateratur, vel tegitur. At dum res acquirit formam, & figuram.i. dum domus lateratur, & cooperitur dicitur fieri, ergo non alterari.

Quod autem probauit in quarta specie, intendit etiam probari in prima, scilicet quod ad primam speciem qualitatis .i. ad habitum, & dispositionem, non fit primo per se alteratio. Et quoniam habitus, & dispositiones sunt in duplici differentia. s. corporis, & animæ, ideo a text. 17. vsque ad 21. hoc conatur probare. Hic igitur primo probat de habitibus, & dispositionibus corporis sic. At aliquid non est per se primo, & principaliter motus. Sed quæ ponuntur in prima specie qualitatis sunt ad aliquid. Ergo ad hæc non est motus. Ergo nec alteratio. Probatur, quia alteratio non fit nisi cum motu. Maior habita est in quinto & probatur. Virtutes, & malitiæ sunt habitus. At hæc dicuntur ad aliquid. Minorem ostendit sic. Quæ bonum, vel malum reddunt habentem sunt habitus, tales sunt virtutes, quæ bonum eum reddunt. i. aptum ad aliquid agendum, vel non, & malitia, quæ eum inhabilem reddit, ad bene aliquid operandum, vt facit ægritudo. Minorem probat exemplis, quia sanitas dicitur commensuratio, & proportio humorum. Ita pulchritudo est commensuratio, & proportio omniū partium corporis, & macies. i. dispositio optima ad motum, & actionem. Ergo cū hæc dicatur per respectum ad opus agendum, dicuntur relatiue.

Secundo principaliter probat ad habitus animæ non esse alterationem, & hoc dupliciter. Primo quantum ad partem appetitiuam. Secundo quantum ad partem intellectiuam. Primum sic probat. Nihil dicitur per se primo alterari quando perficitur, vel quando corrumpitur. Sed anima per virtutes quæ sunt habitus perficitur, & per malitiam corrumpitur. Igitur ad habitus, & dispositiones non est per se primo alteratio. Maior vt ex superioribus nota relinquitur. Minorē probat ita. Tunc res dicitur perfici, quando accipit complementum suæ perfectionis, & imperfecti, quando ipsum amittit. Virtus autem est complementum naturæ in naturalibus, nam tunc dicimus naturam perfici, quando habet suam virtutem, vt operari bene possit, & ita in Mathematicis, tunc res Mathematica dicitur perfecta, quando habet perfectionem suæ formæ, vt circulus formam circularem. Secundo ostendit, quod tamen consecutiue ad virtutes, & malitias est alteratio, & hoc dupliciter. Sed prius sciendum est, duas fuisse opiniones apud homines, de virtute, & malitia. Nam Stoici dicebant, omnes passiones, vt spes,

spes, timor, & eiusmodi esse perturbationes animæ, & eius ægritudines, vnde dicebāt virtutem esse animæ sanitatem, & causare in anima tranquillitatem, & ideo non posse in ea introduci, nisi remotis omnibus. At Peripatetici dixerunt virtutem stare in medio, & in moderatione passionum, vt dicitur secundo Ethicorum. Malitiam vero constituerunt in superabundantia, & defectu passionum, cum habilitate, ad passiones contrarias virtuti, quibus stātibus secundum vtranque opinionem probatur primo ad virtutem, & malitiam consequi alteratione. Remotio passionum totalis, vel aliqualis, ita earum moderatio secundum secundam opinionem, non potest fieri sine alteratione, quia passiones secum trahunt alterationem. Sed virtus non est nisi remotio passionum, vel earum moderatio. Ergo ad eas consequitur alteratio. Secundo idem probat sic. Omnis virtus moralis consistit in aliqua delectatione, vel tristitia. At delectatio, & tristitia non sunt sine alteratione. Ergo ad virtutes morales, quæ sunt in appetitiua parte consequitur alteratio. Maior ostenditur, quia non est virtuosus, qui in actibus iustitiæ non delectatur, & in actibus iniustitiæ non tristatur, & hoc, vel in actu secundo, vel in memoria præteritorum, vel in spe futurorum. Maior vero est clara; quia tristitia, & delectatio afficiunt sensum.

In textu secundo vlterius progreditur ostendendo, quod alteratio non est in parte animæ intellectiuæ, & hoc dupliciter. primo in generali, secundo in speciali. In generali sic. Ad ea quæ sunt de prædicamento ad aliquid nōn est motus alterationis. Sed scientia, quæ est in parte intellectiua, est de prædicamento ad aliquid. Ergo ad eam non est motus alterationis. Maior fuit probata in quinto, quia scilicet motus non aduenit subiecto sine eius mutatione, ad aliquid vero vtique & ita scientia aduenit intellectui absque eius mutatione, cum intellectus accipiat scientiam ex experientia particularium quæ residet in sensibus. Minor videtur clara, quia scientia dicitur relatiue, idest scibilis scientia.

Secundo hoc probat in speciali dupliciter. Primo in vsu scientiæ. Secundo in acquisitione eiusdem. Quo ad vsum sic. Alteratio non fit nisi per acquisitionem accidentium. Sed vsus scientiæ non est acquisitio accidentium. Ergo non est alteratio. Maior patet ex dictis in quinto, minor probatur. Quia vsus specierum non est generatio, vel acquisitio ipsarū, v.g. videre non est alteratio videntis, sed vsus specierum visibilis, & ita consideratio est actus, & vsus specierum intellectiuæ potentiæ, & non vera acquisitio alteratiua. Secundo hoc idem probat de acquisitione scientiæ sic. Quidquid aduenit alicui per solam quietationem perturbationum, & passionum, non aduenit per generationem, & alterationem, sed scientia quæ est cognitio speculatiua, & prudentia quæ est ratio practica adueniunt animæ per quietationem, & remotionem corporalium passionum, & turbationum. Ergo scientia, & prudentia non adueniunt animæ per generationem, & alterationem. Maior potest ostēdi exemplo habentis scientiam, qui si inebrietur, dormiat, vel infirmetur propter has perturbationes non potest vti scientia, & his sedatis maxime. Minorem explicat exemplo iuuenum, qui propter multitudinem, & confusionem passionum non sunt bene apti ad scientiam, & prudentiam, sicut sunt presbyteri, idest senes, qui habent passiones, vel ab ætate, vel exercitio sedatas, nam sic sedendo, & quiescendo animus fit prudens.

Circa supradicta autem plura sunt notanda. Primo enim notandum venit circa primam rationem, quod Phil. probabat alterationem non esse ad quartam speciem qualitatis, quia quod alteratur prędicatur in recto de alterato, dicimus enim lignum esse calidum, frigidum, &c. Si vero ex eo fiat figura Cæsaris non dicimus ipsam figurā esse humidam, vel frigidam &c. Sciendum circa hoc est, quod alteratio est qualitas non mutans rem, seu subiectum quale, sed solum ei imprimens passibilem qualitatem, v. g. faciens manum de frigida calidam. At forma, & figura variant rem, quia faciunt quod illud quod dicebatur calidum, & hoc calidum, seu lignum, amplius non dicatur lignum, vel calidum, sed forma, & figura v.g. figura Cæsaris, Herculis &c. quare dicere lignum est calidum, est prædicatio *Forma supra nō prędicatur in recto.*

catio

ratio formalis, & in recto, dicere vero lignum est figura Cæsaris .i. formatum sub figura Cæsaris, est prædicatio in obliquo, & denominatiue.

Habitus corporis dupliciter considerari possunt. Secundo notandum venit circa tex. 12. in quo probauit Arist. habitus corporis, vt robur, sanitas, fortitudo, & similes esse ad aliquid. Scito quod huiusmodi dupliciter considerari possunt. Primo secundum esse, seu secundum id quod sunt, & ita sunt res absolutæ, sanitas enim est quædam temperies humorum, &c. Secūdo vt includunt quandam propositionem, & ordinem, & sic relatiue dicuntur.

Sanitas corporibus depēdeat. Tertio animaduertendum venit ex eodem textu, circa exemplum sanitatis, quod Aristot. dixit sanitatem esse debitam commensurationem humorum dupliciter. Primo (inquit) eorum quę sunt infra, & Secundo ad continens. Commentator ergo per commensurationem humorum, quæ sunt infra, intelligit temperamentum humorum, ex quibus corpus componitur, quod, & sentit S.D. sed circa ly, & ad continens dissidiū est, quia per continens Commentator cū Simplicio, & Magno Alberto intelligit aerem continentem, ita vt sanitas a duobus dependeat, primo a debito temperamento humorum, secundo a continente, & circunstante aere, non valente eam tollere, vel eneruare, nam aer ex virtute cœli si bonus est, magna operatur ad sanitatem, & si malus est, ad ægritudinem, vt etiam docuit Aristot. in prob. sect. 14. & septimo Polit. cap. 11. & Hyppocrat. in lib. de locis, aere, & aqua. At S.D. per continens intelligit corpus continens sanitatem, quia corpus multum facit ad sanitatem, vnde temperies humorum corporis leonis, poterit esse infirmitas corporis hominis. Quod autem Aristot. per continens non intelligat aerem probat, quia sanitas animalis non dicitur per comparationem ad aerem sanum, sed econtra aer dicitur vnus per comparationem ad animal, quia est ei sanus. Sed hæ duæ opiniones de facili conciliari possunt dicendo, quod verba Aristot. prægnantia sunt, adeo vt de corpore continente, & aere circunstante intelligi possint, sed de corpore per se, vt de continente sanitatem ab intrinseco, de aere vero per aliud idest, per ordinem ad corpus, quod ab extrinseco ambit.

Quarto notandum est pariter circa eundem textum, quod Aristot. ait sanitatem pulchritudinem, & similes dispositiones, & habitus debere iudicari per comparationem ad optimum. Per optimum autem Commentator intelligit quoddam extrinsecum, vt homo debet iudicari sanus per respectum ad sanissimum hominem, & pulcher per respectum ad pulcherrimum. At S.D. per optimum intelligit opus, seu exercitium propriarum operationum, vnde homo dicitur sanus quando potest exercere operationes sani, & pulcher, quando ostendit debitam commensurationem omnium partium corporis. Reprehenditur expositio Auerrois, quia accidit pulchritudini, & sanitati relatio ad vnum primum sanum, vel pulchrum extrinsecum, ab intrinseco autem conuenit sanitati, esse debitam commēsurationem humorum, ad exercendas proprias operationes &c.

Quinto notandum venit, quod Philos. text. 19. dixit totam virtutem moralem esse positam in delectationibus, & tristitijs, intellige secundum sensum, quātum etiam virtutes intellectuales habent, & ipse propriam delectationem intellectualem, & maiorem.

Sexto notandum venit circa text. vigesimum, quo affirmauit animam nostrā quiescendo à passionibus sapientem fieri, & prudentem, quod in hac per se locutus est secundum opinionem Platoniorum, vt bene notat S. D. Dicebant enim Platonici formas separatas duos causare. Primum excellentiam rerum naturalium, & generationes earum, pro quanto materia aliquo modo participabat has formas separatas secundum esse. Secundum est, quod etiam causabant in animam nostram scientiam, pro quanto eas aliquo modo quo ad scire participabat, vnde secundum Platonicos nostrum scire non acquirebatur a rebus, sed a substantijs separatis, & hoc in infusione animæ, quare si iuuenes non ita bene intelligebant, nec prudentes erant, proueniebat propter abundantiam passionum quibus in eis sedatis, tūc anima ab his expedita recte, & clare discernebant, ac rerum naturas diiudica-

bat. Oppositum autem ex propria sententia docuit Arist. primo Posteriorum, & tertio de anima, scilicet quod nostrũ scire sit generatio.i. acquisitio scientiæ, facta adminiculo sensuum interiorum, & exteriorum, & lumine intellectus agentis. Mos autem fuit Arist. ante suam sententiam aliorum sententijs vti, sicut etiam in tertio secundum opinionem Platonis dixit, omne corpus sensibile habere grauitatem, vel leuitatem, cuius oppositum ex propria sententia ostẽdit in primo de cælo.

Septimo igitur ad hoc vt saluemus secundam opinionem Arist. scientiam esse ad aliquid, & sine alteratione acquiri, notandum est, quod susceptiuum alicuius formæ, tripliciter se potest ad eam habere. Primo in vltima dispositione, ita vt ad præsentiam actus, formæ, vel obiecti sequatur actuatio, informatio, & notitia, sicut ad præsentiam corporis coram speculo, in eo resultat eius imago, & ad pręsentiam solis, aer subito illuminatur, & ad præsentiam obiecti per experimentũ cogniti, & lumen intellectus agentis illustrati, intellectus possibilis dum eius speciem recipit, illud intelligit. Secundo non in vltima dispositione, cum susceptiuum sit indispositum ad suscipiendam formam, vnde prius debet disponi. Tertio in vltima quidem dispositione, sed sub impedimento, vt dum aer in camera clausa, lumine priuatur. Primo modo acquiritur forma immediate sine alteratione, & sic acquiritur scientia, vnde ad eam non est alteratio, & ita tertio modo, deductis impedimentis, idest passionibus, & turbationibus. Secundo autem modo forma non acquiritur sine alteratione, quia materia per alterationem traducitur de potentia ad actum, & hoc modo negatum fuit scientiam generari. Hoc autem habet prædicamentum ad aliquid, quod naturali sequela, & sine alteratione acquirit terminum, v. g. aliquid fit mihi æqualis, vel similis, nulla mutatione in me facta.

Octauo notandum, quod duplex est modus acquirendi aliquid. Primus dicitur ex alio, quia ex alio acquirit motum esse, vel suam perfectionem, vel per transmutationem, sicut subiectum ex frigido fit calidum, vel ex nigro album, & sic cũ hęc mutatio sit inter terminos positiuos, erit cum motu, & alteratione. Secundus dicitur post aliud, quia vnum ad aliud sequitur, sicut lux ad tenebras .i. post tenebras, & scientia ad ignorantiã .i. post ignorantiam, & talis mutatio nõ est cum alteratione, quia ex negatione fit acquisitio positiui. Hinc est, quod quãuis intelligere, sit pati, non tamen est pati passione corruptiua, & alteratiua, sed perfectiua, quæ dicit perfectionem esse, post non esse.

LECTIO VI.

QVAESTIO III.

Vtrum ad solam tertiam speciem qualitatis sit alteratio.

Videtur quod non. Ad tangibiles qualitates est alteratio, cum sint sensibiles, sed mollities, & durities sunt qualitates tangibiles. Ergo ad eas est alteratio. Sed hoc est falsum, quia per Arist. in prædicamentis sunt naturales potentiæ, & impotentiæ, de secunda specie qualitatis. Ergo ad solam tertiam speciem &c. non est alteratio.

Secundo. Ad illam qualitatem proprie est alteratio, quæ acquiritur cum abiectione contrarij. Sed multę virtutes quæ sunt in prima specie acquiruntur, cum abiectione habitus contrarij positiui, vt dum quis ex habitu falso, & erroneo ad veram scientiam reducitur, & ex habitu vitioso, ad virtutem. Ergo.

Tertio. Ad eas qualitates per se primo, & proprie dicitur esse alteratio, quando per se terminant alterationem. Sed albedo, nigredo, & similes, non sunt per se termini alterationis. Ergo &c. Maior est Arist. in textu. Minor probatur. Quia hæ qualitates resultant ex intensione, & remissione primarum qualitatum, vnde videtur dicendum, quod tantum ad primas qualitates sit alteratio, & non ad alias, quæ tamen sunt passibiles, & sensibiles qualitates.

Quarto. Passiones tam sensitiuæ, quã appetitiuæ non per se primo terminant alterationem. Ergo ad eas non est proprie, & per se alteratio, vt dicit hic Philosophus. Antecedens probatur in poten-

tijs

tijs sensitiuis cognoscitiuis, nam primo terminantur ad species sensibiles, & per hanc terminationem sequitur sensatio, & ita ira, gaudium, & quæ passiones appetitiuæ sunt, primo terminantur ad cor, & ad calorem.

Quinto. Sicut ex calefactione cera figuratur.i. fit liquida, pallida, vel rubea, ita per sculpturam materia figuratur. Ergo si figuratio ceræ est alteratio, ita erit & sculptura, nam idem est terminus idest figuratio, & sic ad quartum erit alteratio.

Sexto. Caliditas, & frigiditas ponuntur ab Arist. in prædicamentis in prima specie qualitatis. At ad has est alteratio, vt patet. Ergo ad primam speciem erit alteratio.

Septimo. Ad aliquid secundum dici potest esse alteratio, cum etiam quæ sunt de tertia specie possint esse ad aliquid secundum dici. Sed sanitas, scientia, & similia, quæ ponuntur in prima specie sunt ad aliquid, seu relatiua secundum dici. Ergo ad has erit alteratio.

Octauo. Quidam habitus morales sunt in appetitu sensitiuo, vt fortitudo, & temperantia secundum S.D. p.2.q.59. art.9. Ergo ad virtutes morales erit alteratio, contra id quod asserit Arist. tex. 18. Sequela patet, quia ad iram, & gaudium dicitur esse alteratio, quia sunt in appetitu sensitiuo.

Nono. Omnes habitus intellectuales.i. virtutum intellectualium sunt intensibiles, & remissibiles, idest patiuntur maiorem, & minorem perfectionem, sicut etiam faciunt habitus sensibiles, sed ad ea ad quæ est motus intensionis, & remissionis est alteratio secundum Philosophum 5. Physic. Ergo &c.

Decimo. Nec obstat quod dũ res perficitur, nec alteretur, nam etiam aqua calida dum fit frigida perficitur, & tamen tunc alteratur.

Vndecimo. Sanitas, & ægritudo non sunt nisi adæquatio, & inadæquatio primarum qualitatum, scilicet caliditatis, & frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, vnde terminus sanitatis est adæquatio, & infirmitatis inadæquatio harum qualitatum. Sed hoc fieri non potest nisi per alterationem horum qualitatum. Ergo ad sanitatem, & infirmitatem quæ ponuntur in prima specie, est alteratio.

Duodecimo. Arguitur contra primã rationem, qua probauit Philos. ad figuram non esse alterationem, quia scilicet subiectum de ipsa non prædicatur, quod fit in alijs qualitatibus. Contra. Vel sumit signum in abstracto, vel in concreto. Non primum, quia sic nec prædicatur de qualitate sensibili, sicut enim non dicitur cathedralem signum, ita nec dicitur albedo est corpus. Si in concreto, de vtroque prædicatur, vt enim dicitur album est corpus, ita dicitur lignum est figuratum, & triangulare, & ita erit eadem ratio de qualitatibus sensibilibus, & de figura.

Decimotertio. Arguitur contra illam consequentiam. Domus fit. Ergo non dicitur alterari. Contra. Si hæc ratio valeret, nec calidum, aut frigidum dicencendum esset alterari, nam fiunt calidũ, & frigidum. Quod sic dicatur subiectum .i. corpus alterari secundum illas qualitates, ita dicemus lignum, aut lapides alterari secundum illas qualitates.

Decimoquarto. Arguitur contra id quod dicitur, virtutes esse ad aliquid. Virtutes sunt qualitates absolutæ, distinctæ a subiectis in quibus sunt. Sed qualitas distincta a subiecto non acquiritur nisi per alterationem. Ergo.

Decimoquinto. Arguitur contra illud, quod dicitur, hominem præfici secundum virtutem. Vel sermo est de perfectione de essentiali, vel de accidentali. Non primum, quia virtus est accidens, & consequenter non potest essentialiter perficere substantiam. Si secundum. Quodlibet corpus perficitur per accidentia, vnde secundum illam non est alteratio, quod est falsum. Ergo &c.

Pro resolutione huius quæstionis, primo notandum venit, quod alteratio bifariam sumi potest. Primo communiter, pro omni mutatione terminata ad qualitates, siue sit succesiua, sicut est acquisitio caloris, vel instantanea, sicut est acquisitio luminis, supponat aliã mutationem, siue non. Secundo sumitur proprie, pro receptione succesiua qualitatis, cum abiectione formæ contrariæ, &c. Primo modo ad quamlibet speciem qualitatis est alteratio .i. aliqua mutatio, *Alteratio dupliciter sumitur.*

non autem secundo modo, vt modo loquimur.

Alterationis cõditiones. Secundo ergo notandum est, quod ad alterationem propriam, tot conditiones requiruntur. Prima est, quod sit mutatio, & alteratio successiua, quare illuminatio aeris non dicitur alteratio. Secunda est quod fiat de subiectum in subiectum. i. de contrario in contrarium, & ideo in secunda & quarta specie qualitatis non est per se alteratio, quia in illis non est propria contrarietas. Et ita nec ad primam speciem, quia fere semper acquiruntur non post esse positiuum habitus contrarij, sed post negationem, vt quid fit sciẽs post ignorantiam, quæ est negatio scientiæ, sed & si aliquis habitus acquiratur post habitum contrarium positiuum, tamen hoc non esset cum successione, vnde deficeret prima conditio. Tertia est, quod habeat conditiones proprij motus, prout dictum est in quinto.

Qualis dupliciter terminat motum. Tertio notandum venit, quod aliqua qualitas motum terminet stat dupliciter. Primo per se primo, & principaliter, & tunc arguentur, & quod talis qualitas fit acquisita per motum proprie, & stricte fit terminus motus. Secundo, quod illũ terminet per se, & non ratione alterius. Tertio, quod hoc faciat cum abiectione formæ contrariæ positiuæ. Quarto partibiliter idest successiue, & Quinto nullo alio prærequisito terminante motum ad acquisitionem illius qualitatis, & hoc modo primæ qualitates dicuntur terminare motum per se primo, quia non ratione alterius qualitatis, nec quacunque alia prærequisita, & cum successione, & contrarietate positiua terminant motum. Secundo terminare motum dicitur per se, sed non primo, quod est terminare motum per aliud, non tamen accidentaliter, & sic conuenit secundis qualitatibus, vt sunt colores, sapores, odores, & similes, quæ non contrariantur, mutuo se expellentes a subiecto, nisi participatione primarum qualitatum, & earum virtute. Et ita habitus corporis, vt sanitas, ægritudo, pulchritudo, & habitus animæ intellectiuæ, scilicet intellectus, sapientia, scientia, prudentia, & ars, & habitus partis appetitiuæ, qui dicuntur habitus morales, vt fortitudo, magnanimitas, liberalitas, magnificentia, mansuetudo, & aliæ virtutes, de quibus agit Aristot. 8. Ethic. non dicuntur per se primo terminare motum, quia non est necessarium quod partibiliter, & successiue acquirantur, & ex contrario positiuo, dato quod non supponant necessario, & si quandoque habitum contrarium in subiecto, post cuius expulsionem acquirantur.

Conclusio probatur. Primo ergo loco ponitur talis conclusio. Ad qualitates tantum tertiæ speciei est per se prima alteratio, idest ad passiones, & passibiles qualitates. Probatur præter rationes adductas a Philos. &c. Illæ solum qualitates per se primo terminant motum, quæ inter se primo habent contrarietatem positiuam, casu latitudine successionis, ex propria natura. Sed solam qualitates tertiæ speciei hoc habent. Ergo &c. Probatur minor, quia naturales potentiæ aptæ natæ sunt fieri simul in obiecto, cum sequantur naturali sequela generationem substantiæ. Ita habitus corporis, vt sanitas, & ægritudo consequuntur commensurationem, vel non humorum. Habitus vero animæ immediate possunt acquiri, forma vero, & figura nullam contrarietatem habent, vnde remanet quod ad solas qualitates tertiæ speciei, fit alteratio per se primo.

Argumẽta soluũtur. Ad primum respondet Albertus septimo huius, tract. primo, cap. quinto, quod mollia, & dura bifariam considerari possunt. Primo vt sunt talia aliena siccitate, & humiditate, idest, vt talia fiunt per has qualitates ab extrinseco, & sic ad eas est alteratio, & pertinent ad tertiam speciem qualitatis. Secundo vt sunt talia ex sua natura propria siccitate, & humiditate, & sic pertinent ad naturalem potentiam, & ad eas non est alteratio, nisi secundario.

Ad secundum dicitur ad maiorem, quod vltra contrarietatem sequitur partibilis acquisitio, quod non conuenit virtuti. Secundo dicitur, quod acquiri cum obiectione contrarij stat dupliciter. Primo per se, & necessario. Secundo permissiue, & non repugnanter. Ad quia litatem est alteratio dum acquiritur primo modo, quod virtuti non conuenit secundum suam naturam, quia acquiritur secundum essentiam suam in instanti,

ti, & si permissiue, & per accidens possit acquiri cum abiectione contrarij.

Sed hic quis quærere poterit, quomodo habitus non acquirantur cum alteratione, si acquiruntur secundum magis, & minus, sanitas enim, & scientia maior, & minor esse possunt. Sed respondetur cum D.Th.p.2.q.52. art.1. quod ad habitus est alteratio non primo sed consequutiue, quia facta alteratione secũdum calidum, & frigidum sequitur animal alterari secundum sanum, & ægrum, & facta alteratione secundum passiones appetitus sensitiui, vel secundum vires sensitiuas apprehensiuas sequitur alteratio secundum scientiam, & virtutes, vt docuit etiã Philosophus in hoc septimo.

Ad septimum primo respondet Soto hic, quæst. 1. quod albedo, nigredo, & aliæ mediæ qualitates sunt per se termini alterationis, quia aliud est quod per se dicant modum singularem acquisitionis .s. cum abiectione contrarij, & successiue, & aliud quod componantur ex primis, secundum Auerroem, sed primum est intentum, & sic dicuntur esse per se termini alterationis. Alij respondent esse per se terminos motus, quia contrariantur, & se expellunt a subiecto, quod non conuenit per se habitibus, nec formis, & figuris. Sed & tertio dico, aliud esse quod qualitates mediæ componantur ex primis, & aliud quod seorsum nõ terminent motum, nisi seorsum motus prius terminetur a primis qualitatibus. Primum affirmamus, sed secundum negamus, quia motus ad eas per se, & immediate terminatur, ad primam autem, secundam, & quartam speciem consecutiue, vt docuimus.

Ad quartum respondet Soto, quod alteratio in sensibus non fit ad sensationes ipsas, sed ad species, & quod in vsu sensus, & scientiæ non est alteratio, vt docuit Arist. tex. secundo & quod in ira est alteratio materialiter, in commotione sanguinis. At ego cum Arist. secundo de anima dico, in potentijs sensitiuis non esse alterationem in acquisitione scientiæ, quia sensus sunt in actu primo, & consequenter in proxima dispositione, & immediata ad recipiendas species. Ad motiuum vero passionum sensitiuarum iræ gaudij, &c. dicimus, quod dum terminantur ad calorem fit alteratio in corde, vnde illa simul fiunt.

Ad quintum dicitur, quod aliud est ceram colorari colore suo naturali dum calefit, & liquefit, & aliud est eam figurari forma, & figura permanenti. Primum enim est cum alteratione, & terminus eius est calefactio, & liquefactio, secundum vero non est alteratio, sed est quid consequens alterationem .i. liquefactionem, & indurationem, sicut etiam primus terminus sculptionis est auulsio particularium lapidis, ex quo consecutiue fit ipsa statua. Et primus terminus pictionis, non est imago, sed pictio, ad quam consequitur imago. Et dum cera liquefit, primus terminus liquefactionis est extensio quantitatis ceræ, & consecutiue figura.

Ad sextum dicitur, quod caliditas, & frigiditas bifariam considerari possunt. Primo vt sunt ignis, vel aquæ effectus, & sensationis causæ. Secundo vt conueniũt, & disconueniunt subiecto. Primo modo ponuntur in tertia specie, & ad eas per se est alteratio. Secundo autẽ modo ponuntur in prima, nam distemperatus calor generat quartanam, & excessus frigoris paralisim, & ita causant ægritudines, si distemperentur, & sanitatem si proportionem seruent.

Ad septimum respondet Conimb. virtutes, & vitia esse relatiua secundum esse, & ideo ad eas non esse motum. At hoc est contra communem sententiam, nam per se sunt de prædicamento qualitatis, & prius sunt qualitates, quam relationes, & ideo non sunt ad aliquid nisi secundũ dici. Dicendum est ergo, quod qualitates tertiæ speciei, & si possint esse relatiua secundum dici, non tamen propter hoc habebunt, quod sint termini alterationis, sed quia sunt formæ contrariæ actiuæ, & successiue acquisibiles, quare propter hoc non sunt termini alterationis, & non quia sunt in prima specie.

Ad octauum dicitur, quod ad iram, & gaudium non dicitur esse alteratio, quia sunt in appetitu sensitiuo, sed quia sunt in appetitu sensitiuo, vt passiones, & non vt virtutes morales.

Ad nonum dictum est, quod sola intensio, & remissio non sufficiunt ad hoc vt intensibilia, & remissibilia dicantur

per se termini alterationis, sed adhuc necessarium est, quod non consequantur ex commensuratione, quod non sint rei perfectiones, vt supra, & quod successiue acquirantur.

Ad decimum dicitur, quod dum aqua se reducit ad friditatem, proprie non dicitur alterari, quia nihil tunc acquirit, quod sua natura non habeat, vnde subiectum est illud, quod alteratur. Sed additur, quod si id quod perficitur, per alterationem perficiatur ad ipsum erit motus non vero si solam perfectionem importet, pracipue si naturali sequela, vel in instanti sit acquisita.

Ad vndecimum dicimus, quod primæ qualitates dum ad temperamentum veniunt, vel ab eo recedunt, tunc alterari, & postea consequi hanc alterationem sanitatem, & ægritudinem quasi effectus.

Ad duodecimum primo respondetur, duplex esse coniunctum. Primum dicitur primum, quia per solam vnionem formæ fit, vt album, & nigrum, quæ talia dicuntur propter hoc solum, quod albedo, & nigredo subiecto inhæret. Secundum dicitur secundum, quia à primo subiecto denominatur, vt dealbatum, denigratū. Hoc ergo duplex coniunctum dicitur reperiri in formis, & figuris. Primum ergo erit res ipsa, sub forma, vel figura v. g. domus chatedra arca. Secundum denominatiuum primi secundum formam, vt domificatum, cathedratum, & similia. Prædicari ergo in concreto quinto conuenit formæ sensibili, quia v.g. dicimus lignum esse calidum, vel frigidum, non autem dicimus lignum esse cathedratū, vel arcatum, nisi prius facta sit mutatio in ligno.

Ad decimumtertium dicendum, quod recte affirmamus subiectum alterari, dū calidum fit, & frigidum, non vero dum figuratur, quia alteratio primo, & per se terminatur ad calidum, & frigidum, & non ad figuram, nisi consecutiue. Vis ergo rationis Philos. est. Quod sicut dum domus fit, alterari non dicitur, quia aliud est fieri, & aliud alterari, ita dum forma fit, non dicitur alterari, sed fieri, ex maxima similitudine quam habet productio formæ accidentalis figuratiua, cum productione substantiæ. Loqui autem de subiecto est loqui de alterato per se, & consecutiue figurato.

Ad decimumquartum dicitur, quod qualitas acquiritur per alterationem, vel per se primo, vel per se secundo. Si est sensibilis per se primo acquiritur, & si alterius speciei, per se secundo, vt iam ostensum est.

Ad decimumquintum respondebat Auerroes, id quod perficitur non dici alterari, quia perfectio fit in instanti, & alteratio in tempore, & successiue. Sed hanc solutionem impugnat S. D. dupliciter. Primo, quia dato, quod generatio perfectionis .i. introductio formæ etiam accidentalis esset in indiuisibili, tamen corruptio .i. recessus à perfectione non fit in indiuisibili, quia magis, ac magis a perfectione receditur, vnde sic sequeretur, quod corruptio esset alteratio. Secundo, quia etiam alteratio secundum vltimum gradum fit in instanti, nam summe calidum fit in instanti. Dicitur ergo, id quod perficitur non alterari, quia dum perficitur, nō est, alterari autem est eius quod iam est. Argumentum autem procedit de alteratione communiter sumpta, quæ aliquam mutationem dicit, non autem de proprie accepta, secundum illas conditiones, quas habent passibiles qualitates.

CAPVT IV.

LECTIO. VII.

S. D. VII. & VIII.

Dubitabit autem aliquis vtrum omnis motus &c. tex. 21.

HIc Arist. incipit tractare de comparatione motuum, quærendo an omnis motus alteri motui sit comparabilis. In tex. ergo 21. arguit omnem motum non esse alteri motui comparabilem dupliciter. Primo. Si motus sunt comparabiles, sequitur quod motus rectus, & circularis sint comparabiles. Hoc falsum. Ergo vnus motus non est alteri comparabilis. Maior vt nota relinquitur, minor probatur. Nam dictum est in sexto, illos motus esse æqualiter veloces, qui in eodem tempore, & per æquale spacium habent æqualem velocitatem. At non potest esse quod motus circularis, & rectus

idem

idem spacium transeant in æquali tempore sicut nec curuum, nec circulare potest esse recto æquale. Secundo. Quia sic latio .i. motus circularis esset æqualis alterationi .i. motui secundum alterationem, si in æquali tempore mouerentur. Hoc autem non potest esse, quia qualitas non transit spacium æquale cum motu circulari. Et quia quis posset primo argumento respondere dicendo, motum circularem, & rectum esse comparabiles, non in eadem velocitate, sed in maiori, & minori, sicut comparantur motus secundum sursum, & deorsum.

Hinc tex. 22. & 23. hãc responsionem excludit, & tota vis exclusionis in hoc consistit, quod cum linea circularis, & recta æquales esse non possint, nec motus poterunt esse æquales, quia motus dicuntur æquales, quando transeunt idem spacium æquale. Quod autem non potest esse æquale in velocitate, nec etiam potest comparari in maiori, & minori velocitate, quia quæ non conueniunt in forma, nec etiam conuenire dicuntur in participatione eiusdem formæ, secundum magis, & minus.

In tex. 24. incipit tradere ea, quæ requiruntur ad comparationem. Primo, ergo dicit, quod ad comparationem requiritur, quod comparabilia non sint æquiuoca, quia hæc in solo nomine conueniunt, & ratione differunt. Quare cum acutum dicatur de vnaquaque re acuta, v.g. de angulo, vel stilo, vel in saporibus de vino, & in vocibus de voce vltima, id est suprema in melodijs, vel Cithara, inter hæc non erit comparatio, quia hæc habent solum nomen acuitatis commune, & rationem diuersam. Potest autem corda acuta ad eam comparari, quæ sibi proxima est, vt vna dicatur magis, & minus acuta in eodem ordine .s. melodiæ. Et ita vnus motus circularis potest alteri motui circulari comparari, in maiori, & minori velocitate, sed non motui recto, quia hæc sunt diuersorum ordinum, & rationum.

In tex. vero 25. & 26. hoc prosequitur .s. non sufficere quod illud in quo comparabilia comparantur non sit æquiuocum, quod multis exemplis manifestat, vnde in tex. 27. tradit secundam conditionem comparabilium .i. quod habeant idem susceptiuum immediatum, quare canis, & equus in albedine comparari possunt, quia habent vnum immediatum susceptiuum, & vnam naturam albedinis participatam, vel æqualiter, vel secundũ magis, & minus. Hoc autem immediatũ susceptiuum dicit esse superficiem. Similiter magnitudo in vtroque est comparabilis secundum maius, & minus, quia eadem est magnitudo, & subiectum magnitudinis in vtroque .s. substantia corporis mixti. Non sic autem, est in voce, & aqua, quia subiectum aquæ est substantia, & subiectum vocis est sonus, qui est qualitas.

In tex. vero 28. & 29. concludit supradictas duas conditiones non sufficere. Primo, quia possunt esse multæ naturæ distinctæ secundum se, vt dulce, & albũ, & non solum ex receptiuo. Secũdo, quia plures formæ susceptæ secundum se vendicant sibi propria receptiua, & ideo ad inuicem dicuntur. Necessaria est ergo tertia conditio, scilicet quod comparabilia conueniant in eadẽ specie atthoma, seu vltima, non diuisibili per pluras differentias specificas, vnde quæ comparantur ad inuicem in albedine, debent conuenire in eadem specie albedinis, & quæ in nigredine, in eadem specie nigredinis sic, quod participare dicantur eãdem formam, vel æqualiter, vel secundum magis, & minus.

His conditionibus ponibus positis, eas applicat in tex. 30. & deinceps ad comparationes motuum, & tota summa in his punctis consistit. Primum, quod motus diuersi generis, vt alteratio, & motus localis non sunt comparabiles ad inuicem in velocitate, & tarditate, non enim erit propria locutio dicere, aqua velocius calefit, quam homo moueatur de loco ad locum. Secundum est, quod nec motus eiusdem generis possunt comparari ad inuicem, si sint diuersæ speciei, vnde motus circularis proprie non dicitur, velocior recto, quia sunt diuersæ speciei. Tertium est, quod nec motus eiusdem speciei sunt proprie comparabiles ad inuicem, nisi sint eiusdem speciei specialissimæ, &c.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum motus quicunque sint comparabiles adinuicem per conditiones comparabilium.

Videtur quod sic. Illi enim motus sunt comparabiles in tempore, qui in eodem tempore æquale spacium transeunt. Sed potest esse quod mobile per circulum in vna hora transeat spacium decem cubitorum, & hoc idem transeat mobile per lineam rectam. Ergo sunt comparabiles.

Secundo. Differentia specifica communem rationem duorum non tollit. Ergo quamuis figura circularis, & recta specie differant, tamen poterunt conuenire in vna communi ratione velocitatis motus.

Tertio. Omnis quantitas secundum æqualitatem, vel inæqualitatem dicitur. Sed lineæ, circuli, & similia sunt quanta. Ergo dicuntur secundum æqualitatem, vel inæqualitatem.

Quarto. Substantia dicitur magis ens, quam accidens, & Deus sapientior quam creatura, & tamen ens non dicitur vniuoce de substantia, & accidente, nec sapientia de diuina, & humana. Ergo ad veram comparationem non requiritur, quod comparabilia sint eiusdem generis vniuoci.

Quinto scientia Angeli comparatur scientiæ humanæ, & dicitur ea maior, & ita lux dicitur maior in sole, quã in igne, & tamen hæc non habent idem immediatum susceptiuum. Ergo immediatum susceptiuum non postulatur in comparationibus.

Sexto. Sicut dicimus albedinem esse intensiorem in niue, quam in papyro, ita dicimus colorem in vno magis intendi quam in alio. At calor est genus ad albedinem, nigredinem, &c. Ergo iuxta genus potest esse comparatio.

Septimo. Per Arist. in prædicamentis, quanta est superficies per quam albedo extenditur, tanta est albedo per superficiem extensa. At quantitas, & albedo differunt genere. Ergo iuxta genus possunt esse comparationes.

Octauo. Ignis dicitur esse maioris actiuitatis quam aqua frigida, & sanitas in animali potest esse tardior quam calefactio in eo. Sed hæc dicuntur differre genere. Ergo &c.

Nono. Omnia mobilia in vno tempore secundum speciem mouentur, cum sit tantum vnum tempus per Arist. quarto Physicorum. Ergo mobile circulariter, & recte sunt comparabilia in idem secundum speciem.

Decimo. Creaturę comparãtur Creatori. Sed inter creaturam, & Creatorem est distantia infinita, quæ non est inter motum rectum, & circularem. Ergo motus rectus, & circularis comparantur.

Vndecimo. Istę sunt frequentes comparationes. Melior vnus est, quam alter sit malus, & nigrius est coruus, quam cignum sit albus, & in Euangelio filij tenebrarum vocantur prudẽtiores, quam sint filij lucis, & tamen supradicta differunt specie. Ergo &c.

Duodecimo. Hoc est commune Axioma Geometricum, quod omnium linearum ductarum ab vno puncto in aliud, breuissima est recta, & tamen constat reliquas esse arcuales, nam aliter non possent duci plures lineæ inter duo puncta. Ergo linea recta comparatur curuis in breuitate.

Decimotertio. Genus dicit vnam naturam vnica definitione definibilem, sicut species dicit vnam naturam, vnica definitione definibilem. Ergo si propter hoc in specie est comparatio, erit etiam in genere.

Decimoquarto. Istæ sunt veræ, & reales comparationes, homo est perfectius anima, quam leo, vel bos, & tamen id in quo comparantur non est vnum specie.

Decimoquinto. Sicut albedo est accidens corporis, ita velocitas, & tarditas motus, sed prima est comparatio secundum speciem. Ergo & secunda. Pro enodatione huius quæstionis. Primo obseruandum est, Aristot. hic tres expressisse conditiones comparabilium. Prima est, quod id in quo fit comparatio sit vniuocum, & vniuoce prædicetur de comparatis, nam comparatio vera, & realis non debet esse in nomine, vel voce, quæ est ad placidum, sed in vna, vera natura, secundum rem à pluribus participatam. Sed considerandum est, quod hæc communis

Comparabiliũ conditiones.

munis natura bifariam inspici potest. Primo logicæ, idest secundum rationem, vel essentiam tantum, quo pacto animal prędicatur de homine, & de leone, cum dicat vnam naturam sensitiuam, in ambobus essentialiter reperibilem. Secundo Physice. i. non solum secundum essentiam, sed etiam secundum perfectionem subiectorum in quibus reperitur, & sic natura animalis nō dicitur vniuoce Physice de homine, & de leone, quia per mobilius esse, & per mobiliorem differentiam contrahitur ad hominem, quam ad leonem, cum mobilius sit esse hominis, quam leonis, & hoc modo negauit Arist. hic in generibus esse veras, & proprias comparationes vniuocas, & dixit iuxta genera latere ęquiuocationes, & sicco Diuinorum dixit corruptibile, & incorruptibile differre plusquam genere scilicet Physice, & secundum esse, & non Logicæ, idest intentionem, nam habere tres dimensiones vniuoce Logice prædicatur de corporibus cælestibus incorruptibilibus, & inferioribus corruptibilibus.

Secunda conditio est, quod natura in qua fit comparatio sit in diuersis subiectis secundum vnam rationem, vt homo, & paries sunt comparabiles in albedine, quia possunt habere vnum idemque subiectum immediatum scilicet superficiem, non vero vox, & homo, quia vox non potest habere superficiem, qua mediante dicatur alba. Aduerte tamen, quod duplex est subiectum. Primum dicitur, quod idest natura subsistens. Secundum dicitur quo, idest ratio substandi aliquid in aliquo, vt est superficies respectu omnium alborum. Dum ergo Aristot. ait comparabilia habere vnum primum subiectum, non intelligit de subiecto quod, idest debere habere vnam naturam, nam sic homo, & canis sic specie differunt, vnde loquitur de subiecto quo, idest de vna ratione, mediante qua aliqua forma dicitur esse in duob. subiectis natura distinctis.

Tertia conditio, & quidem semper necessaria est, quod comparatio fiat in specie atthoma, adeo vt solum in specie specialissima possit esse propria comparatio, vt duorum alborum in albedine, vel in velocitate motus secundum rectum, vel secundum circulum. Hæc autem conditio glossanda est, vt primo loquamur de propria comparatione, & in rigore sumpta, non enim negamus secundum genus, & species subalternas posse esse aliquam comparationem, immo etiam inter ea, quæ genere differunt, vt inter animal pictum, & verum, inter cęlum, & terram, sed hæ comparationes, non sunt propriæ, sed aliquales. Vnde secunda glossa est, vt intelligatur de comparatione vniuoca, idest secundum vniuocationem, & non secundum analogiam, maxime propositionalitatis, quare non excludimus proportiones, & propositionalitates analogas, ab omni comparatione, sed bene ab ista, quæ dicit vnam formam indiuisibilem formaliter. Ideo nota quod quamuis genns dicat vnam naturam, tamen hæc vnitas minor est quam vnitas naturæ specificæ, nam natura generica plurificatur, & perficitur per plures formalitates, seu differentias formales, vt animal per rationale, & irrationale, at natura specifica formaliter est implurificabilis, & indiuisibilis, vnde solum materialiter plurificatur, & diuiditur, idest secundum diuersa indiuidua, non distincta in forma, vt Sortes, & Plato in rationali, sed tantum in principijs indiuiduantibus, idest in diuersis carnibus, & ossibus. Tertia glossa est, vt hæc comparatio attendatur non solum in ratione formali speciei, sed etiam in modo participationis illius rationis specificæ, quare non sufficit comparare motum circularem, & rectum in velocitate, quia dato, quod vna esset velocitas secundum speciem, non tamen esset vna in modo eam participandi, quia non participaretur a diuersis solum numero materiali distinctis, sed etiam numero formali. Addimus quartam, scilicet, quod habeat easdem causas in illis a quibus participatur. His stantibus dicimus motum circularem, & rectum non posse comparari in velocitate. Nam mobilia comparata non dicuntur diuersa secundum rationem participatam, sed secundum diuersitatem naturæ, propterea motus circularis cum dicat diuersam causam, diuersum spacium, & diuersum modum illud transeundi,

non potest comparari motui recto. Item nec motus rectus eorum quæ mouentur sursum, motui recto eorum, quæ mouentur deorsum, & ideo comparatio erit solum inter ea, quæ eodem modo circulariter, vel recte, vel oblique, mouentur. Hoc igitur inspiciendum venit, quod hic loquimur de proprijssima, & strictissima comparatione, secundum conditiones antedictas, nam his conditionibus inspectis, omnia argumenta ruunt, in gratiam tamen nouitiorum ea singulariter soluemus.

Argumenta soluuntur. Ad primum ergo dicit Soto, quod comparabilia debent mensurari eadem mensura, modo linea recta, & circularis non mensurantur eadem mensura, quia inter lineas illas dicitur longior, cuius extrema magis distant, & inter circulares, quæ maiorem habet portionem eiusdem circuli. Ideo velocitas motus recti non attenditur nisi penes longitudinem lineæ, sed velocitas motus circularis pensatur ex circuitione, cum descriptione æqualium angulorum circa centrum, vnde alia, & alia est mensura. At Valesius, controuersia 43. ad tyrones, dicit, motum circularem, & rectum bifariam considerari posse. Primo sub communi ratione motus localis, quatenus motus rectus, & circularis sunt motus. Secundo sub speciali, & propria ratione motus circularis, & recti. Primo modo dicit posse comparari, non vero secundo modo, quia specie distinguuntur. Sed contra Valesium stat, quod talis communis ratio est generica, in qua non est comparatio secundum Aristot. hic, & insuper tunc non sumuntur secundum propria, sed secundum communem rationem. Alij dicunt, quod materialiter non possunt comparari, idest considerando res, quæ mouentur motu recto, & circulari, sed formaliter possunt comparari, idest secundum quod conueniunt in velocitate. Sed contra hos etiam stat, quod velocitas debet esse vna formaliter, & specifice, modo hæc talis non est, quoniam prædicatur de pluribus differentibus specie. Dicendum ergo venit, quod talis est comparatio communis, & non propria, & stricta, de qua hic loquitur Aristot. & per hoc patet ad secundum, nam illa communis ratio debet esse specifica, & indiuisibilis.

Ad tertium dicitur, quod quædam quanta sunt æqualia, & quædam inæqualia, & in æqualitate non comparabilia, & talia sunt linea recta, & circularis in motu. Secundo dicitur, quod æqualitas, & inæqualitas in quantitate dicunt vnam rationem communem genericam, & non specificam, secundum quam est propria comparatio.

Ad quartum dicitur, quod tales comparationes sunt analogæ, & non vniuocæ, & ita dicitur ad quintum.

Ad sextum dicimus, quod dum affirmamus albedinem esse maiorem, minorem, vel æqualem in vno, quam in alio, comparamus speciem indiuiduis, secundum idem susceptiuum, & secundum eandem rationem formaliter indiuisibilem, & id eo ei attribuimus propriam comparationem, sed dum dicimus colorem esse magis in vna specie, quam in alia, vel in subiectis diuersis dicimus vnam rationem genericam communem in pluribus reperibilem, & ideo solum ei attribuimus comparationem communem. Nec valet dicere, quod color non solum potest dici maior, minor, vel æqualis in speciebus, sed etiam in subiectis, & suppositis v.g. in papyro, vel niue, quia hoc non obtinet immediate, sed mediante aliquâ specie coloris, v.g. mediante albedinê in niue, & papyro.

Ad septimum dicendum, sensum Aristot. esse albedinem extensam, & superficiem extendentem esse æquales in extensione. Albedo ergo & superficies bifariam considerari possunt. Primo vt sunt quædam res, & sic non comparantur. Secundo vt sunt extensibiles, & sic comparabiles sunt, non proprie, quantum extensio est communis omnibus quantis.

Ad octauum non oportet respondere, quia solum probat communitatem.

Ad nonum dicendum, quod tempus bifariam considerari potest. Primo formaliter, vt dicit prius, & posterius motus. Secundo subiectiue, vt est numerus prioris, & posterioris motus in hoc, vel illo subiecto, hoc vel illo modo. Primo modo dicitur esse vnum, & secundo modo plura, modo comparatio pensatur secundum id in quo comparabilia comparantur,

parantur, & quia motus circularis, & rectus diuerso modo contrahunt tempus, non solum materialiter, sed etiam formaliter per suas rationes formales, secundum speciem diuersas, ideo non dicuntur comparari in tempore. Vel dicas, quod si haberent comparationem in tempore, non eam haberent in velocitate temporis, quia non mensurantur vna mensura immediata.

Ad decimum patet, quod procedit de comparatione communiter. Nam inter Deum, & creaturam duplex comparatio attenditur. Prima dicitur proportionalitatis, quæ etiam potest esse interfinitum, & infinitum, quia sicut Deus se habet ad suum esse infinitum, ita creatura ad vnum esse finitum. Secunda dicitur attributionis, quia creatura compara tur creatori, vt affectus suæ causæ analogæ. Vide quæ de his diximus in quarto Meth. in tractatu de analogia nominum.

Vndecimum, & duodecimum probāt comparationem communem.

Ad decimumtertium pariter diximus, maiorem esse vnitatem speciei quam generis, quia diuisio generis formalis est, & speciei materialis.

Ad decimumquartum dicimus, procedere de comparatione communiter sumpta, quæ etiam habet gradus, vt illa quæ est duarum specierum in genere dicatur magis propria, quàm illa quæ est duorum generum in vno analogo.

Ad decimumquintum dicimus, disparem esse rationem de albedine, & velocitate. Nam albedo est species atthoma, non sic velocitas, quia alio modo reperitur in linea recta, & alio modo in curua, de qua rem vide Toletum hic, q.4. in responsione ad vltimum.

CAPVT V.

LECTIO VIII.

S. D. IX.

Quoniam autem mouens mouet semper aliquid, & in aliquo tex. 35.

HVsque modo tractauit Philosophus, quod motus sint comparabiles, modo à tex. 35. vsque ad finem libri tradit quomodo sint comparabiles, & in summa septem regulas comparationis motuum ponit, quatuor veras, duas falsas, & vnam ad alterationes, & augmentationes spectantem supponit autem primo quatuor ad motum concurrere, scilicet mouens quod mouet, mobile quod mouetur, tempus in quo mouetur, & spacium supra quod mobile mouetur, & in alterationibus latitudo, & in augumentationibus extensio.

His stantibus prima regula est. Si mouens mouet mobile per tantum spacium, & in tanto tempore, idem mouens, vel aliud ei æquale in virtute poterit moue- re mobile dimidij ponderis in eodem tempore per duplomaius spacium, & motum, in duplo velociori, & hoc per idem spacium. Secunda est. Si aliqua virtus motiua mouet tantum pondus per tantum spacium, & in tanto tempore, poterit etiam idem pondus mouere in dimidio tempore per dimidium spacium, & motu æqualis velocitatis cum primo. Tertia regula est. Si aliqua virtus mouet tantum pondus per tantum spacium in tanto tempose dimidium eiusdem virtutis poterit mouere dimidiū eiusdem ponderis per idem spacium, eodem, vel æquali tempore, & motu dimidiatæ velocitatis. Probatur. Sicut se habet tota virtus ad totum pondus, ita dimidia virtus ad dimidium ponderis. Ergo sicut tota virtus mouet tantum pondus, per tantum spacium, in tanto tempore, ita dimidia virtus mouebit dimidium ponderis alijs seruatis. Quarta regula est. Si duæ virtutes sic se habeant, quod qualibet possit per se portare tantum pondus, in tanto tempore, & per tantum spacium, si coniungantur, poterunt portare vtrumque pondus, eodem tempore, per idem spacium, & eadem velocitate motus. Probatur ex illo dicto communi. Eadem proportio, quæ est vnius ad vnum, est etiam duorum ad duo. Quinta regula apparens, sed non vera est. Si aliqua virtus tanto tempore mouet pondus, vt duo, poterit etiam mouere pondus vt quatuor eodem, vel æquali tempore, per dimidium spatij. Sed hoc est falsum, quia potest esse quod duplicatum pondus omnino exce-

Regula comparationis motus.

excedat virtutem motiuam, & ideo illud nullo modo possit mouere. Sexta regula etiam falsa est. Si dimidium alicuius virtutis, certo tempore mouet dimidium alicuius ponderis, toti virtuti adæquati poterit quoque eadem dimidiata virtus mouere idemmet pondus totale, & adæquatum integræ virtuti per dimidium tempus vel saltem per aliquod. Sed hoc etiam falsum est, quia potest esse quod totum pondus nō habeat proportionem cum dimidiata virtute, sed solum cum totali, & ideo nullo modo a dimidiata poterit moueri. Pro alterationibus autem, & augmentationibus talem tradidit regulam. Si virtus aliqua aliquo tempore determinato tantum alteret, vel augeat, alterare, vel augere poterit duplo maius in duplo maiori tempore, & etiam in dimidio temporis poterit alterare, vel augere dimidium, & omnia clara sunt.

QVAESTIO V.

Vtrum regulæ superiores vniuersaliter sint veræ.

Videtur quod non. Nam intelligentia mouet cœlum tanto tempore, & per virtutem indiuisibilem, & incorpoream. Ergo non potest sumi aliqua pars huius virtutis, quæ partem cęli moueat, vt dicitur in regulis.

Secundo. Nec diuisio partium virtutis, & spatij astruit impossibile. Nam demus hominem qui possit portare vnam libram triginta vnciarum per miliare, iste non poterit trigesimam partem libræ portanæ per triginta miliaria, quia potest esse, quod per tot miliaria non possint moueri.

Tertio. Nec similiter valet. Petrus potest per 100. passus lapidem iacere ergo partem decimam poterit iacere per mille passus.

Quarto. Arguitur contra primam regulam. Velocitas motus consistit in excessus virtutis supra resistentiam. Ergo proportio velocitatis duorum motuum consistet in proportione excessuum. Sed virtutis vt octo excessus supra quatuor est tantum quatuor, excessus autem supra duo erunt sex. At hi excessus sunt in sesquialtera proportione. Ergo vnus & illorum erit non in duplo, sed sesquialtero.

Ad primum autem istorum dixit Auerroes, has regulas solum verificari de virtutibus corporeis motiuis, non vero de incorporeis, vt sunt illa intelligentiarum, quia in indiuisibilibus, non est proportio ad diuisibilia, nec virtutis ad resistentiam, quia hæc solum est in corpore, dicit autem vnam intelligentiam velocius mouere altera, quia est nobilior altera. Sed hanc sententiam reijcit Toletus hic quæst. 5. Primo, quia excedere in nobilitate dicit excessum, excessus autem dicit diuisibilitatem illius in quo excedit, & illius in quo non. Secundo. Vbi est motus, & determinatus motus, ibi est aliqua propositio virtutis, & resistentia. Intelligentia mouet cœlum motu determinato, ita vt non possit esse velocior. Ergo ibi erit proportio mouentis, & moti. Tertio, quia ibi est actio, & passio. Ergo, & proportio inter mouens, & motum. Respondetur ergo, quod duplex est diuisibilitas. Prima dicitur molis, idest quantitas, vel qualitatis secundum gradus intensionis in subiecto, & hoc modo intelligentię cum suis virtutibus dicuntur indiuisibiles. Secunda dicitur virtutis, quia vna virtus est altera maior secundum speciem (prout intelligentiæ distinguuntur) & sic in eis accipitur diuisibiliter modo suo maior, & minor virtus, & per hoc soluuntur rationes Toleti.

Ad secundum dicit Toletus, quod per virtutem motiuam solam intelligimus virtutem non mixtam cum resistentia, per spacium solum quantitatem, absque resistentia, & per mobile totam resistentiam, quæ potest prouenire ex hoc, quod non possit se mouere vltra tale spacium, & potest prouenire ex resistentia medij idest aeris, vt tertium argumentum probat. Sed melius puto dicendum, Aristot. loqui de virtute quo ad possibilia, hoc enim regulæ supponunt, & quod non sit impedimentum, ex quacunque parte, vt secundum, & tertium argumentum adducunt.

Ad quartum dicendum, quod proportio velocitatis motus non est sumenda penes proportionem excessuum, sed penes

penes proportionalitatem virtutum, ad suas resistentias. Ideo duo erunt pensanda. Primum erit in qua proportione virtutes excedant suas resistentias, verbi gratia sit virtus vt decem, mouens pondera quatuor, modo detur alia virtus vt octo, quæ moueat tantum duo pondera. Secundum est, quæ nam proportio sit inter illas duas proportiones, quia in hac vnus motus erit altero velocior, vt in exemplo dato. Prior virtus octo, quæ mouebat pondera quatuor, erit ad suam resistentiam in proportione dupla, quia virtus vt octo potest mouere duo quatuor, quia duo quatuor faciunt octo. Virtus vero secunda vt 8. quæ mouebat pondera vt duo, erit in proportione quadrupla scilicet octo ad duo, quia quatuor duo faciunt octo. Quia ergo proportio quadrupla est dupla, duplum motus quoque erit duplo velocior, & sic habebis regulam veram. Si autem vis videre varia de proportionibus, lege Soto hic quæst. 2. & 4.

Finis Septimi Physicorum.



OCTA-

OCTAVI PHYSICORVM

LECTIO PRIMA

S. D. PRIMA.

CAPVT I.

Vtrum autem factus sit aliquando motus, &c. text. 1.



Væstionem an est præcedere quæstionē quid est, & qualis est, dixit Arist. 2. Post. & hic obseruauit, quia postquā in septimo quæsiuit, & determinauit necessarium esse ponere primum mobile, primum motum, & primum motorem transit ad ostendendum qualis sit primus motor, primus motus, & primum mobile.

In primo ergo textu inquirit, an factus sit aliquando motus, ita vt possit dari prius, in quo motus non erat, & dabile sit posterius, in quo non erit, quod est quęrere, an motus sit sempiternus, ad eo vt nec initium habuerit, nec finem habiturus sit taliter quod sit veluti vita rerum naturalium perpetua, & non sit possibile esse res naturales sine motu. Propositæ autem quæstioni respōdet primo, & aliorum sententiæ affirmatiuæ tali ratione. Qui ponunt mundum factum, & in eo quędam generari, & quædam corrumpi, necessario habent concedere motum, quia mundus non potest fieri sine motu, nec generatio, & corruptio sine motu esse possunt. Sed antiqui posuerunt mundum factum, & in eo esse generationem, & corruptionem ergo tenentur concedere motum semper fuisse. Maior supponitur ut communis conceptio. Minorem probat primo ex Democrito, & eius asseclis, qui dixerunt semper esse generationes, & corruptiones aliquorum mundorum, quæ non possunt esse nisi cū motu. Secundo id probatur etiam in tex. secundo ex his qui posuerunt vnum mundum non semper fuisse, sed incępisse. Hoc enim dupliciter intelligi potest. Primo quod mundus factus sit ex magno Caos segregante eius partes intellectu, ita vt mundus prius non fuerit, & deinde sic factus sit (vt dixit Anaxagoras,) At hæc separatio rerum prius sub quiete in illo magno Caos existentium, non potest esse sine quiete. Secundo potest intelligi, quod mundus iam fuerit, sed in aliquo tempore non. Ponebant enim quidam amicitiam, & litem esse principia rerum naturalium, taliter quod amicitia res in vnum congregabat, & lis has in multa dispergebat. Hæc autem aggregatio, & segregatio sine motu esse non potest.

His stantibus in textu tertio dicit, necesse esse hoc discutere, scilicet an motus sit sempiternus propter duo. Primū ad perfectionem scientiæ naturalis, quoniam scientia naturalis, quæ est de ente naturali mobili habet cognoscere an motus semper fuerit. Secundum ad scientiam de primo principio, quia si detur primum principium de nouo mundum creasse, oportebit fateri mundum præcessisse, quia, causa præcedit effectum. Si vero statuatur mundus, & motus ęternus, necesse erit facere motorem ęternum, quia motus æternus non potest esse nisi a motore ęterno.

Circa supradicta autem primo venit notandum, quod Arist. in his octo libris Physicis ordinem doctrinæ seruauit, quia a nobis facilioribus, & notioribus exorditur,

ditur, nam patet primum mobile, primũ motum, & primum mouens ordine natu rę, & perfectionis anteire quanta,& ma terialia corruptibilia, quę se mouent, & mouẽtur,de quibus sunt anteriores septẽ libri Physici. Hic autem liber in tres par tes principales diuiditur. In prima osten dit ex omnibus mobilibus, & mouentibus deueniendum esse ad vnum primum mobile, & ad vnum primum motum, & Ordo. mouentem. In secunda docet primum motum debere esse circularem, & non rectum. In tertia probatur primum motorum esse vnum, immobilem, indiuisibilem, carentem magnitudine, & materia.

Secundo notandum, venit tot ex primo textu haberi. Primum quod Arist.intendit disputare,an motus sit perpetuus, Summa idest sine principio, & fine, vel non. Se textus. cundum quod motus est veluti vita natu ralium, dixit autem veluti vita, vt notat Simplicius,quia non omnia naturalia viuunt, sed solum quæ habent in se principium actiuum sui motus. Vel melius dicendum erit, motum non esse vitam,sed veluti vitam, quia non est forma, seu anima, quę est vita, & dans vitam, sed veluti eius effectus, & signum, quia mo tus ab anima procedit, & est signum vitæ. Vel dicendum quod motus dicitur ve luti vitam totius vniuersi, quia totum vniuersum constat ex mouentibus & motis. Tertium est, quod omnes de natura aliquid dicentes (affirmat Phil.) posuisse motum, Dixit autem de natura loquentes, quia idem Arist. dixit primo Phys. illos qui negauerunt motum, innaturaliter esse locutos, quia natura est principium motus. Quartum est quod his ex textibus tres sententias antiquorum habemus de mundo. Prima est Democriti, Leucippi, & Epicuri, hi enim dixerunt infinitos esse, mundos & vnum esse sem piternum, quia quamuis vnus ex alio ge neretur, vnus tamen semper extabat, & sic mundus non hic, vel ille, sed aliquis erat perpetuus. Secunda opinio fuit Ana xagoræ, & Empedoclis ponentium non infinitos mundos, (vt posuit prima opinio) sed vnum tantum, & hunc non sem per fuisse. Tertia est Arist. contraria primæ in hoc, quod vnum tantum mundũ ponit, & secundæ in hoc, quod eum sempiternum facit, ita vt semper fuerit, & semper erit. Hæ aũt tres opiniones quam uis dissentiant in positione mundi, tamẽ consentiunt in concedendo motum, quia generatio mundi secundum primam opinionem est infinita, & secundum secundam finita, & secundum tertiam sine generatione, sed cum motu æterno conueniunt in ponendo motum, loquitur autẽ Philosophus de motu communiter sumpto pro quacunque mutatione, quia sic generatio dicitur motus, & non proprie vt secundo Phys. ostendimus.

QVÆSTIO I.

Vtrum Phil. intendat probare æternitatem primi motus, vel motus in communi.

Videtur quod velit probare æternitatem primi motus, & non motus in communi. Nam de illo motu probat æternitatem, cui essentialiter æternitas conuenit. Sed tantum primo motui æter nitas conuenit essentialiter, alijs vero motibus per accidens, & per dependentiam a primo motu, ergo probat æternitatem primi motus.

Secundo. De illo motu probat æternitatem, qui est veluti vita omnibus exi stentibus. Sed talis est motus primi cœli,a quo cæteri motus dependent,vt operationes vitales a vita. Ergo &c.

Tertio. Arguit enim Phil. hic, motum esse ęternum, quia præsupponit mobile, cuius est actus; sed actus alicuius est actus, igitur motus alicuius erit motus. Si alicuius, ergo primi mobilis, quia est primum.

Quarto. Arist.soluit rationes hic probantium non esse aliquem vnum motum æternum, & non rationes probantes motum in communi non esse æternum,ergo de æternitate primi motus intendit.

Quinto. Arist.arguit,ideo motum esse æternum, quia ante omnem motum nouum, est dare aliquem motum, sed talis non potest esse nisi primus motus, quoniam hic est causa omnium aliorum motuum, vt dicitur in secundo de generatione & 12. Metaph.ergo &c.

Sexto. Efficacia rationum Philosophus in hoc stat, quod ideo motus est æternus,

nus, quia datur motus aliquis æternus, sed nullus motus præter motum cęli est æternus, omnes enim alij motus definiunt, vt patet ergo Arist. probat primum motum æternum.

Opiniones. Pro enodatione huius quæstionis primo notandum venit, quod circa eam sunt duæ opiniones. Prima fuit Auerrois hic com. 1. & Alberti Magni tract. 1. c. 1. quod intentio Arist. hic, sit probare æternitatem de primo motu. i. de motu cæli. Secunda est S. D. hic, Simplicij, Ioan. Grammatici, Auicennæ, & Alpharabij, Auempacis, & fere omnium recentiorum, quod intentio Aristot. sit probare æternitatem de motu in communi, non descendendo ad hunc, vel illum motum.

Secundo ergo notandum venit pro cōciliatione fere harum opinionum, quod intentio Auctoris duplex est potest. Prima primaria & directa. Secunda secundaria, & indirecta. Itaque si loquamur si primaria intentione Arist. dicimus esse probare æternitatem de motu in communi, nam ex positione antiquorum ponentium mundos generari deducit æternitatem motus, at motus generationis, & corruptionis non est motus primi cæli. Si vero loquamur de secundaria, affirmamus esse probare æternitatem primi motus, quia hic regularis est, & perpetuus, causaque aliorum motuum, vnde analogia duorum ad vnum tertium, motus in communi erit primus, & principaliter intentus, sed analogia attributionis vnius ad alterum, motus primus erit primus, & etiam principaliter intentus, quoniam ad hunc probandum perpetuū dirigitur scopus huius libri. *Conciliantur.*

Tertio ergo loco pono talem conclusionem de mente S. D. Intentio Aristot. principalis in hoc octauo libro est, demonstrare motum, in communi conside ratum, esse perpetuum. Probatur primo. Quod in conclusione concluditur, debet in præmissis assumi; sed nulla rationum Arist. à tex. 4. vsque ad 14. assumit motum primi cæli esse perpetuum, sed tantum motum vt sic, vt patet legenti: Ergo intentio Arist. dirigitur ad motum in communi.

Secundo ex perpetuitate possibili motus Arist. infra, tex. 53. probabit motum cæli esse perpetuum; Ergo hoc non hic probat, sed ibi. Probatur sequela. Primo, quia sic esset superfluus, & secundo, quia prius est ostendendum prædicatum aliquod conuenire generi, antequā probetur conuenire speciei. i. motui, antequam huic motui.

Tertio. De eo motu Arist. probat æternitatem, qui antiquos cōuincere potest; Sed æternitas motus non primi cæli, sed motus in communi eos conuincere potuit (vt ipse credidit) ergo de motu in communi intendit &c. Maior patet, quia ex ipsis deducit æternitatem motus, nam nullam mensionem fecerunt de primo motu, saltem directe.

Argumēta soluūtur. Ad primum ergo dicendum primo ad maiorem, quod æternitas conueniat essentialiter motui stat dupliciter. Primo in actu signato, quia scilicet prædicatum dicitur de subiecto, nec ei repugnat, vt in proposito æternitas non repugnat motui, vt est motus. Sed in actu exercito, quia. s. subiectum exercet per se, & per independentiam actus exerciti prædicatum. Primo modo conuenit motui in cōmuni, & secundo modo primo motui; vnde falsa est minor absolute. Secundo dicitur, quod aliud est probare motum esse æternum, & aliud hoc, vel illo modo, scilicet essentialiter, vel independenter. Primum facit Aristot. in initio octaui. Secundum vero in sequentibus, vbi ostendit subiectum primi motus esse primum mobile, alias responsiones affert Ferr. hic, sed quoniam non satis mihi bene quadrant, ideo eas omitto.

Ad secundum negatur minor, si velit inferre motum in communi non esse veluti vitam mobilibus, est enim Primo, quia nihil conuenit speciei quod non cōueniat generi, nec tali motui, quod non conueniat motui. Secundo, quia omnis motus omni mobili quodcunque sit dat moueri, & ita est veluti eius vita. i. initium motus.

Ad tertium dicimus, motum esse actū alicuius mobilis, sed negatur ergo huius, solum. Nam prius in motu est esse actum mobilis vt sic, quam huius mobilis, idest primi.

Ad quartum similem dicitur, Arist. soluere rationes negantium motum vt motus est, esse æternum, & non vt huius est,

est, primaria intentione, vt diximus.

Ad quintum dicimus, concludere pro nobis, si enim ante omnem motũ non vnus est motus, ergo ante hunc, vel illum motum, qui dicuntur motus noui, & sic concluditur perpetuitas de motu in communi.

Ad sextum dicendum, quod concludit motum æternum in actu exercito esse in primo mobili, non vero quod ratio æterna mobilitatis, & mutationis nõ conueniat etiam motui, vt sic.

QVAESTIO II.

Vtrum consideratio perpetuitatis motus sit necessaria ad intelligendum primum principium esse.

HAnc quæstionem habes in Metaph. quæst.2.

LECTIO II.

S. D. 2. 3. & 4.

QVoniam Aristot. a text. 4. vsque ad tex. 21. intendit tantum disputare, & resoluere, an motus, tempus, & mundus sint æterna, incæperintque, vel non incæperint, ideo satis erit per quæstiones veritatem, ac mentem eius explanare.

QVAESTIO III.

An creatio detur ad mentem Arist.

HAnc quæstionem habes in nostra Metaph.lib.2.q.4.ibi vide.

QVAESTIO IV.

An vniuersitas creaturarum semper fuerit.

VIdetur quod sic, & primo hoc probatur de motu per rationes Aristot. hic,ac aliorum sequacium eius.Aut mobilia fuerunt ante motum, aut non. Si primum dicatur, impossibile astruitur, quia mobile,motu producitur,& ita ante mobile necesse est esse motum. Si secũdum, inconueniens,& falsum dicetur,quia mobile præcedit motum, quia motus est actus mobilis, iam existentis. Secundo si mouens detur æternum, & mobile, non vero motus, aut necesse est quod mouens æternum, & mobile æternum sint sub motu æterno, vel sub quiete. Si primum habeo intentum(dicit Arist.)quod motus est æternus. Si secundum, idest si fuerunt prius sub quiete, hoc est impossibile. Primo, quia quies est priuatio motus. Ergo præcessit motus, cuius quies dicitur priuatio. Secundo, quia mobile quod aptum natum est moueri, si nõ moueatur est ex aliqua causa impediente. Si igitur erit motus, causa remouetur, sed causa non remouetur, nisi per motum remouentem, ergo erit motus præcedens primum motum, quod implicat.

Tertio. Deus non est inuidus. At si ab æterno potuit, & noluit producere mundum, dicendum venit eum fuisse inuidum, potuit enim bonum communicare,& noluit. Ergo dicendum est, quod mundus fuit ab æterno.

Quarto vel Deus est causa in actu, vel in potentia; Si in actu,ergo mũdum produxit ab æterno, quia causa in actu producit effectum in actu. Si in potentia primo non erit prima causa, quia causa in potentia reducitur ad actum per priorẽ causam, quæ est in actu.

Quinto. Exemplar, & exemplatum sunt correlatiua; sed Deus est exemplar æternum mundi, ergo etiam mundus est æternum exemplatum a Deo, & sic erit æternus.

Sexto. Omne quod modo agit, & ante non agebat, dum agit,dicitur mutatũ, ergo si Deus ab æterno mundum non creauit, & in tempore sic, erit mutatus. Sed hoc est & falsum, quia Deus dicitur immutabilis ergo.

Septimo. Deus est perfectissima causa, agens perfectissimo modo, sed esse causam in actu est quid perfectius,quam esse causam in potentia, & agere in actu, quam agere in potentia, ergo Deus est causa in actu mundi.

Octauo. Si mundus incæpit, ergo & tempus. Hoc falsum probatur, si tempus incæpit, per primum nunc incæpit. At cuilibet nunc correspondet mutatũ esse, quod tempus non est sine motu.Ergo illi primo nunc correspondet mutatum esse,

in aliquo motu. Sed ante omne mutatum esse est motus. Ergo & tempus, & ita non dabitur primum nunc, ante quod non sit tempus.

Nono. Si tempus incæpit, ergo aliquando non fuit. Et si deficiet, ergo aliquando non erit. Sed aliquando dicit tempus, ergo necesse est tempus semper fuisse, & semper fore.

Decimo. Si mundus incæpit, aliqua mutatione incæpit: At omnis mutatio necessario subiectum supponit, ergo subiectum ex nihilo non est creatum.

Vndecimo. Si Deus mundum creauit, illum quoque corrumpere posset. Hoc falsum, quia vel mundus fuit creatus perfectus, vel non; Si non, ergo neque Deus esset perfectus, quia perfecta causa effectum producit perfectum; Si perfectus, a Deo dissolui non poterit, quia praui, & vitiosi tantum hominis est destruere perfecta, Deus autem non potest esse iniquus, nec malus, ergo mundus est æternus.

Duodecimo. Actio Dei est diuina substantia, vt dicitur 2. cæli, tex. 17. Sed substantia Dei est indiuisibilis, ergo & eius actio. At in indiuisibili non datur fieri, quod præcedat mutatum esse, ergo necesse est mundum esse æternum.

Decimotertio. Omne quod fit, aut ex nihilo fieri dicitur, aut ex materia. Si ex materia, ergo natura præerat ante mundum. Si ex nihilo, hoc videtur cōtra commune assertum Philosophorum scilicet quod ex nihilo nihil fit, vt dicitur primo Phys. com. 15. & tertio cæli com. 15. & 1. de generatione com. 66. & quarto Metaphys. com. 27. ergo.

Decimoquarto. Motus cessare non potest. Ergo signum est eius æternitatis. Consequentia est, quia sic, si modo non potest cessare, ergo nec ante. Antecedēs probatur primo, Quia si cessaret, esset propter lassitudinem mouentis, aut violentiam in motu. At motus cæli non potest esse violentus, nec in eo dari violentia nec lassitudo in mouente, vt dicitur secundo cæli tex. 5. & 59. Secundo, Quia dato cælo in vna positione vbi, est in potentia ad aliam. Ergo ad eam reducetur ne eius potentia sit frustra. Nam nihil potest esse frustra, vt dicitur primo cæli tex. 32. & 2. tex. 59. Tertio, quia sol est indifferens ad hoc, vt sit in oriente, vel occidente, & consequenter nullibi poterit quiescere.

Decimoquinto. Appetitus rerum naturalium tendit ad æternitatem, & perpetuitatem. Sed talis appetitus naturalis esset frustra, si mundus non esset æternus, ergo ponendus est æternus.

Decimosexto. Omne quod incępit esse, antequam fuerit, fuit possibile esse. At possibile esse, seu potentia adesse est materia. Ergo antequam mundus fuit, materia fuit. At materia non potest esse sine forma, & composita mundum constituunt. Ergo mundus fuit ab æterno.

Decimoseptimo. Nullum corruptibile quandoque est, & quandoque non est, cum incorruptibile habeat virtutem vt sit semper, sed multa sunt incorruptibilia in vniuerso, vt corpora cælestia, & intelligentiæ, ergo saltem ista fuerunt ab æterno.

Decimooctauo. Nullum ingenitum incæpit esse; Sed materia est ingenita per Arist. 1. Phys. & cęlum est ingenitum per eundem primo de cęlo, & mundo. Ergo.

Decimonono. Vacuum est spacium nō repletum corpore, possibile tamen repleri. Si ergo mundus ab æterno non extitit, saltem vacuum ipsum præcessit, & sic saltem vacuum erit æternum.

Vigesimo. Quod prius non mouebat, & modo mouet, per aliquam mutationem incipit mouere. Sed mutatio est motus. Ergo ante motum est motus, & sic motus erit æternus.

Vigesimoprimo. Omne agens, aut est naturale, aut voluntarium. Sed naturale semper eodem modo operatur, & ideo si Deus esset agens naturale secum produxisset vniuersum. Voluntarium vero per aliquam mutationem modo operatur, & non antea, quod non est in Deo. Ergo.

Vigesimosecundo. Quicquid est semper in suo principio, & in suo fine est semper; sed tempus est semper in suo principio, & fine, quia de tempore non habemus nisi nunc, quod est finis præteriti, & principium futuri. Ergo tempus semper est.

Vigesimotertio. Aut Deus dicitur prior mundo natura, aut tempore. Si tantum naturam, ergo sicut Deus æternus, ita & mundus est æternus, si tempore etiam

etiam, cum prius, & posterius sint partes temporis. Ergo tempus semper fuit.

Vigesimoquarto. Deus omnibus modis est causa mundi, Effectiua, ratione suæ potentiæ, finalis, ratione suæ bonitatis, exemplaris, ratione suæ sapientiæ, & sufficiens, ratione suæ actualitatis. Ergo habebit mundum in actu perfecto.

Vigesimoquinto. Ab actione æterna, est effectus æternus. Actio Dei est æterna, cum non detur, in eo mutatio. Ergo, & mundus ab eo productus.

Quoniam consilium Lateranense tertium, sess. 8. præcipit nos debere ostendere mundi creationem non repugnare rationi naturali, immo maxime cum ea consentire, ideo pro explicatione motæ quæstionis, tria osseruabo. Primo enim ponam aliqua fundaméta necessaria, ad eius intelligentiam. Secundo conclusionem nostram multis rationibus comprobabo. Tertio soluam argumenta.

Quoad primum primo notandum venit, quod circa creationem mundi sunt duæ præcipuæ opiniones. Prima eum creatum dicit, & hanc tenuerunt fere omnes ante Aristot. vt ipsemet annuit. 1. de cœlo cap. 10. & 12. Metaph. cap. 6. vnde legimus eum apud Hierophontem sacerdotem fuisse accusatum. Primo quod in Lyceo vnum Deum docuisset, contra patrios ritus, & sententias de multitudine Deorum. Secundo, quod mundum sempiternum enunciasset, quem initio temporis conditum tota Græcia putabat. Sic enim tradiderunt. Trismegistus, (apud Diodorum lib. 1. rerum antiquarum cap. 12. & lib. 2. cap. 1.) e cuius fontibus vniuersa Græcia bibisse dicitur. Ita Museus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Hesiodus, & Homerus inter poetas. Ita Anaxagoras, Zoroastes, Melissus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus, & Zareta Caldeus inter philosophos. De Pythagora autem, & Platone, variæ sunt sententiæ. Nam Tertulianus in Apologetico vult, quod eum ingenitum fecerit, & alij cum Zareta Caldeo eius magistro eum genitum constituerit. Ita Porphirius Iamblicus, Plotinus, Roclus, Apuleus, Alcinous, Simplicius, & Taurus affirmant Platonem fecisse mundum æternum. At Philo Iudeus, Laertius in vita Platonis. Cicero in quæstionibus Tusculanis, Atticus, Seuerus, Plutarchus Aphrodiseus, ac alij plures sustinent Platonem sensisse mundum non esse æternum. Et hæc est vera sententia Platonis, quæ quidem fuit recepta apud DD. Ambrosium, Augustinum, Iustinum Martirem; Clementem Alexandrinum, Theodoretum, Eusebium Cæsariensem, Septimium, D. Tho. & Theophrastum, & patet expresse ex eius verbis in Timeo, & Critia, Dicere vero Platonem fecisse mundum genitum non per primum sui esse, sed quia semper generatur, & fit à Deo perpetuo, vt lux a Sole, impertinens est interpretatio, quia Plato expresse de factione mundi loquitur, & non de conseruatione. Verum est tamen vt docet S. D. 12. Metaphys. lect. 6. quod Plato tenuit elementa, & materiam esse entia æterna, & ante constitutionem mundi quibusdam inordinatis motibus mobilia, sed in tempore Deum ad ordinem ea reduxisse, vnde secundum Platonem ordo vniuersi est in tempore, sed præcipue eius partes æternæ.

Opiniones.

Secundo ergo vlterius notandum venit, quod Ethnici in quibusdam cum nobis consenserunt, & in quibusdam a nobis dissenserunt. Conuenerunt primo, quod ante mundum, & ab æterno aliquid præfuit, quia nihil aliquid facere non potest, nec idem non existens seipsum existens. Secundo quod aliqua causa effectiua fuit ab æterno, siue ponatur motus æternus, siue non, nam effectus æternus, vt esset motus æternus, requirit causam æternam, & si motus non erit æternus, ab aliqua causa erit. Tertio conueniunt, quod omnia quæ sunt, facta sint, vel non, non sunt destruenda, quod nos tamen affirmamus non de motibus, & generationibus, sed de principalioribus partibus vniuersi, scilicet de elementis, corporibus cælestibus, & hominibus resurrecturis. Quarto conueniunt, quod omnes Ethnici ante ipsum Aristot. dixerunt mundum non semper fuisse, sed cum tempore incœpisse, factumque a prima, & vniuersali causa, & si inter ipsos non erat vnus modus dicendi de principio mundi in particulari, quia Anaxagoras posuit mentem æternam, segreg antê

Quid veri & falsi contineant.

Chaos æternum, & materiam æternam. Democritus vero constituit mundum factum ex infinitis Athomis. Alij ex vno, vel pluribus elementis &c. Nos autem, & si dicamus mundum factum, tamen adhuc affirmamus non esse effectum a Deo, Opt. Max. ex aliquo præexistenti, sed ex nihilo vnde.

Primo discriminamur ab antiquis in obiecto; quoniam antiqui cum prima causa æterna effectrice mundi potuerunt aliquid aliud æternum, quo mundus est factus, nos vero tenemus eum ex nihilo esse conditum. Secundo in factione, quia antiqui concedebant mundum esse constitutum cum aliquo motu, vnde rationes Aristot. contra eos vrgent, pro æternitate motus. Nos autem docemus mundum, non cum motu, supponente mobile, sed ex simplici emanationem, nihil supponente, quæ ideo vocatur mutatio sine nouitate essendi, sicut motus dicitur mutatio cum nouitate essendi processisse. Tertio in qualitate actionis, & effectionis mundi, quia antiqui videntur, dixisse Deum de necessitate naturæ mundum constituisse, at nos libera eius voluntate ipsum effectum esse affirmamus, ita vt ab æterno, & in tempore illum condere potuisset, si voluisset. Quarto in statu actionis, quia (vt testatur D. Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei) antiqui non valuerunt, intelligere quomodo Deus in tempore mundum effecerit sine aliqua mutatione suæ voluntatis, quod nos pro inconuenienti non habemus, vnde dicimus Deum voluntate æterna, effectum nouum in tempore produxisse, sicut ille non dicitur esse mutatus, qui aliquo die mensis futuri destinauit aliquid facere, & in eadem deliberatione semper perseuerauit.

Tertio notandum est ergo, quod aliqua fieri contingit multipliciter, Primo per creationem, seu dicamus simplicem emanationem, idest, per actionem nullum subiectum supponentem. Secundo per motum, subiectum in actu præsupponentem, sicut caliditas introducta in manum, manum supponit. Tertio per simplicem mutationem, subiectũ quidem exigentem, sed non in actu, sed in potentia. Primum fieri dicitur creatio, secundum motus, tertium generatio, *Fieri multiplex.* vel corruptio. In primo simul sunt fieri, & factum esse, creari, & creatum esse. In secundo autem fieri præcedit mutatum esse prius enim aqua calefit, antequam calefacta sit. In tertio vero simul sunt mutari, & mutatum esse, quia vno instanti mensurantur, sed hoc verum est quo ad mutationem, non vero quo ad suppositum in hac mutatione, quia generatio nõ producit omne quod ad generationem concurrit, non enim producit materiam, creatio autem est productio totius esse, idest, cuiuscunque concurrentis ad esse rei, & hoc modo mundum dicimus esse productum, id est quod ex nihil incępit esse, per creationem Dei, Opt. & Max. opere. s. eius & efficientia.

Quarto tamen notandum est, quod dum affirmamus mundum ab æterno nõ fuisse, sed in tempore incępisse, nolumus affirmare tempus mundum præcessisse, vt videntur concessisse antiqui, contra quos Arist. arguit, sed intentio nostra est statuere mundum simul cum tempore a Deo præcessisse, ita vt possint dari duæ aliæ durationes mundi effectionum antecedentes, saltem respectu creationis corruptibilium .s. æternitas, & æuum, quamuis enim vniuersum cum partibus suis indeficientibus æuo mensuretur, non tamen æuo mẽsuratur quoad partes suas corruptibiles, & generabiles, sed tempore. Sed & æuum quamuis dicat indeficientiam esse à parte post, non tamen excludit inceptionem a parte ante, vnde sola æternitas, quæ est mensura diuini esse potuit mundum, & omnes eius partes præcedere. Dicimus ergo mundum non esse æternum, quia æternitate non mensuratur, sed sub æuo, & tempore constituitur. *Mundus quõ factus.*

Quinto ad maiorem quæstionis nostre explicationem, notandum venit cum D. Tho. p. p. quæst. 45. art. 4. quod creatio dupliciter sumi potest. Primo proprie, & presse, & sic ei tantum conuenit creatio, cui conuenit esse. Esse autem per se, & vt conuenit subsistentibus, i. compositis, & simplicibus, per se existentibus, vt sunt angeli, qui non sunt compositi ex materia, & forma, & animæ rationales, quæ quamuis in corpore sint, & dicantur subsistentia totius subsistere, tamen adhuc habent, quod per se subsistere valeant, *Creatio quid sit.*

valeant, quia gaudent propria subsistentia, cum corporibus non inhæreant, vt accidentia, neque a corporibus dependeant, vt animæ eductæ de potentia materiæ, & ideo ad hoc vt aliquid proprie dicatur creari, sufficit quod creetur, vt subsistens, vel vt subsistere potens per se, vel secundum substantiam, vel secundum modum, quod dico propter accidens, a Deo absoluta sua potentia sine subiecto productum, quod & si secundum suam naturam dependentiam a subiecto (saltem aptitudinalem) diceret, tamen tunc modum substantiæ obtineret. Secundo sumitur creatio largius, & communius, & sic dicitur de omni productione ex nihilo .i. de non supponente subiectum, quod quadrifariam contingit. Primo per repugnantium subiecti præsuppositi, vt contingit in immaterialibus completis, quæ præscindunt ab omni materia, & in materia prima, quæ si est prima, non potest esse ex alia materia. Secundo per comproductionem, sicut si aliquod compositum materiale corruptibile, vel incorruptibile, quo ad materiam, & formam a Deo efficeretur, tunc enim materia, & forma dicerentur concreata, idest simul creata in composito, non autem creata, quia seorsum non essent producta, vnde quia cælum fuit simul cum materia, & forma sua creatum, ideo materia, & forma cæli non dicuntur creata, sed concreata. Tertio per infusionem, sed cum independentia, vt dicitur creari in homine anima, & ei infundi, sed sine dependentia in esse a corpore, vt dicit quod. Quarto per dependentiam a subiecto, sed sine potentia naturali subiecti, sicut sunt omnia bona supernaturalia, data creaturæ intellectuali, quæ non habent potentiam naturalem in homine, vel Angelo, sed tantum obedientialem, vt docet S.D.1.2. quæst.110.art.2. Capreol. in 4. distin.1.q.1. & Ferrer.4. contra gentes c.57. & hoc modo de creatione sermonem ampliamus, quo ad partes vniuersi in particulari, & respectu vniuersi, vt sic, in primo sensu stantes.

Sexto loco ad maiorem amplitudinem quæstionis, & eius enodationem aliqua deduco, cum S. Thom. par. p. quæst. 44. Primum est. Omne ens a Deo esse, quod dicitur contra Gnosticos, & Manicheos, & habetur Gen.1. ibi. In principio creauit Deus cælum, & terram, &c. & Io.1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & Act.17. Deus qui creauit mundum, & omnia quæ in ipso sunt. Et probatur a S. D. articulo primo. Quia omne ens per participationem, oportet esse ab eo, quod habet esse per essentiam. At esse soli Deo conuenit per essentiam. Ergo omnibus alijs per participationem, & effectionem. Habeas autem quod maior habet multas interpretationes. Prima est, quod esse tale per essentiam stat dupliciter, & ita per participationem. Primo vt ly per essentiam idem sonat quod prædicabile essentialiter de aliquo, vt animal prædicatur de homine, & esse per participationem idem dicit, quod non habere illud, vt prædicatum essentiale, sicut ferrum non habet ignitum, pro prædicato essentiali, sed accidentali. Secundo vt ly per essentiam idem sonat quod ipsa essentia, sine aliquo limite, vt homo dicitur sic rationalis quia est sua natura talis, & ex ratione intrinseca sui constitutiua, & per participationem, esse tale, est tale esse per aliquod contractiuum, sicut homo dicitur animal nõ secundum totam animalis amplitudinem, sed per hoc quod trahitur ad standum pro animali rationali. Hoc autem tale secundo modo per essentiam tres habet conditiones. Prima quod sit ipsa essentia, & quidditas, & sic Deus dicitur bonus, quia est ipsa essentia bonitatis. Secundum quod non sit ab aliquo contracta, qua ratione anima separata non est rationalis naturæ per essentiam, quia limitatur per habitudinem quam habet ad corpus. Tertia quod per se subsistat, absque aliquo contractiuo, quo iure priuatur Angelus qui habet suum modum essendi particulare, & non dicit omne esse mundi, vnde non dicitur naturæ intellectualis per essentiã, & ita nulla res creata põtest dici esse talis per essẽtiam, quia aliquo modo contrahitur per aliquod distinctiuum, s. per existentiam, vel subiectum, vel differẽtiam, vel modum, vel in esse reali, vel in esse prædicabili, non sic Deus. Secunda interpretatio est, quod esse

Corrolaria.

esse per essentiam stat dupliciter, primo simpliciter. Secundo secundum quid. Primo modo illud est tale per essentiam, quod non solum est formaliter tale, quia scilicet prædicatum dicatur in primo modo per se de subiecto, verum & quia prascindit ab omni causa, & ab intrinseco, & ab extrinseco, & ita solus Deus dicitur ens per essentiam, quia nullam habet causam, entia autem necessaria, & incorruptibilia, & si talia dicantur ab intrinseco, tamen habent Deum pro causa ab extrinseco, quia ab eo, vt a prima causa dependent, vt testatus est Arist. 2. Metaph. text. 4. in eiusdem text. 37. in 5. eiusdem tex. 6. 8. Phys. tex. 16. & clarissime 1. Metaph. cap. 2. vbi dicit, Deum esse omnium causam, & principium, & 12. Metaph. tex. 52. appellat Deum ducem vniuersi, a quo cœlum, & tota natura dependet, patet aut ibi Arist. loqui de dependentia in esse, & non in gradu perfectionis. Secundo autem modo plura possunt dici talia per essentiam. i. secundum essentiam, seu quo ad connexionẽ prædicati cum subiecto, sed non quo ad existentiam, & præcisionem ab omni dependentia causæ, vt osteudi 5. Metaph.

Secundo deduco cum eodem S.D. ar. 2. quod Deus dicitur etiam causa materiæ primæ, quod dictum aduersatur Philosophis antiquis dicentibus, ex nihilo nihil fieri; Hoc enim verum est. Primo ab agente particulari, non vero ab vniuersali, omnium conditore, s. Deo. Et secundo per generationem, non verò per simplicem emanationem. i. per creationem. Aduersatur etiam apud D. Augustinum de hæresibus cap 59. Hermiti & Seleuco.

Item secundum Chrysost. Valentino, Marcioni, & Manicheo, de qua re vide D. Aug. 2. super Genes. c. 14. & lib. 2. contra Faustus cap. 14. Testatur enim Ioan. 1. omnia per Deum esse facta, & per Psalm. cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Patet etiam quod materia est ens in potentia, creata tamen sub actu, vnde non dicitur seorsum creata, sed concreata cum forma, idest sub forma. Hinc dicitur Deus omnia creare, quia dato quod ex materia aliquid faceret, sicut ex terra creauit Adam & Euam ex costa Adæ, tamen hæc vocari posset creatio, non immediate, sed mediate, idest quia ipse materiam ex nihilo produxit, vt optime docet D. Aug. lib. de Fide, & Simbolo c. 2. Tertio deduco cum S.D. p. p. q. 45. artic. 3. creationem esse Dei actionem immanentem formaliter. Quod dico contra Gregorium in 2. d. 1. q. 16. Aureolũ apud Cap. q. 2. art. 2. & Conimbr. hic q art. 3. Habeas autem quod creatio bifariam cõsiderari potest. Primo formaliter quoad id quod est de se, & sic dicitur actio immanens, nominat enim operationem practicam diuini intellectus, cum imperio, & potentia executiua intellectiua, cum voluntate adiuncta iuxta illud, dixit & facta hinc dicere enim ad intellectum pertinet. Si enim creatio non esset actio Dei immanens, sequeretur primo, quod esset quid medium inter creatorem, & creaturam, quod est impossibile, nam actio transiens mediat inter agens, & passum. Secundo sequeretur, quod Deus acciperet complementum ab actione trãseunte, & creatura nam ad rationem actionis transeuntis exigitur, quod non solum respiciat agentem, vt suam causam, sed etiam vt eius actualitatem, & complementum cum eum intelligatur ponere in esse vltimo actualis actionis. Tertio sequeretur quod aliqua perfectio adueniret Deo in tempore. Si enim creatio est actio Dei transiens, & hæc non est nisi in tempore. Ergo aliqua perfectio aduenit Deo in tempore, & sic non fuit semper perfectissimus simpliciter, & omnimode. Secundo autem modo potest creatio considerari virtualiter, & quo ad id quod infert in passo, & sic potest dici actio transiens, quia eius terminus non manet in agente, vt facit intelligere, sed transit in externum, & hæc vocatur creatio passiua, & quo ad hanc partem possumus etiam dicere cum S. D. p. p. q 25. art. 1. ad quartum, quod præter intellectum, & voluntatem detur, in Deo potentia executiua ad creandum conseruãdum &c. hæc enim ab intellectu, & voluntate secernitur secundum diuersam rationem, quia ipsa intelligitur inferre effectum, non sic intellectus, & voluntas vt sic, sed vt huic potentiæ coniungũtur.

Quarto deduco ex supradictis, cum D. Th 2. contra gentes cap. 35. & de pot. q. 3. art. 17. ad 26. & 30. quod creatio actiua bifariam considerari potest. Primo secuudum

cundum rem, & vt est operatio practica diuini intellectus, & est diuinum dicere, & imperare, & sic dicitur de Deo ab æterno, idest quo ad id quod actio dicit in agente. Sec ndo secundum quod a nobis intelligitur, & explicatur, & ita quia non intelligimus Deum esse creatorem sine creatura, in tempore constituta, ita dicimus creationem dici de Deo ex tempore, idest quo ad id quod actio infert in passo. Et est simile aliquo modo quod sol semper est lucidus secundum se, sed non semper illuminat aerem, nisi quando ei applicatur. Ex creatione autem passiua cōsurgit quidam respectus realis in creatura, quo realiter vt effectus Dei, ad ipsum refertur, in Deo vero consurgit quidam respectu rationis formaliter, quia non est eiusdem ordinis cum creatura, nec ab ea dependet, qui tamen fundamentaliter potest dici realis; quia fundatur in vera, & reali, potentia actiua creatiua Dei; relatio autem creaturæ ad creatorem realis est, & prædicamentalis, vt docuit S.D p.p.q.45.art.3. & de pot. q.3. art.3. ad tertium; est enim relatio veræ causæ, & veri effectus, quæ prædicamentalis dicitur a Metaphysicis.

Quinto deduco, creationem, & conseruationem esse quidem re idem, quo ad actionem, vt explicuit S.D p.p.q.104. art.1.ad 4. de pot.q.5.art.1.ad 2. sicut eadem est actio solis illuminatiua aeris, & conseruatiua, pro eo tunc lucis in aere, attamen formaliter, & realiter virtualiter possunt dici actiones distinctæ, quia non possumus dicere creaturam toto eo tempore quo in esse conseruatur, in esse etiam creetur, immo conseruatio præsupponit esse, cui dicitur addi, vt seruetur in esse, quod iam intelligitur esse recepisse. Creatio autem considerata secundum esse rei creaturæ eadem mensura mensuratur, qua esse illius mensuratur, ita & eius conseruatio. At si spectetur, vt dicit simplicem rei productionem, instanti nostri temporis dicitur mensurari, ex quo in initio temporis, idest in primo eius instanti asserit Concilium Lateranense Deum ex nihilo vtramque condidisse creaturam scilicet corporalem, & spiritualem.

Sed septimo loco redeūtes propinquus ad negotium nostrum dicendum venit, cur cum Deus potuerit creare mundum ab æterno, vt quæstione sequenti dicemus, tamen in tempore elegerit ipsum creare. Est ergo animaduertendum, Deū omnia fecisse propter se, ad ostendendū propriam bonitatem, quæ in eo æterna est, & perfecta, nec aliquo modo ex rerum creatione augmentabilis. Cum ergo creauit creaturam vt signum esset bonitatis illius, aptius effecta est signū istius bonitatis in tempore creata, quam si ab æterno fuisset effecta. Primo, quia sic certius, & clarius habemus Deum esse auctorem vniuersi. Nam quamuis potuisset etiam mundum ab æterno condere, tamē apud multos accidisset dubitatio de creatione vniuersi, videndo creaturam esse coæternum creatori. Secundo, quia sic Deo nobiliorem modum assignamus agendi scilicet libere, & non ex necessitate, propter hoc enim creauit mundum in tempore, quia voluit sic eum creare, hancque rationem habés ex S. D. 2. contra gentes cap.38. Tertio, quia si creatura fuisset creatori coæterna, multæ essent difficultates de pluribus speciebus, vt de anima intellectiua, ne daretur infinitum in actu, & de multis corruptibilibus, quę in infinitum posset quis dubitare durare debuisse, vt infra dicemus. *Cur Deus creauit mūdum in tempore.*

Octauo ergo notandum venit, quod cum habeamus vsque modo mundum a Deo in tempore ortum traxisse, vlterius progrediendum venit, & videndum quo anni tempore creatus fuerit. Aliqui ergo sunt in sententia mundum autumnali tēpore esse conditum, idest mense Septembri. Ita docent Abulensis q. 21. in primū caput Genesis, Liranus. 1. & 7. Genes. & Exod. 12. & ita placuisse Aegyptijs patet, quia annum a mense Septembri incipiunt. Deduciturque vlterius ex sacris litteris, ex quibus habemus, Deum fecisse arbores cum suis fructibus maturis, quod accidit mense Septembri, nam si in mense Martio orbem cum arboribus fructus ad maturitatem perductos creasset in mense Septembri, mense proprio, fructibus caruissent. Alij tamen defendunt orbem conditum esse mense Martio, eo tempore quo sol Arietem ingreditur; Sic docent Damascenus lib. 2. fidei Ortodoxæ cap.7. Leo serm. 9. de passione, Athanasius in quæstionibus ad Antiochum

tiochum q.17.(Si eius est illud opus) Rabanus.12. Exod. c. Isidorus.5. Etymologiarum, cap.de temporibus, August. in quæst.noui,& veteris testamenti. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi.14.Beda in lib.de ratione temporum, cap.28. Ambrosius lib.1.Hexameron cap.4.& habetur in Synodo Palestina coacta a Theophilo Episcopo Cæsariensi, ex mandato Victoris Papæ, de qua apud Bedam, vt supra cap.40. & idem docent omnes fere scholastici, Astrologi,& Poetæ, Hoc etiã suadent. Primo amenitas temporis, quæ in vere percipitur magis quam in alio tempore. Secundo, quia per illustriores Astrologos polus noster articus versus quem est aries, illustrior, & eminentior est numero, magnitudine, & pulchritudine stellarum, quam antarticus polus ad quem declinat libræ signum, Autumni initium. Tertio, quia hoc tempus decoratum fuit incarnatione, passione, & resurrectione Christi Domini nostri, eodemque tempore Deus populum suum a seruitute Aegypti liberauit; Ad id autem quod primi opinatores adducebant dicitur, Deum forsan non vbique fructibus onustos arbores creasse, sed aliquos tantum fructibus ditatos, alios floribus decoratos, & alios in proximo ad florendum dispositos, sed & si arbores cum fructibus creasset, hoc fecisset supra naturali virtute agendo, quia Deus perfecta opera sua fecit, & sic tunc expediebat, & quod fructus conseruauerit vsque ad autumnum non est difficile credere. Quo ad diem autem creationis. Strabus, & Rabanus, cap.12.Exod.aiunt fuisse.18. Martij, At. D. Hieronymus lib de Ecclesiasticis scriptoribus diem 25. fuisse docet, eiusdem Mensis, quo die multi asserunt etiam quod Christus resurrexit, qui fuit dies dominicus, vt canit Ecclesia in Hymno diei dominicæ apud Romanos.

Quo tẽpore conditus est mũdus.

Nono tandem notandum venit, quod quamuis conaturi simus ostendere mundum non ab æterno, sed in tempore, & cum tempore conditum fuisse, attamen nolumus dicere, nos posse demonstrare hoc rationibus euidentibus, ita vt fide nõ sit opus; Nam tenemus mundum incepisse, esse articulum fidei; Articulus autem fidei duo dicit. Primum quod non sit demonstrabilis lumine naturali. Secundum quod habeat singularem difficultatem, quod vtrumque cernitur in creatione mundi. Nam ratio humana non conuincitur aliquo argumento humano, ad fatendum creationem esse certam, & euidentem in tempore, & habet singularem difficultatem, propter multos huic veritati auersantes. Sed quod creatio mũdi sit articulus fidei intelligitur. Primo eo modo, quo fides docet, scilicet ex nihilo, nam quod mundus non inceperit ex materia præexistenti, vel sic, claris rationibus conuincere possumus. Secundo intelligitur de creatione in actu scilicet quod sit de facto creatus in tempore, nã quod Deus potuerit cum ab æterno creare probare possumus, quia omne ens per participationem, oportet esse a primo ente; & efficiente per essentiam. Tertio intelligitur de vniuersitate omnium creaturarum, nam quo ad aliquam videtur aliquo modo demonstrabile, vt quo ad speciem humanam, supposita anima immortali, ne daretur infinitum in actu.

Creatio mundi articulus fidei.

Quo ad secundum ergo principale cõclusio est negatiua, scilicet Mundus non est æternus, nec ab æterno creatus. Probatur primo testimonijs sacrarium litterarum. Nam Gen.1. habetur. In principio creauit Deus cælum, & terram &c. Item prou.8. Dominus possedit me antequam quicquam faceret, & Ioan.17. Clarifica me (dicitur) claritate quam habui antequam mundus fieret. Et Ephes.1. Elegit nos ante mundi constitutionem &c. Et ita definitum fuit in concilio Lateranensi, & habetur cap. firmiter de summa Trinitate, & fide catholica his verbis, Creator omnium, sua omnipotenti virtute simul ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corpoream.

Cõclusio probatur.

Secundo probatur rationibus, non repugnare rationi nostræ, immo cum ea magnam conuenientiam habere. Incredibile est mundum infinita per antea secula sine artibus, vixisse, ex Arist. primo Metaphys. cap.1. dicente, hominum genus artibus, & rationibus viuere. Sed artes in tempore determinato, & cognitio initium sumpserunt, vt est legere apud D. Athanasium in oratione contra Idola Clementem Alexandrinum, primo Stromatum. Iosephum primo antiquit. cap.2.

cap.2.Heliodorum lib.2.Strabonem vltimo Geographiæ, Plinium lib.7. naturalis hist.cap.56. Polydorum lib. de inuentione rerum Diodorum li.2. antiq.cap.2. & alios. Ergo mundus initium habuit in tempore. Respondent aduersarij, artes cũ hominibus infinities perijsse igne, & diluuio aquæ. Sed hæc responsio non satisfacit, quia & si legamus vnum diluuium generale fuisse, & aliqua prouincialia, vt Nillanum atticum, & Tessalonicense, & aliquasque conflagrationes ex terra in aliqua loca erupisse, non tamen constat memoria de his generalib. incendijs, & eluuionibus, quibus artes infinities perire, & renasci potuerint.

Tertio. Experientia comperimus, & D.D.tradunt, vt D.August.15.de ciuitate Dei, cap.9.D.Cyprianus aduersus Demetrianum.Plinius lib.2.de nat.hist.cap.16. Aulus Gell. 3. noctium Acticarum c. 10. &c.ergo quo magis ætatum decursus præterit, eo minora corpora, & debiliora breuiorisque vitæ fert natura, vnde legimus antiquos multos centenarios vitam traduxisse, &c. Ergo si homines ab æterno extitissent, iam ad minimam quã titatem, debilitatem, ac vitæ breuitatem deuenissent.

Quarto. Mirabile est, quod si mundus ab æterno fuit, nullus scriptor extitisset, qui aliquod ante Adam per actum scripserit, immo inuenimus omnes gentiles historicos post diluuium tantum acta memoriæ hominum tradidisse. Nam Berosus Caldeus cuius historia vetustissima habita fuit a diluuio exorsus est, vt Iosephus contra Appionem obseruauit. Marcus Varro diligentissimus originum scrutator nihil diluuio Ogysis antiquius retulit. At Ogyges fuit syncronos, idest contemporaneus Patriarchæ Iacob. Trogus Pompeius exordiũ sumpsit a Nino, qui annis post mundi creationem nongẽtis, & mille Monarchiæ iecit Assiriorum fundamenta, & fuit tempore Abraæ. Ergo est deducendum mundum in tempore incæpisse.

Quinto. Arist.docuit infinitum in actu dari non posse tertio Phys. At si mundus fuisset æternus, præcessissent infinitæ horæ infiniti dies, anni, & sæcula, infiniti numeri, quod non concedit, quia infinitum non potest numerari. Sit in actu, vel in potentia. Ergo mundus non est æternus.

Sexto. Vel Deus secundum Arist. cognouit omnia, quæ in vniuerso æterno futura erant, vel non. Secundum non est dicendum, cum ponatur sapientissimus, & prima omnium causa. Si primum aut omnia cognouit simul, vel successiue, si successiue, ergo est mutabilis, quia trã sit de ignorantia ad scire, si simul, ergo cum infinita cognoscat, erat infinitæ potentiæ. Ergo mundum debuisset producere infinitum, quod Arist.negat.

Septimo. Aut Deus dicitur causa efficiens æterna mundi, aut non. Non secundum, quia Arist.12.Metaph. & alibi, vt diximus supra, & quia effectus finitus, & determinatus vt est mundus, oportet habere causam finientem, & determinantem, & quia si cæli habent ab alio motũ, ergo, & esse, cum vnum inferat aliud. Si primum.i.si Deus est causa æterna effectiua mundi totius, (non enim est maior ratio quod sit causa vnius, quam alterius, & maxime dato quod sit vniuersalisima causa) ergo necesse est quod illum ex nihilo produxerit. Quam autem necessitatem potuit Deus habere ad faciendum aliquid ex nihilo ab æterno? nam eadem est perfectio causæ, immo maior facere effectum liberum, libere, quam ex necessitate, eo tunc, quo eius sapientiæ, ac libertati consentaneum iudicatur.

Octauo. Per Arist.hic, tex.4. mobile præcedit motum. Ergo non potest dari motus æternus, vt Aristot. intellexit probare.

Nono. Homo, immo omne agens perfectum potest aliquid facere in tempore. Ergo & Deus. Ergo fecit. Probatur prima sequela, quia maioris perfectionis est Deus, quam creatura. Probatur secunda, quia maiorem perfectionem ponit in Deo agere libere, quam necessario, sicut perfectius est agens liberum, quam necessarium, & quia si Deus facit quod agens libere agat, ergo & ipse poterit libere agere necessarium enim non facit liberum, sed necessarium, & in æternis non differunt esse, & posse.

Decimo. Hoc probo cum S.D.2. contra Gentes cap. 16. Deus est vniuersalissima & perfectissima causa. Ergo agit vniuersalissime, & perfectissime. At de ra-

disse. Secundum, quod tenent Deum agere de necessitate naturæ, & non libere, idest quando voluit. Tertium est, quod loquuntur de Deo, vt de agente particulari, quod agit mouendo, & transmutando, & non vt de agente vniuersali, agente ad esse, & ad motum, & ad omnia cõsequentia rerum.

Ad tertium negatur minor, & ad probationem dicitur, quod ille dicitur inuidus, qui potest, & debet, & non vult bonum proprium communicare, cum oportet. Talis autem non est Deus, qui si distulit creationem mundi fuit, quia nec tenebatur, nec expediebat creaturam esse æqualem creatori, & dare indicium, quod de necessitate mundum produxisset, & non sua libertate, vt omnium est creator, sua sapientia, ac libera voluntate.

Ad quartum dicimus, Deum esse causam in actu. Ad consequentiam. Ergo producit effectum ab æterno, si causa in actu ab æterno, dicitur, Primo, quod valet de causa agente naturaliter, vt ignis in actu producit effectum, scilicet calorem in actu, non vero valet de causa libera, quæ potest esse quo ad deliberatione in actu, non pro vno nunc, sed pro alio. Secundo dicitur, quod Deus dicitur causa in actu quo ad id quod actio ponit in agente, nõ vero quo ad id quod infert in passo idest quo ad productum, nam etiam sol est causa in actu illuminationis non tamen cameræ clausæ, nisi dum apperitur.

Ad quintum dicitur, quod exemplar dupliciter sumitur. Primo, fundamentaliter tantum, quia scilicet est similitudo fundamentalis, idest habens aliquid, in quo alius potest ei assimilari, sicut habẽs albedinem potest assimilari alteri, si & ipse fiat albus. Secundo fundamentaliter & formaliter terminatiue, quia scilicet refertur in actu exercito ad suum exemplatum, & simile, & hoc secundo modo necesse est exemplar, & exemplatum esse simul, non autem primo modo, vt dictus est Deus exemplar mundi, antequã mundus sit productus. Nec sequitur, ergo si in tempore Deus dicitur factus exemplar terminatiue creaturæ, & tale non erat ante, dicetur mutatus. Respondetur enim quòd mutatio fit quando aduenit aliquid alicui quod sit absolutum, non vero si aliquid adueniat quod sit respectiuum, & maxime secundum rationem, vt est noua relatio exemplaris, & creatoris, quæ aduenit Deo ex creatione, mutatio enim est in re producta, & non in producente, sicut etiam ignis dicitur esse calefactiuus, & non calefacit combustibile remotum, & si calefaciat, & comburat ex approximatione, mutatio non est in igne, sed in calefactibili combustibili.

Ad sextum dicendum, & primo ad maiorem, quod valet de agente, qui se mutat de potentia ad actum, Deũ autem diximus semper esse in actu, quo ad id quod actio ponit in agente. Secundo dicitur, quod, & si Deus ab æterno mundum nou produxit, tamen semper fuit in actu. Nam duplex est actus. Primus dicitur perfectiuus agentis, quia eum de potentia ad actum traducit. Secundus dicitur perfectiuus producti, quia ad perfectionem eius tendit, sicut ars dicitur actus, & perfectio artificiati, & talis causa in actu fit Deus producendo vniuersum, non enim magis fit in actu propter se, sed propter mundum creatum.

Ad septimum similiter dicitur, quod Deus est perfectissima causa, & agit perfectissimo modo, prout tamen ei conuenit, ei autem conuenit agere prout sua sapientia iudicauit loquimur enim de causa perfectissima agente libere. Secundo dicitur, quod agere in actu, dicit maiorem perfectionem in causa in actu, quę per actionem perficitur, non est autem talis causa Deus, quia ex creatione rerum nullam maiorem acquisiuit perfectionem.

Ad octauum dicendum, quod motui, & tempori præsenti correspondeat mutatum esse stat dupliciter. Primo positiue, & hoc est falsum, dato quod tempus, & motus per creationem incęperint per primum sui esse, antequam non habuerunt esse, vt nos affirmamus. Secundo imaginarie, & sic procedit argumentum, at imaginatio in hoc casu non facit factum.

Ad nonum idem dicitur, quod ly aliquãdo non denotat realem differentiam temporis, sed imaginariam.

Ad decimum diximus duplicem esse mutationem. Prima dicitur cum nouita-

Ad vigesimumsecundum dicendum, quod argumentum procedit data æternitate motus, & temporis, nos autem hoc negamus, & ideo dicimus tempus, & motum habuisse primum nunc, quod non fuit finis præteriti, sed solum initium futuri.

Ad vigesimumtertium dicendum, quod Deus est prior, mundo non tempore, sed duratione aliqua idest æternitate. Secundo dicitur, quod prius, & posterius tẽporis realis sunt positiua, prius autem ante creationem, est solum imaginarium.

Ad vigesimumquartum dicitur, quod Deus est causa sufficiens mundi, sed voluntaria, & ideo quamuis ab æterno potuerit mundum producere, non tamen eum produxit, non quod non potuerit, sed quia noluit.

Ad vigesimumquintum primo dicitur, quod maior procedit de causa agente naturaliter, Deus autem agit libere. Secundo dicitur ad minorem, quod procedit de actione Dei quo ad absolutum, nos loquimur quo ad respectiuum.

QVÆSTIO V.

An possibile fuerit Mundum esse productum ab æterno.

Videtur quod non. Primo. Nam vel est productus in tempore, vel in instanti. Si in instanti, nõ erit æternus, quia in eo incipit esse. Si in tempore, vel finito, vel infinito. Si infinito, ergo habet initium, & sic non est æternus. Si in infinito, aut productio eius est determinata a parte post, aut non. Si terminata, ergo habet initium sui esse, & sic non est infinitus. Si non est terminata, sic mundus nunquam erit producibilis.

Secundo. Aut Deus produxisset motum totum simul, aut aliquid indiuisibile eius. Non totum, quia repugnat successiuo, vt est motus, totum simul produci. Si aliquod eius indiuisibile, motus non erit æternus. Quia habet initium, scilicet illud indiuisibile primo productum.

Tertio contingens non potest esse ens necessarium. At tale esset data æternitate Mundi. Ergo. Probatur minor, Demus contingens in tempore æterno, tũc non potest anichilari, quia si anichilaretur, sequeretur, quòd ante instans anichilationis non fuerit tempus nisi finitum, idest terminatum ad instans anichilationis, & sic contingens non erit in tẽpore infinito, sed finito.

Quarto. Sic causa naturalis non posset producere effectum suum. Ergo neque Deus a simili. Antecedens probatur. Si ignis ab æterno produceret calorem, aut ex nihilo, aut ex materia. Non primũ, quia sic esset Deus. Non secundum, quia talis esset mutatio, mutationem aut præcedit eius mensura, & sic non esset æterna productio.

Quinto. Sic daretur infinitum in actu contra Philos. tertio Phys. Probatur, quia præcessissent infinitæ animæ intellectiuæ, quæ cum sint immortales, remanerent, & sic daretur infinitum in actu.

Sexto. Infinito non potest fieri additio. At data æternitate Mundi ei fieret additio. Ergo. Maior est Aristot. tertio. Phys. Minor probatur. Nam præcessissent infiniti dies, & infinitæ horæ, his autem fieret additio nouæ diei, & horæ, & sic extra infinitum esset aliud, & aliud accipere.

Septimo. De ratione infiniti est, quòd sit actus permixtus potentiæ. Sed præterito infinito repugnat potentia, quia ad præteritum nulla est potentia. Ergo Mundus non potuit esse ab æterno.

Octauo. Pars non potest esse maior toto. Sed data æternitate Mundi pars esset maior toto. Ergo. Probatur minor. Supponamus tempus ex vtraque parte esse infinitum, tunc necesse est præteritum esse æquale futuro. Tunc sit meridies huius diei. A. meridies diei crastinæ sit B. si tempus ex vtraque parte est infinitum, pars erit maior toto. i. B. quæ dicit tempus infinitum a parte post, erit maior. A. tempore infinito a parte ante, tunc enim B. ratione partis. s. tẽporis intercedentis inter. A. & B. erit maius, quia dicit tempus infinitum, sicut & A. & B. nã ratione medij tẽporis excedit A. & B.

Nono. Motus non potest esse ociosus. Sed data æternitate Mundi esset ociosus. Ergo. Maior est nota. Minor probatur, quia infinitum non habet finem, at quod non habet finem ociosum est, per Comment. & Arist. primo Phys. tex. 39.

Deci-

Decimo. De ratione facti est habere principium suæ factionis. Sed Mundus est factus, ergo habuit initium, & sic non erit æternus.

Vndecimo. Si Mundus factus dicatur ex nihilo, dicetur quoque habere esse post non esse. Ergo non esse præcessit esse. Sed æternum à nullo præcedi potest. Ergo &c.

Duodecimo. Agens per intellectum a quodam principio incipit. At Deus est agens per intellectum. Ergo a quodam principio incepit Mundum creare, & sic non potuit esse semper.

Decimotertio. Creatura non potest creatori æquari, nec etiam in duratione, quia Deus, & creatura habent esse diuersa, & consequenter diuersas mensuras. Sed data æternitate Mundi, Deus, & creatura essent æquales in duratione, idest in æternitate ergo.

Decimoquarto. Si Mūdus semper fuisset, infiniti dies præcessissent diem istum. Hoc est impossibile, cum infinitum sit impertransibile. Ergo Mundus non potuit esse ab æterno.

Decimoquinto. Sic esset processus in infinitum in causis efficientibus, quia generatio esset æterna, & vnus natus esset a patre, auuo &c. in infinitum. At in causis efficientibus non potest esse processus in infinitum, per Arist. 2. Metaph. ergo &c.

Decimosexto. Implicat mundum per creationem incipere, & nō incipere. Sed data æternitate Mundi sequitur hæc implicantia, nam cæpisset per creationem, & non incæpisset propter æternitatem, dicimus enim filium in diuinis non incæpisse, quia coæternus est patri. Ergo mūdus non potuit esse ab æterno.

Decimoseptimo. Creatio mensuratur instanti indiuisibili, & primo quia creatū ante creationem non fuit. At in æternitate non datur primum, implicat enim aliquid esse æternum, & in eo accipere primum. Ergo &c.

Decimooctauo. Implicat quod detur instans in quo primus Deus sit. Ergo & in quo Mundus fit, & ante non esset, nā æternorum eadem est ratio in æternitate.

Decimonono. Sic sequeretur quod tot præcessint dies, quot horæ, & tot horæ, quot instantia. Probatur, quia omnia ista essent infinita, vnum autem infinitum, non est maius alio.

Vigesimo. Propositio de præterito, debet habere aliquam propositionem de in esse veram v. g. si hæc propositio debet esse vera, Adam est, hæc quandoque debuit esse vera. Adam fuit. Sed hæc propositio, Mundus ab æterno fuit creatus, non potest habere aliquam propositionē veram de inesse, scilicet mundus nūc creatur, quia nunc non se extēdit ad præteritū, ad quod se extēdit æternitas. Ergo &c.

Vigesimoprimo. Hoc idem affirmant. SS. patres. Nam D. Aug. super Genes. ad litteram c. 23. tom. 3. dicit trinitatem ita esse æternam, vt aliquod creatum ei coæternum esse non possit, & 12. de ciu. cap. 15. dicit Angelos non potuisse esse coæternos creatori, quod & docent Damasc. Ambrosius, & alij plures patres.

Vigesimosecundo. S. T. negat mundum non potuisse esse ab æterno quo ad speciem humanam, ne daretur infinitum in actu. Sed hæc ratio idem concludit de multis alijs, nam potuisset Deus in horis, & diebus infinitis datis in æternitate mundi vnum lapidem creare, & illum in esse conseruare, & sic daretur infinitum in actu, quod negat Philos. præcipue in materialibus.

Vigesimotertio. Nec valet dicere, quod in infinito non est accipere primū, & ita nec in æternitate mundi. Primo; quia si Deus creasset ab æterno primum hominem primum lapidem, vel primum diem, vel Deus hoc primum cognouisset, vel non. Secundum non est dicendum, cum Deus omnia sciat. Si primum, ergo non erit æternum, & ita implicat res incipere esse, & desinere &c. Secundo si Deus produxisset aliquam speciem ab æterno, eam signaret in aliquo primo indiuiduo determinato. Ergo necessario dandum esset primum indiuiduum, quod æterno, & infinito non consentit. Tertio, quia oporte rei signare primum indiuiduum ex nihilo factum. Quarto contradictoriæ non possunt simul esse veræ. Sed hæc est falsa, nullus primus homo, vel equus, vel dies factus est a Deo, data etiā æternitate, ergo sua opposita erit vera scilicet aliquis primus homo, equus, vel dies factus est a Deo.

Vigesimoquarto. Impossibile est deuenire

nire ad vltimum in infinito, quia si ad illud deueniretur esset finitum. Ergo impossibile est etiam deuenire ad primum in infinita duratione æternitatis mundi, & sic non potuit mundus creari ab æterno. Consequentia patet, quia eadem est ratio de infinito ante, & post, est enim vtrunque infinitum.

Vigesimoquinto. Si mundus fuisset ab æterno, ergo & motus, & tempus, cum spectent ad constitutionem mundi. Hoc falsum. Ergo. Probatur minor, Detur ignis, & stuppa ab æterno, quæro an calefactio æterna esse potuerit. Videtur enim quod non, quia motus non est in instanti, nec incipit per primum esse, & ita dicimus de cęlo, & suo motu. Necesse est enim quod detur instans cæli, & tamen adhuc non est motus, vnde motus non potest habere coæternitatem cum ipso Deo. Idem dicitur, quod si mobile est æternum, & non motus, oporteret mobile esse sine motu per spacium æternum, quod est impossibile. Ita deducimus de muliere quæ ab æterno est grauida, peto enim an partus sit æternus, aut non sit æternus, ergo partus esset ita antiquus, sicut mulier. Si non, ergo nec mulier, quia per nouem menses distat a partu.

Vigesimoquinto. Deus dicitur æternus, quia est sine principio, & mensuratur æternitate, dicitur quæ causa temporis. At mundus necessario habuit principium in tempore quo mensuratur, & eius est causa Deus. Causa autē est prior effectu. Ergo impossibile est quod creatura sit creatori coæterna.

Vigesimoseptimo. Si mundus esset æternus, & creatori coæternus, non esset dabile aliquod instans in quo non esset mundus Deo coæternus. Ergo non esset dabile instās, in quo intelligimus potuisse Deū mundū creare, & nō. At hoc est facere Deum de necessitate, & non libere mundū produxisse, quod nō admittimus.

Vigesimooctauo. Dum sol ab æterno creatus esset (& in oriēte vt conceditur) si pergisset ad occidentem, spatio 12. horarum, vt eius motus ostendit, necesse esset computare a situ quem haberet in occidente, vsque ad motū quem incæpit in oriente, & creatus est, 12 horas, & sic sol ab ortu suo haberet 12 horas. Ergo non esset æternus, quia in æterno, nō est accipere aliquod tempus determinatū.

Vigesimonono. Sapientia Dei infinita, & ita alia attributa non possunt communicari creaturæ. Ergo nec æternitas mundo, quia est duratio infinita.

Trigesimo. Experientia docemur generationes hominum continuo debilitari naturaliter. Ergo si præcessissent infinitæ generationis, infinitæ esset debilitata generatio humana, ita vt nunc non viuerent homines, supponimus enim mūdum potuisse a Deo creari cum ea dispositione quam modo habet, de hoc enim controuersia est.

Trigesimoprimo. Nam plures homines nascuntur quam moriantur, vt patet ex vno Adam totum genus humanum processisse, ex Iacob totū genus hæbreorum, & sic discurrendo. Ergo si mundus fuisset ab æterno creatus, modo essent homines infiniti, quod est falsum, & contra Arist. non concedentem infinitum in actu. Immo ad tempus sic deueniremus, in quo nullus hominum esset, dato quod plures nascantur quam moriantur, quia in infinitis ætatibus anterioribus deueniremus ad illam in qua nullus esset. Dicere autem, quod bello, famæ, peste, & terræmotibus tolluntur plures homines quam nascantur, per accidens est, rarū, & in aliqua tantum parte. Actio enim violenta parum durat, & ad pauciora redigitur, & vi naturæ opprimitur.

Trigesimosecundo. In æternis non differunt esse, & posse per Arist. tertio huius, tex. 32. Sed mundus ab æterno non fuit (vt fides catholica docet) ergo nec potuit esse.

Trigesimotertio. Mundus ab æterno non potuit in nihilum redigi. Ergo nec creari. Consequentia patet, quia eadem est potentia ad creationem, & anihilationem. Antecedens probatur, quia necessario daretur esse, ante non esse, in æterno autem nihil datur ante.

Trigesimoquarto. Infinitum in actu negatur. Sed data æternitate mundi concedendum esset, quia in qualibet hora potuisset Deus creare vnum Angelum, immo nouum mundum. Ergo &c.

Trigesimoquinto. Nec valet dicere quod quamuis mundus quo ad aliquam generationem in particulari, vel motum &c. non potuerit esse, quia sic in ea, vel

ta daremus primum, quod æternitati re pugnat, non tamen hoc concludit de generatione vt sic &c. Nam creatio facta es se debet in aliquo indiuiduo primo.

Pro resolutione præsentis difficultatis, quæ his nostris temporibus multos oppressit, tria mihi sunt facienda. Primo enim quædam præmittam necessaria ad enucleationem veritatis quæstionis. Secundo loco nostram conclusionem probabo. Tertio satisfaciam omnibus argumentis.

Termini explicantur. Quo ad primum ergo primo explicandi sunt termini quæstionis. Primus autē est, ly mundus. Per mundum ergo intelligimus vniuersitatem omnium creaturarum, prout vniuersum, seu mundus constat ex omnibus gradibus entium vniuersalibus, & specificis, prout de facto reperitur, non quo ad indiuidua, cum multa sint corruptibilia, sed quo ad species quæ perpetuæ sunt. Secundus terminus est ly potuerit esse. Possibile ergo ex quinto Meth. tex. 17. tripliciter sumitur. Primo secundum potentiam actiuam, quia scilicet datur potentia actiua, potens aliquid agere, vt virtus calefactionis in igne. Secundo secundum potentiam passiuam, quia scilicet potest suscipere actionem agentis, vt est in ligno potentia ad hoc vt possit comburi. Tertio secundum non repugnantiam terminorum, quia non dicit implicationem, vt Sortem esse Pontificem. Tertius terminus est ly ab æterno. Aeternum autem dupliciter sumitur. Primo large, pro tota duratione aliqua, vnde corpora cælestia dicuntur æterna, quia non est dabile tempus in quo non fuerint, & etiam quę diuturna sunt sic possunt dici æterna, vt montes, colles, columnæ, & similia. Secundo sumitur presse, scilicet per eo quod, nec habet primum initium, nec vltimum finem, & hoc modo hic sumitur, vnde quæritur an totum vniuersum, prout nouimus ipsum a Deo creatum potuerit esse potentia actiua Dei, & passiua (non subiecti, & materiæ) sed non repugnantiæ. i. non repugnauerit ei creari ab ęterno. i. cum Deo coæternum.

Opiniones. Secundo igitur notandum, quod circa præsentem difficultatem sunt plures modi dicendi. Primus enim negat absolute potuisse mūdum ab æterno esse, & creatori esse coæternum. Ita Albertus Magnus in summa tract. 1. q. 4. membro 2. & in 2. d. 1. art. 10. D. Bonauentura ibidem q. 2. Riccardus q. 4. Marsilius q. 1. art. 2. Henricus quod. 1. q. 7. & 8. Guglielmus Parisiensis li. 1. de vniuerso, Philos. c. 16. Toletus hic q. 2. & plures alij. At alij plures concedunt res permanentes permanenter operantes ab æterno esse potuisse, non vero res successiuæ, vt motus, & tempus. Ita Durandus in 2. d. 1. q. 2. ar. 3. Sotus hic q. 3. Conimb. hic. q. 7. Bannes p. p. q. 44. art. 2. Ruuio hic q. 3. & alij multi, quod & dicunt, de generationibus, & corruptionibus rerum naturalium. Secunda sententia principalis affirmat, mundū ab ęterno creari, a Deo fuisse possibile, excepta specie humana, propter immortalitatem animæ intellectiuæ, ne daretur infinitum in actu. Ita expresse docent S. D. p. p. q. 46. ar. 2. cum Caiet. 2. contra gentes cap. 35. cum Ferrariensi, de potentia q. 3. articulo 14. in 2. d. 1. q. 1. art. 5. Capreolus in 2. d. 1. q. 1. Paulus Venetus hic text. 15. Soncinas. 12. Metaph. q. 2. Perrerius lib. 15. cap. 13. Gregorius, Gabriel, Ocham, Aegidius in 2. d. 1. Herueus quod. 9. & alij non pauci, & generaliter teneas nos hic disputare, an Deus potuerit mundum creare ab æterno, secundum statum quem modo habet, nam secundum alium statum potuisse illum creare, pauci sunt, qui hoc negent.

Causa deceptionis aduersariorum. Tertio igitur notandum venit, quod causæ deceptionis illorum, qui tenuerūt mundum non posse esse ab æterno, istæ sunt. Prima est, quia non considerauerunt æternum, & infinitum secundum omnem suam extensionem, sed tantum in tantum in particulari, pro hac hora, die, momento, nunc temporis, vel motus, hac generatione, vel corruptione, &c. nam sic considerare corruptibilia, & generabilia, est facere ea generabilia, & corruptibilia, & non æterna. Est igitur speculandum, quod in æterno quocunque nunc dato, adhuc aliud, illud antecedit, & sic in infinitum, & quocunque homine, motu, planta, vel alia re data, adhuc his datur prior homo, &c. vnde aduersarij cum infinitum accipiant per modum finiti, & æternum pro habente principium, & finem, non est mirū quod dicant implicare, aliquid esse variabile, corru-

corruptibile, vel generabile, & esse æternum, & infinitum.

Secunda causa est, quia accipiunt corruptionem, & generationem non vt prędicatum rerum generabilium, & corruptibilium, secundum speciem, sed eam intuentur in hoc indiuiduo, quare non pensant generationem,& corruptionem posse saluari in æterno, & infinito secundum speciem,quoniam eam intuentur in hoc indiuiduo vt dixi, quasi hoc indiuiduum debeat esse æternum, cum tamen dicamus indiuiduum hoc, & illud esse corruptibile, speciem vero posse esse æternam, secundum totam suam amplitudinem, secundum quam potest extendi ad infinita indiuidua,si darentur,quæ tamen essent generabilia,& corruptibilia. Et ita dicimus de tempore,& motu,nam accipiendo in tempore hunc vel illum diem cogitamus eos pertransitos, & ita, hoc vel illud nunc, temporis, quod tamen conspicitur falsum,non sumendo infinitum diuisim, scilicet pro hoc,vel illo die, vel nunc sed coniunctim.i.pro omni simul collectiue, quæ si est duratio æterna,& infinita, est impertransibilis.

Tertia causa est, quia in æterno,& infinito admittunt, quod non est admittendum. i. aliquod quod significet, & dicat initium durationis. Nam duplex est principium. Primum dicitur effectiuum, & hoc potest esse coæternum eum eo quod est ab eo tanquam a principio, vt filius in diuinis dicitur coæternus patri, & si sit ab eo tamquam a principio, & ita si sol esset æternus, lux esset ei coæterna, & calorigni, & si pes ab æterno (inquit Augustinus) fuisse in puluere vestigium pedis fuisset æternum, vnde principium productiuum in instanti æterno, non tollit æternum, quia principium,& id quod est a principio intelliguntur mensurari eodem instanti. Secundum dicitur principiũ in duratione, quia intelligitur prius fuisse, & deinde alteri dedisse durationẽ æternam, quod sic inuoluit repugnantiã, secundum quem sensum plura aduersariorum procedunt argumenta,non enim in mundo ab æterno producto est aliquid admittendum, quod initium durationis dicat, vel præseferat aliquod esse, post non esse, & ita standum est in hoc, quod æterna accipiunt esse,sed non hoc modo, quod dicatur primum esse infinito enim non est dabile primum secundum esse, si sit æternum secundum esse, nec secundum durationem, si est æternum secundum durationem, & ita dico primum, post non primum.

Quarta tandem, & vltima causa censeo esse, quia accipiunt æternum vt infinitum ex vtraque parte, ita vt non possit ei aliqua ex parte fieri additio. Nam si mundus ab æterno esset productus, quamuis in eo non posset a parte ante dari primum, a parte post tamen haberet vltimum, cum tale esset infinitum permixtum potentiæ, idest patiens additionem ex parte, post, & si non ex parte ante,quia ad pręteritum nulla potest esse potentia.

His stantibus deuenio ad secundum principale, & pono hanc conclusionem. Mundus per absolutam Dei potentiam potuit creari ab æterno. Probatur primo. Illud solum Deus nõ potest facere, quod implicat contradictionem si fiat. At mundum fieri ab æterno nullam implicat contradictionem. Non enim implicat ex parte Dei creantis, quia si potuit mundum creare in tempore, potuit & ab æterno, non enim ex tempore acquisiuit maiorẽ virtutem. Nec implicat ex parte producibilis, idest mundi. Primo, quia si creaturæ essent ab æterno,non obstaret quod vna esset ab alia, vt lux a sole dicit D.August.6.de trinitate ca.1.sicut, & verbum in diuinis potuit esse ab æterno a patre, & Angelus si ab æterno fuisset creatus, potuisset habere actionem liberam intellectionis, & volitionis, & ita Deus liberam actionem creandi mundum. Nec repugnat ex parte creationis, quæ est ex nihilo, quia vt supra notauimus ly ex nihilo non sonat aliquod positiuum præueniens, sed negatiuum, & dicit ordinẽ tantum, idest post nihil. Secundo probatur etiam de rebus corruptibilibus, quia in eis pariter vnum potuisset aliud producere, & creatio semper potuit terminari ad esse, nec cum eo repugnantiã aliquam habet, maxime cum accessoriũ non impediat principale.

Conclusio probatur.

Secundo. Repugnantia sonat prædicatum non posse conuenire subiecto. At æternitas potest creaturæ conuenire. Ergo &c. Maior est nota. Probatur minor.

Primo, quia potest dari æternum limitatum, & dependens, vnde sola indepentia, & infinitas in esse repugnare dicitur creaturæ, in eo quod creatura. Secundo, quia æternitas est prædicatum accidentale, nullum autem accidens potest variare substantiam. Tertio, quia æternitas non diceret perfectionem simpliciter, quæ sola creaturæ repugnat. Quarto, quia ratio essentialis æternitatis conuenit angelo, & animæ nostræ, immo cælo, & elementis, secundum substantiam a parte post. Ergo potuit eis etiam conuenire a parte ante, conuincimur enim ex hoc æternitatē non habere repugnantiam cum creatura, quia nullo modo ei conuenire posset sicut, nullo modo potest homo esse irrationalis, quia irrationalitas cum eo habet repugnantiam.

Tertio. Mundum incæpisse est articulus fidei, & consequentur non potest demonstrari. Sed ea quæ repugnantiam dicunt maxime demonstrari possunt, quia hæc maxime nota sunt, vt quod homo non sit lapis, vel Asinus, vel Deus, & similia. Ergo &c. Respondent aduersarij, diuina esse in duplici differentia. Quædā omnino diuina, & reuelata, vt Deum esse vnum, & trinum; sacramenta gratiā conferre, & similia, & hæc sola fide tenentur, & non possunt demonstrari, Alia vero sunt quidem reuelata, sed etiam lumine naturali cognoscibilia, vt Deum esse, animam intellectiuam esse immortalem, & mundum esse creatum, & hæc possunt etiam vltra fidem notificari per demonstrationem. Sed hæc responsio nō subsistit. Primo, quia Deum esse, & animam immortalem esse, sunt præambula ad articulos fidei, vt docet S. D. p.p.q.2. art.2.non vero sunt articuli fidei: At mū dum esse creatum a Deo, est primus articulus fidei. Secundo, quia dato quod ea, quæ sunt fidei ratione humana etiam possint adiuuari non tamen possumus dicere ista ostensione, & demonstratione posse conuinci, (vt asserit Toletus, Ruuio, & Conimb.) Nam quæ sub demonstratione conuincente intellectum cadunt, euidentissima, & notissima esse debent, euidentia autem non stat cum fide, nec certitudo manifesta cum adhæsione ad dicentem, vt omnes Theologi docent. Tertio, quia sic inceptio mundi in tempore, seu creatio notior esset, quam multa naturalia maxime intellectui nostro proportionata, quæ demonstratione probari non possunt, immo creatio notissima fuisset apud omnes, quod aperte dignoscitur falsum.

Quarto. Si successiuis repugnaret esse ab æterno, foret, quia in eis dantur prius, & posterius, quæ longe sunt ab æternitate. At hoc non dicit repugnantiam. Ergo. Probo minorem. Primo, quia possunt dari prius, & posterius, sed non primum, nam in æternis a parte post huius nostri temporis dabitur prius, & posterius, & tamē tempus erit infinitum a parte post. Secundo, quia aliud est dicere, quod creatio postulet determinatum indiuiduum in vnaquaque specie, & aliud quod huic indiuiduo debeamus primum esse assignare. Primum quidem est verum, sed secundum falsum, quia nos metimur æternum ac si esset temporale. Nam etiā filius in diuinis habuit principium determinatum, sed non determinatum duratione, ita vt in æternitate eius sit dabile primum sui esse, post non esse, vnde totus error aduersariorum ex eo pullulat, quod volunt æternum mensurare, vt tēporale.

Quinto. Non est a Deo subtrahendū, quod in eo aliquam diminutionem dicit, cum sit vndequaque perfectus, & omnipotens. Ergo non est negandum eum ab æterno potuisse vniuersitatem creaturarum creare. Antecedens patet, sequela probatur. Primo, quia sic poneremus Deum debuisse expectare ad creandum mundum. At propter quid. Non enim pendet quoquo modo a creaturis. Secundo, quia si esset ex repugnantia facti, esset propter aliquod præteritum, vel præsens existens, at tunc nullum erat præteritum, vel præsens impediens. Tertio, quia expectatione nihil acquisiuit.

Ad primum autem argumentum in contrarium dicitur, quod mundus fuisset creatus in instanti. At duplex est instās. Primum dicitur terminus præteriti, & initium futuri, quia mediat inter ista. Secundum dicitur simplex, & initium tantum futuri. Primum est instans temporis nostri successiui, nec in tali potuit creari mundus, quia supponit prius. Secundum dicitur instans creationis, quia dicit

dicit initium tantum. Sed hoc diuersimo de haberet in æternitate, nam diceret initium effectionis, sed non durationis, sicut generatio filij in diuinis dicit instans æternum generationis, sed non alicuius inceptionis duratiuæ, esset enim instans æternum, & ideo sine principio duratione, vnde imaginatio nostra, est eleuanda a tempore, & transferenda ad æternitatem, & tunc non tantum angustiabimur.

Ad secundum similiter dicitur quod Deus produxisset motum secundum aliquod eius indiuisibile, sed hoc non potest designari per primum in duratione, quia in æternitate non potest dari primũ durationis, sed tantum potest intelligi primum effectionis, quia causa, & effectus, principium, & id quod est a principio possunt intelligi æterna, & sine principio durationis.

Ad tertium dicendum, quod duplex potest esse contingens, & corruptibile in æternitate, primum, & non primum, de secundo nõ est tanta difficultas, quod potuit esse, quia huic sufficeret esse ab alio in infinitum, & ita darentur generationes, & corruptiones in infinitum ascendendo a parte ante. De primo ergo est difficultas, quomodo potuisset esse primum, & æternum, idest sine principio. Sed dicimus vt supra, quod fuisset primum per dependentiam a causa efficiẽte, non vero per durationem, non quod primum effectione non sit etiam primũ duratione. Sed quia intellectus noster ex cogitare valet effectum suæ causæ sine repugnantia posse esse coæternum, & hoc se teneat ex parte esse rei, non erit propter accidens, idest durationem intelligibilem primam, & æternam negandũ principale propter accessorium.

Ad quartum dicimus, quod ignis æternus produceret calorem æternum, non ex nihilo, nec ex natura, sed ex propria virtute producente suas passiones; vel melius dicendum, quod Deus producens ignem naturali sequela, & eadem productione produceret calorem, vnde esset mutatio instantanea, & non motus successiuus mensura autem præcedit mensuratum non tempore semper, sed natura.

Ad secundum multi multa dixerunt, quidam ponentes transmigrationem animarum, alij vnam animam, & intellectum constituentes, alij animam cum corpore interiore affirmantes, & similia dicentes. At nos cum S.D.2. contra gentes cap.81. dicimus quod rationes Arist. non concludunt, nisi contra infinitũ in actu, in materialibus non vero in spiritualibus, & immaterialibus, vt sunt animæ intellectiuæ. At p. p. q.46. art.2. ad octauum dicit aliquos posse dicere hanc rationem esse particularem, & tantum concludere non potuisse Deum ab æterno creare animam intellectiuam immortalem, non vero concludit de alijs speciebus, vel indiuiduis perpetuis, vnde Caiet. vt supra animaduertit Thomistas concedentes mundum posse esse ab æterno debere excipere speciem humanam. Sed & alij poterũt dicere, hoc infinitum, esse sincategorematice, & semper permixtũ potentiæ a parte post, vnde erit infinitũ sumptum per modum finiti, quod forsitan non intellexit negare Arist. sed vide quæ ad hoc propositum diximus in tertio Phys.

Ad sextum dicendum, quod duplex est infinitum. Primum dicitur infinitum simpliciter, quia omni ex parte infinitũ est, & nullam patitur additionem, quia sic non esset infinitum, sed finitum. Secundum dicitur infinitum secundũ quid, idest ex vna parte, vt essent dies, & horæ a parte ante, data æternitate mundi, vel a parte post, vt si motus cæli modo duraret in æternum, & huic infinito ex ea parte qua finitum est potest fieri additio. Quare data æternitate mundi infiniti dies essent transacti, & nunquam possemus reperire primum diem, tamen a parte post essent finiti, & sic successiue adderentur, dies, & horæ, in infinitum, quia permiscerentur potentiæ.

Ad septimum dicendum, quod infinitum secundum habet actum permixtum potentiæ, quia ad diem præsentem potest fieri additio diei sequentis a parte post. A parte vero ante diuisim accipiendo infinitum potest ei fieri additio alterius partis diuisæ, coniunctim vero nequaquam, quia sic non habet partem extra partem.

Ad octauum omissis multis superfluis (veritas enim in paucis consistit) dicitur Primo, quod infinitum a parte ante,

& infinitum a parte post sunt æqualia, si ad idem instans terminentur, si autem inter ea ponamus medium tempus, & illud vni infinito addamus, hoc videbitur maius, sed hoc fieri non potest, quia sic esset ab infinito a parte post, separare partem suam, quod non est factibile, & propterea, vbi definit infinitum a parte ante, ab eo instanti debet incipere post, & ita illa duo infinita erunt æqualia, & non habebunt partes. Secundo dicitur, quod infinitum non debet sumi per modum discreti, diuidendo ipsum in dies, horas &c. hoc enim est ex parte nostri, cũ secundum se infinitum sit continuũ, & ideo nisi ratione nostri, vt accipimus infinitum per modum discreti, & finiti, dicimus in infinito æterno fore plures dies, quam annos, & horas, quam dies.

Ad nonum negatur minor, & ad probationem dicitur, quod habere finem stat dupliciter. Primo, vt terminum, quia scilicet ordinatur ad finem, vt ad terminũ, vltra quem non mouetur, & sic illud quod hunc terminum non consequetur, dicetur otiosum. Secundo habere finem idest intentionem, & sic cum de ratione infiniti sit habere hanc rationem, quod non habeat terminum terminantem, si tendat in infinitum, non erit ociosum, sed bene ordinatum.

Ad duodecimum diximus, de ratione facti, est habere factorem, sed non esse necessarium factorem, seu causam effectiuam duratione præcedere factum, sed tantum natura. Nam duplex est causa. Prima agit per motum, & hęc duratione præcedit effectum. Secunda dicitur agere per instantaneam productionem, & hæc non procedit duratione factum, & ita dicimus mundum potuisse fieri ab æterno, si Deo placuisset illum ab æterno creare.

Ad vndecimum dicendum, quod si mundus vt dicit totam collectionem creaturarum fuisset ab æterno, ex nihilo conditus fuisset. Dicere autem esse post non esse stat dupliciter. Primo positiue, secundum aliquam durationem, non esse præcedentem, & sic quod acciperet esse, non posset esse æternum, vt argumentum probat. Secundo negatiue, idest non habuisse prius aliquam durationem, qua mensurari posset eius esse, vel non esse, & sic cõditum potest esse æternum, in quo sensu dicimus mundum ab æterno potuisse creari.

Ad duodecimum dicendum, quod duplex est agens per intellectum. Primum inuestigatiuum, & post inuestigationem deliberatiuum, vt est intellectus humanus. Secundum dicitur simpliciter deliberatiuum, & effectiuum, vt est diuinus, argumentum de primo procedit, & nos de secundo loquimur.

Ad decimumtertium dicendum quod data æternitate mundi adhuc creatura non parificaretur creatori. Primo, quia esse diuinum esset infinitum intensiue, & extensiue, idest in perfectione, & duratione, esse autem creaturæ perpetuæ esset solum infinitum in duratione. Secundo, quia Deus esset causa, & creatura effectus, & ideo esse Dei esset independẽs, & creaturę dependens. Tertio differret etiam in duratione, quia esse diuinum æternitate mensuraretur, quæ est omnino, & simpliciter tota simul, sine aliqua successione, esse vero creaturæ tempore æterno mensuraretur quod successionem dicit, & hoc est quod docet S. D. p. p. q. 46. art. 2. ad quintum, vnde patet, entia successiua potuisse esse ab æterno, quod dixerim contra Thomistas illos, qui negant Deum potuisse creare mundum quo ad successiua.

Ad decimumquartum dicendum, infinitum impertransibile ex ea parte qua est infinitum, non vero ex ea qua est finitum, modo data æternitate mundi non esset dabilis primus dies, nec prima hora quia ex parte mundus esset infinitus in duratione, sed ex parte post esset finitus, quia illa infinitas horarum esset terminata ad hunc diem, & horam, & sic ex hac parte ei posset fieri additio.

Ad decimumquintum dicendum, quod causæ sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt per se subordinatæ, ita vt simul, & in actu concurrant ad producendum effectum, & in his non datur processus in infinitum. Aliæ vero dicuntur per accidens subordinatæ, quia vna potest agere sine alia, & in his potest dari processus in infinitum, ita autem se habent auus, atauus, &c. nam pater potest generare, quamuis eius pater, vel auus sint mortui. Habeas autem patrem,

auum, atauum &c. esse causas ordinatas per se in esse, quia vna ab alia per se depẽ det in esse, sed nõ per se subordinatas in actione, quia vna potest agere sine alia.

Ad decimum sextum dicimus, implicare incipere per durationis primum, & nõ incipere per primum durationis, non vero incipere per causalitatem, & non incipere per primum instans durationis, & ita filius in diuinis incœpit per generationem, sed non per durationem aliquam. Vitamus autem in diuinis nomen incœptionis, quia videtur significare esse, post non esse, quod non potest diuinis conuenire.

Ad decimum septimum dicendum, quod creatio de nouo in nunc temporis dicit instans indiuisibile, sed tale quod ante ipsum potuit esse aliud instans. At creatio æterna diceret primum instans productionis, sed non durationis, quia secundum durationem non potest in æterno dari primum, imaginatio enim nostra communis tollenda est, & intuendæ sunt naturæ rerum, & non errabimus.

Ad decimum octauum dicẽdum, quod Deus dicit negationem, & productionis, & durationis, & ideo nullo modo habet primum. Creatura autem æterna diceret primum productione, sed non duratione, & ideo non mensuraretur æternitate omnino inuariabili, sed tempore æterno, patiente successionem.

Ad decimum nonum diximus, quod procedit de infinito discrete sumpto, & non continue.

Ad vigesimum dicendum, quod nunc denotat durationem & non effectionem, & ideo non possumus dicere in mundo æterno, mundus nunc creatur, quia in æterno non datur primum nunc, at bene valemus dicere mundus in tempore æterno creatur & creatus est idest factus est, & perseuerat.

Ad vigesimum primum dicendum, quod dum SS. patres negant creaturam non posse esse coæternam creatori intelliguntur primo per independentiam, s. quod a Deo non esset. Secundo per æqualitatem in esse, & mensura. s. in æternitate proprie sumpta, quæ est mensura omnino inuariabilis, & mensurat omnino inuariabilia, nam mundus tempore æterno mensuraretur, & non propterea æternitate. Tertio ad sensum Arij, & Macedonij cõtra quos disputabant, hi enim scripturas concedebant, & tamen ponebant verbum Dei esse creaturam; Hoc enim implicat (dicebant illi patres) quia creatura secundum scripturas non est coæterna creatori, & tamen legimus verbum diuinum esse patri coæternum, vnde negant coæternitatẽ stante facto, non de possibili, absoluta Dei potentia.

Ad vigesimum secundum dicendum, quod modo disputamus an mundus in ea dispositione in qua reperitur potuerit esse ab æterno, vnde impertinens est argumentum de lapidibus creatis in quolibet instanti, si enim Deus voluisset illos creare, forsitan alium ordinem excogitasset, per quem deueniremus in cognitionem Dei, potentis facere infinitum sincategorematice, quod est infinitum permixtum potentiæ. Sed ad quid crearet tot lapides? non. n. facerent ad perfectionem speciei, nec vniuersi sicut facit multiplicatio hominum in specie humana Deum laudantium, & ei ministrantium.

Ad vigesimum tertium argumentum dicimus, Deum potuisse cognoscere illud primum, vt primum effectum, non vt primum in duratione, non enim fiendus est transitus. Ad secundum dicendum similiter, quod si Deus ab æterno produxisset aliquam speciem, illam signasset, & produxisset in aliquo primo indiuiduo effectiue, sed non primo in duratione. Nec valet dicere, quod primum productum esset productum in duratione, quia sibi correspondent. Hoc enim falsum est, quia nõn implicat intelligere effectum esse a causa ab æterno, & implicat effectum esse æternum, & habere primum sui esse in duratione, qui est defectus intellectus nostri, & non rei in se. Ad tertium dicimus, primum indiuiduum quo ad durationem non posse nos assignare, quia in infinita duratione non est inuenire primum, sed vt diximus possumus tamen intelligere primum efficientia, sicut filius in diuinis diceretur primus, vt a primo principio, si post ipsum essent alij infiniti filij, & tamen non posset dici primus in duratione æternitatis. Ad quartum idem dicimus, scilicet quod aliquis põt dici primus homo, factus a Deo, & nõ secũdus, nec tamẽ dicetur

tur primus duratione, sed causalitate.

Ad vigesimumquartum dicimus, illud concludere, de primo vt mensurato duratione, non causalitate producto. Sed quis interrogabit cum omne mensuratum, & productum habeat suam mensuram, quæ nam erit prima hominis producti, si non est primum nunc durationis, productionis huius primi hominis, dato quod homo fuisset ab æterno productus. Respondetur, quod aliud est dicere, quod vere, & realiter esset primus homo productus, & primum nunc durationis temporis æterni (vtrumque enim simul produceretur) & aliud est dicere, quod hic primus homo, vel primum nũc possit designari in indiuiduo. Primum est verum, quia (vt diximus) ex patribus non repugnat creaturam ab æterno esse productam. Secundum autem est falsum, quia ante quemcumque hominem in æterna hominum generatione est dabilis alius homo in infinitum, & ita ante quodcumque nunc, aliud nunc semper in infinitum, quia talis est natura æterni, & infiniti in numeratione.

Ad vigesimumquintum diximus, tunc motum fuisse æternum, & grauidationẽ, & combustionem, vnde non est descendendum ad hunc motum, hanc combustionem, vel hanc grauidationem, & dicendum quod sint prima, hoc enim falsum est, quia ante ista danda essent alia similia in infinitum, cum quo stat, quod talis motus, combustio, & grauidatio sint finita ex vtraque parte si in singulari accipiantur, vt supra explicuimus.

Ad vigesimumsextũm dicimus, quod quamuis Deus dicatur sine principio nõ tamen verbum, & tamen est æternum, vnde non est necessarium omnem causam præcedere effectum, si in instanti illum producat, verum est enim solum de causa mouente per motum Physicum.

Ad vigesimumseptimum dicendum, non repugnare causæ liberæ secum coæternaliter producere suum effectũ, quando illa causa non habet inuestigare, & postea deliberare, vt est Deus, non enim eius libertas habet statum indifferentiæ, & determinationis, sed eodem modo libere operatur (operetur ab æterno, vel in tẽpore) vnde in instanti non suo, sed sibi coęterno potuit mũdum producere.

Ad vigesimumoctauum dicitur, quod peccat accipiendo primum motum solis ab oriente, in occidentem, nam nullus talis primus motus posset designari, quia ante illum accipiendus esset alius in infinitum.

Ad vigesimumnonum dicẽdum, quod nec æternitas, nec alia diuina attributa possunt communicari creatis, vt sunt infinita secundum essentiam, in perfectione, & duratione, eis tamen possunt communicari finite, & imperfectione, & infinite in duratione, quia sola æternitas Dei dicit perfectionem infinitam secundum essentiam.

Ad trigesimum dicimus, quod tunc Deus, vt natura vniuersalis prouidisset de reparatione caloris naturalis deperditi, sicut fecisset in paradiso terrestri neque enim sic inuerteret naturas quo ad esse specificum, sed quo ad accidentia concomitantia.

Ad trigesimumprimum similiter dicimus, quod Deus disposuisset tot indiuidua specierum esse debere, secundum quandam latitudinem, maiorem, & minorem, & ita vt vno tempore possent esse in maiori numero, & in alio non, propter luem occisiones bellorum &c. multos de medio tollentes, esset enim variatio in multitudine non in esse.

Ad trigesimumsecundum Simplicius, & alij multi dicũt hanc propositionem, & æternis non differunt esse, & posse, nõ esse Arist. vt propria, sed Architæ, & Epicuriorum contra quos loco citato disputat vnde ex dictis eorum eos intendit conuenire. Sed quia hæc propositio vt de mente Arist. communiter recipitur; Ideo dicitur, quod valet in æternis quo ad potentiam passiuam, quæ non est separata ab actu, sed ei coæterna. Sed & dicitur, quod non procedit de posse, vt dicit potentiam ad actum, sed vt dicit proportionem cum actu, nam actus ęternus, habet potentiam æternam scilicet possibilitatem, & ideo quia actus creationis est æternus in Deo, ideo & potentialitas mundi ab æterno, debet esse æterna.

Ad trigesimumtertium negatur consequẽtia, & ad probationẽ dicitur quod eadẽ est potentia, sed non sub eodẽ modo, quia quod anichilatur, fecit, quod vero creat, nõ ideoq. potuit creari ab æterno.

Ad

Ad trigesimumquartum dictum est supra, & ita ad 35. sæpius.

QVAESTIO VI.

Vtrum Aristot. crediderit se demonstrasse æternitatem mundi.

Videtur quod sic. Arist.tenuit Deum agere de necessitate naturæ ex propria sententia; Sed hoc dato sequitur motum,tempus,cælos,& alia necessario ab æterno fuisse. Nam causa in actu,naturaliter agens, necessario producit suum effectum. Ergo æternitas mundi tenenda est firma Arist.sententia.

Secundo.Clarum est Arist.4.huius, & in hoc octauo,1.de Cælo, secundo de ortu.& interitu,12. Metaph.ac multis alijs in locis pugnaciter defendere æternitatem mundi, Ergo signum est eum sic tenuisse.

Tertio. Vbique Aristot. facit tempus, motum,& materiam æternam, neque alia via probat æternitatem mundi, quam ex æternitate illorum. Ergo signum est quod firma fuit eius sententia.

Quarto. Aphrodiseus rogatus quid sibi de doctrina Arist. magis placeret, dixit sententia æternitatis mundi,quia hęc vna inuariabilis,eius sententia fuit.

In contrarium stat S.D. p.p.q.46. art. 1. qui triplici ratione probat Arist. non putasse se demostrasse æternitatem mundi. Prima est, contradicere opinionibus aliorum non est demonstrare, id quod demostrans tenet, sed quod aduersarij dicunt,falsum esse. At Aristot. hic, & 1. de Cælo, &c. contradicit tantum dictis antiquorum,ponit enim prius eorum opiniones, & postea eas reprobat. Ergo hoc non censet absolute verum.

Secunda. Probare aliquid ex dictis aliorum,non est demonstrare, sed probabiliter persuadere.Hoc vbique facit Philosophus dum de æternitate mundi agit. Ergo.

Tertia.Idem Aristot.1. Topicorum fatetur,quędam esse problemata Dialectica, de quibus rationes non habemus, vt verum mundus sit æternus.

Quarto. Addamus Arist. tenuisse animam immortalem, & non posse dari infinitum in actu, quæ implicarent data æternitate mundi.

Quinto. Omnia ea inconuenientia sequuntur data æternitate mundi ex materia,cũ motu, & tempore æterno, quia supra contra sentẽtiam S.D.sunt adducta.

Circa hanc difficultatem sunt duæ opiniones. Prima tenet Arist. tenuisse æternitatem mundi ad sensum suum .s. cum æternitate materiæ, motus, & temporis ita vt rationes ab eo adductæ contra antiquos non fuerint solum ad contradicendum, sed etiam ad ostendendum propriam mentem per rationes (vt ipse putauit) demonstratiuas. Ita fere communiter docent DD. Secunda vero fuit S.D. vt supra, Vldarici in sua summa lib.4.Argentinæ in 2. distin. 1. q.2.art.1. scilicet quod Arist. probabiliter tantum censuit mundum æternum, & rationes quas adducit fuerunt ad ostendendum mundum non potuisse incipere, non per creationem,sine nouitate essendi, sed cum nouitate essendi .i. ex materia supposita,vt videntur voluisse antiqui ab eo impugnari. Itaque Arist.rationes ad hoc tendunt, scilicet ad ostendendum quod mundus non potuit esse ex materia, non vero ex nihilo.

Sed secundo loco notandum etiam venit, quod aliud est dicere Arist. tenuisse creationem mundi in tempore, & aliud ab æterno. Primum enim non affirmamus, quia ex nullo dicto eius deduci potest,at secundum docemus, quia vt alibi scilicet,in secundo Metaph. ostendimus, ipse cognouit creationem sine nouitate essendi, quam tamen,non creationẽ,sed dependentiam a prima causa appellatur.

Ad primum ergo dicitur, quod probat æternitatem mundi de mente Arist. sed sine nouitate essendi, nam aliud est dicere quod motus,tempus &c.sint æterna apud Aristot. & aliud quod non sint creata. Primum concedimus, & secundũ negamus,& per hoc patet ad alia tria argumenta.

QVAESTIO VII.

Vtrum Deus agat de necessitate naturæ, aut libere.

Videtur quod agat de necessitate naturæ.Primo enim hoc deducitur,vt de

de mente Aristot. multis in locis. Nam in hoc octauo text. 7. & octauo sic argumentatur, Si primum mouens ab æterno non mouebat, ergo ab aliquo retardabatur. Hæc autem consequentia nulla esset dato, quod Deus libere agat, quia poterat responderi, non erat aliquid quod eum retardaret, sed ipse sua voluntate non mouebat. Secundo item tex. 52. ait, mundum esse æternum, quia eius principium est æternum, quod non valeret, si libere ageret. Tertio item tex. 79. dicit virtutem infinitam Dei non posse esse in magnitudine, quia sic moueret in instanti, cum moueat necessario. Quarto item, 1. cœli cap. 10. facit cœlum ingenerabile, & incorruptibile. At si Deus esset causa libera, illud generare posset, & corrumpere. Quinto item 9. Metaph. tex. 17. & 12. text. tertio affirmat cœlum necessario ab intelligentia moueri, & non posse cessare a motu. Sexto item facit Deum immutabilē, & actu semper mouentē 12. Metaph. tex. 30. cum Commen. & tex. 38.

Secundo. Omnia quę Deo ab intrinseco conueniunt, æterna sunt, quia nullam perfectionem ex tempore acquisiuit. At omnia, quæ sunt intrinseca, sunt necessaria. Ergo cum agere sit quid Deo intrinsecum, erit necessarium, & æternum.

Tertio. Intelligentiæ necessario mouent orbes, & hoc non dicit in eis imperfectionem, ergo nec in Deo.

Pro resolutione huius quæstionis. Primo aliqua obseruabo. Secundo loco conclusionem nostram probabo. Tertio satisfaciam argumentis.

Quo ad primum primo notandum venit, quod agere de necessitate naturæ dupliciter sumitur. Primo vt ly de necessitate naturę distinguitur contra agere per intellectum, & voluntatem, prout solemus dicere, quædam agentia agere naturaliter, & quædam a proposito. Secundo vt dicit agere secundum intellectum, & voluntatem, sed determinate, & necessario idest sine aliqua indifferentia, & electione. Primo modo nullus verus Philosophus posuit Deum agere de necessitate naturę, vnde in secundo stat controuersia, scilicet an agat libere, ita vt possit agere, & non agere, seu potius agat determinate, & sine aliqua indifferentia libertatis.

Secundo ergo notandum, quod circa pręsentem difficultatem omnes DD. Catholici in hoc conueniunt, quod Deus non agat de necessitate naturæ, sed libere, adeo vt possit agere, & non, prout ei libet, & placet, dissidium ergo remanet solum quo ad mentem Arist. quid ipse in hac parte senserit. Et quidem Scotus 1. sent. dist. 8. q. 4. Herueus. 2. quod q 4. Iauel. 12. Metaph. q. 10. Soncinas. q. 30. Soto hic q. 1. & Ferret. 2. contra Gen. c. 23. & alij plures, tenent Deum de necessitate naturæ operari, & agere, ita vt non possit non agere. Oppositum docet. S. D. secundo contra gentes cap. 23. & 12. Met. tex. 38. circa finem. Toletus hic quæst. 3. & Magister Hieronymus Soncinas, Magister meus in sua Theologia Aristot. a c. 109. vsque 120. inclusiue, quę opinio mihi etiam magis, quam prima placet.

Tertio ergo notādum venit, quod duo volita a Deo considerare possumus. Primum dicitur primum volitum, & primū obiectum diuinæ voluntatis, & tale est diuina essentia, quæ duo habet in ordine ad diuinam voluntatem, etiam de mente Aristot. Primum est, quod primo diuinæ voluntati obijciatur, nam sic potentię infinitæ volitiuæ, & correspondet obiectum infinitum, scilicet diuina bonitas infinita, vnde Arist. 2. Phys. tex. 29. & 34. & quarto Metaph. tex. 2. dixit, Deum esse vltimum finem, & cōsequenter primum volitum, & ideo voluntas diuina non potest esse mouens motum ab aliquo extra se, sed ipsa diuina essentia est illa, quæ voluntatem diuinam mouet. Secundum est, quod diuina voluntas, & diuina essentia non distinguuntur secundum rem, nam si Deus est actus purissimus per Arist. 12. Metaph. tex. 30. 35. & 39. Ergo in eo non potest dari distinctio realis, & maxime accidentis, (vt est voluntas distincta realiter ab essentia) a substantia. Secundum dicitur secundario volitum, & secundarium obiectum voluntatis diuinæ, & hoc est omne aliud a Deo. Si ergo loquamur de primario obiecto diuinæ voluntatis, idest de diuina essentia, dicimus hoc obiectum necessario, & determinate esse volitum, nam sicut intellectus determinatur necessario a primis principijs notissimis, ita & voluntas ab vltimo fine summo bono, quod non potest non esse

volitum;

volitum; difficultas ergo remanebit de secundario volitis, idest de alijs à Deo.

Ideo, quarto notandum est ex Aristot. 5. Met. tex. 6. 12. Met. tex. 30. & 1. Periherm. quod necessarium duplex est. Primum dicitur absolutum, idest ab intrinseco, quia aliter se habere non potest, in primo, & secundo modo dicendi per se. Secundum dicitur ex suppositione, quod quidem secundum se non est necessariũ, sed facta aliqua suppositione vtique, sicut sortem sedere dũ sedet. Primum necessarium non saluatur in Deo nisi respectu obiecti primarij, vt diximus, & ideo volitio creaturarum non erit necessaria nisi secundo modo, idest ex suppositione, quia scilicet ipse decreto suo immutabili disposuit eas creare, ordinando eas ad se, Deum enim habere voluntatem immutabilem docuit Arist. 12. Met. tex. 36. 37. 38. & 41. quia Deus est mouens omnino immobile. Hinc dicimus Deum vnico actu quantum est ex parte volentis velle se, & alia à se, sed non ex parte volitorũ, quia se vult necessario absolute, & alia à se ex suppositione. Non quod velimus dicere, Deum non habuisse libertatem ad volendum, sed quod noluit suam voluntatem habere voluntatis indifferentiã cum decreuerit creaturas producere, & non aliter, quam ad se ordinatas, & ideo determinabimus Deum necessario agere, sed non ab alio determinatus ad agendum aliquo modo, sed quia ipse sic decreuit necessitate suppositionis, & immutabilitatis agere.

Quo ad secundum conclusio est. Deus non agit de necessitate naturæ, necessitate absolute, nec secundum Arist. nec secundum veritatem. Hæc conclusio habet duas partes. Prima de mente Aristot. Secunda de veritate. Primo ergo probatur Aristot. non tenuisse Deum agere de necessitate naturæ absolute. Primo. Agens intellectuale secundum Arist. 9. Metaph. tex. 10. est agens libere, At Deus est agens intellectuale, per Arist. vbique locorum suæ doctrinæ. Ergo erit agens liberum & non de necessitate naturæ.

Secundo. Finis dicitur necessario volitus, & quæ sunt ad finem libere, per Arist. 5. Ethi. cap. 7. Sed Deus vult se vt finem omnium creaturarum, ex 12. Met. tex. 39. & 52. & alia à se vt ad ipsum ordinata. Ergo sicut vult se necessario, ita creaturas libere.

Tertio. Illud agens est liberum, quod propter seipsum operatur, vt habetur ab Aristot. & explicatur à S. D. 1. Met. Sed Deus maxime propter seipsum operatur, cum sit omnium finis, & 12. Met. text. 52. Ergo.

Quarto. Necessitas primi motoris non est absoluta, sed ex fine per Arist. 12. Met. tex. 38. & ipse est finis à quo sumitur ista necessitas, tex. 52. & 53. Et agit per intellectum, & voluntatem à tex. 36. vsque ad tex. 52. Ergo ea quæ ordinat ad seipsum ordinat libere. Tenet sequela, quia ordinata ad finem subiacent voluntati ordinantis, vt artificiata sunt à voluntate artificis, sic autem res se habent ad Deum, 2. Phys. tex. 86.

Quinto. Habet Aristot. quarto Topicorum, illum non esse furem nec calumniatorem, qui potest furari, & calumniari, sed qui furatur, & calumniatur, quia Deus & homines possunt multa facere, quæ non faciunt. Item 10. Ethic. cap. 8. confitetur Deum curare res humanas, & illos esse Deo clarissimos, qui sunt vere sapientes, & virtuosi, & his beneficia sua conferre. Amare autem, & non amare, beneficia his conferre, & non alijs, liberi agentis opera esse constat. Dicere autem Arist. ibi secundum vulgum loqui, est illum in moribus impium, mendacem & inscium facere.

Sexto. Causa necessario mouet; At Deus mouet libera agentia libere, vt testatur Arist. secundo de generatione tex. 59. & 12. Met. tex. vltimo. Ergo &c.

Septimo. In libro de Mundo ad Alexandrum, postquam dixit omnia esse à Deo, tandem subdit, Deus cum in re immobili collocetur, omnia quæ vult, mouet, arbitratuque suo in diuersis rebus, generibus, & naturis versatur &c. Quare apud Laertium in vita Aristot. in suo vltimo testamento Deum orat, & aliqua fieri iubet religionis gratia, vt ipsius de Deo monumenta, & 8. Ethic. c. 7. 12. & 14. tradit multa de cultu, & honore Deo exibendo, quæ omnia confirmant mentem ipsius fuisse Deum, ad hæc aspicere, & iusta opera nostra nos punire, vel gratijs afficere. Hocque scilicet Aristot. tenuisse Deum non de necessitate naturæ

agere, deducitur ex sententia interpretum eius. Nam secundum Alexandrum, & Theophrastum, Deus est intellectus agens, immitens cogitationes contingentes hominibus. Ergo agit contingenter, quod expressius Alexander affirmauit in libro de fato ad Antonium, & Seuerum Imperatores. Item Simpl. 2. Phys. tex. 77. ait. Deum vt vult vti natura, & cuncta in æquitate dirigere, & 4. Phys. in digressione de loco dicit. Deum in cælo Empireo illustrare mentes hominum, & ostendere illis ea, quæ per se sunt spectabilia, & tenet etiam intelligentias velocius, vel minus velociter pro eorum voluntate posse mouere cælos. Ita si Ammonius Themistius Eustratius, Psellus, Magentinus, ac alij plures ponunt prouidentiam in Deo, oportet vt etiam confiteantur in eo esse libertatem ad diuersimode, diuersis prouidendum.

Secundo loco probatur nostra conclusio secundum veritatem, & ex principijs Aristot. Primo. Si prima causa ageret de necessitate naturæ, homo non esset liber. Hoc est falsum, ergo Deus agit libere. Maior probatur. Primo, quia causa non potest dare, quod non habet in se, saltem virtualiter. Secundo, quia sic causa secunda ad sui beneplacitum haberet primam ad operandum, vnde prima causa efficeretur secunda, & secunda prima. Tertio, quia prima causa modificaretur à secunda ad agendum, prout ei placet, & non prima modificaret secundam. Minor est Arist. 2. Physic. tex. 58. & 59. 2. Ethic. cap. 6. & in tertio, cap. 2.

Secundo. Perfectissimæ causæ non est negandum quicquid perfectionem dicit. Sed esse suarum actionum dominum dicit perfectionem. Ergo Deus erit liber, Maior patet, & est Arist. 1. de Anima tex. 8. & 3. Met. tex. 15. contra Empedoclem. Minor probatur. Primo, quia in hoc dicuntur intellectualia agentia super bruta præstare. Secundo, quia agere nobilius est, quam agi, & ducere quam duci.

Tertio. Si Deus non est liber, multarum rerum non possemus assignare aliquam causam, vt rerum extra ordinarium cursum procedentium, primarum partiũ vniuersi &c. Nam cum causas ordinarias ignoremus, ad diuinam voluntatem recurrimus, ex communi inclinatione hominum. Ergo Deus est liber.

Ad primum, autem argumentum respondendo breuiter dicemus ad singula motiua. Ad primum ergo dicimus, illud argumentum factum esse cõtra antiquos, qui ponebant Deum esse ab æterno cum mobili, & illud non mouere, cum ad mouendum illud secundum illos recte ordinaretur, vnde merito quærit iuxta eorum principia, quod non potuerit illum retardare. Ad secundum dicendum est, Arist. fecisse mundum cum suo principio coæternum, non necessitate absoluta, sed suppositionis, quia voluit enim ab æterno ad se ordinare. Ad tertium multa infra ad hoc propositum erunt dicenda, pro nunc autem dicitur, quod ratio supponit, quod si virtus infinita esset in magnitudine, & vellet mouere secundum totum suum posse, moueret in instanti. Ad quartum dicitur, quod cælum ponitur ingenerabile, & incorruptibile ab intrinseco, non vero ab extrinseco. Ad quintum dicitur, quod Phil. ibi loquitur de necessario non absolute, sed ex suppositione. Nam dato quod intelligentia voluerit mouere cælum inuariabiliter ad generationem, & corruptionem rerum inferiorum, necessarium est quod illud semper moueat. Dictum autem Arist. videtur procedere de intelligentijs inferioribus prima, quæ perfectionem suam essentialem habent in intelligere, & velle, vt actuæ dicuntur, & accidentalem consequuntur perfectionem in semper mouendo, vt deputatæ sunt ad motum, quia sic assimilantur primo motori, qui per motum primi cæli inferiora producit. Ad sextum dicitur, quod omnimoda Dei immutabilitas arguit necessitatem eius suppositionis.

Ad secundnm dicitur, quod potentia actiua est Deo intrinseca, & absolute necessaria, sed agere ab extra conuenit ei ex suo beneplacito, & dicit in Deo respectum rationis. Et ita Deus dicitur causa semper in actu, & nullo modo in potentia, quo ad id quod actio dicit in agente, non vero quo ad id quod infert in passo.

CAPVT

CAPVT III.

LECTIO.

S. D. 5. & 6.

Principium autem considerationis est &c. text. 21.

INuestigans Arist. primi motus sempiternitatem, & primi motoris immobilitatem, duo facit principaliter. Primo enim quibusdam diuisionibus positis, & refutatis, à tex. 21. vsque ad 27. incipit iacere fundamenta æternitatis motus, & immobilitatis primi motoris. Secundo vero à tex. 27. exordium sumit ad agendum de hac re secundum propriam sententiam.

Quo ad primum, primo ergo præmittit quandam diuisionem trimembrem, & ei addit sub diuisionem tertij membri, quod est illud, quod facit ad propositum. Diuisio ergo est. Quæ sunt, aut omnia semper mouentur, aut semper quiescunt, aut quædam quiescunt, & quædam mouentur. Sed primum non potest esse, scilicet quod omnia semper quiescant, (vt Zeno aiebat negando omnino motum.) Nam quod est contra sensum omnem, & omnes artes, & scientias non est affirmandum propter Sophisticas, & imbecillas rationes. At negare motum, est contra omnem sensum, quia patet ad sensũ quædam quiescere, & quædam moueri. Et est contra omnes artes, & scientias, nã scientiæ practicæ vtuntur motu, quasi dirigendo quosdam motus. Naturalis speculando motum, & naturam, quæ est eius principium, Mathematica vtendo motu imaginario, vt quod punctus motus facit lineã. Met. vero dum considerat prima principia, & ex his ad conclusiones procedit. Ergo contra negantes motum non est disputandum, vtpote contra negantem notissimum sensum, & primum principium intellectu. Falsum erit igitur primum membrum (ait Aristot. tex. 22.) scilicet quod omnia quiescant, & nullum ens moueatur, in tex. vero 23. & 24. transit ad probandum esse falsum secundum membrum, scilicet quod omnia moueantur, (vt dixit Heraclitus) putans omnia corpora esse in continuo motu vel veloci, & noto, vel remisso, & occulto, vt patet in motu augmenti, quod semper fit (ait Heraclitus,) & si semper non deprehendatur, sed post aliquod tempus. Arguit hanc opinionem esse falsam in omni specie motus, & primo in motu augmenti, de quo erat instantia Heracliti, ratio ergo sic formetur. Motus augmenti non est continuus. Ergo quæ augetur non sunt in continuo motu. Sequela patet; Antecedens probat. Antequam forma introducatur, materia prius disponitur. Ergo in hoc motu erit dispositio ad formam, & postea motus formæ sub augmento; Antecedens probat exemplo guttæ cadentis, & cauantis lapidem, nam non omnis gutta cauat lapidem, sed quædam disponit cauationem, & alia efficit illam. Secundo idem probat de motu alterationis, quem negat esse continuum, quoniam etsi corpus quod alteratur sit partibile in infinitum, non tamen est necessariũ quod eodem modo alteretur, velox enim esse poterit alteratio, vt patet in congelatione paruæ quantitatis aquæ, & tarda & interrupta transeundo de parte ad partem, vt patet in multa aqua congelata, cuius partes aliquæ non est inconueniens prius congelari, & quasdam per posterius. Ita qui sanatur quandoque ad sanitatem disponitur, & quandoque sanus efficitur, & ita lapis nec durior, nec mollior fit propter temporis longitudinem. Tertio hoc probat in motu locali. Primo, quia notum est sensibus, quod quando lapis proijcitur sursum, mouetur, & quando iacet in terra, quiescit. Secundo, quia corpora mobilia si extra proprium locum mouentur, in proprio loco ea quiescere opus est, in tex. autem 25. & 26. reprobatis iam duobus membris scilicet quod omnia quiescant semper, & omnia mouentur semper, transit ad tertiũ membrum, & ait quod quædam quiescant, & quædam moueantur trifariam intelligi potest. Primo ita vt quædam moueantur semper, & quædam semper quiescant, & nihil sit quod aliquando sit sub motu, & aliquando sub quiete. Secundo ita vt omnia aliquando moueantur, & aliquãdo omnia quiescant. Tertio ita vt aliqua moueantur semper, & alia numquam, aut tandem alia aliquando moueantur, & aliquando quie-

 scant.

ficant. His modis stantibus. Primum dicit esse falsum, quia sensu, & experientia cōpertum est, lapidem extra suum locum existentem, proiectum, vel per violentiam detentum, remoto impedimento, vel cessante impetu redire ad proprium locum, & in eo quiescere. Ergo falsum est, quod quædam semper moueantur, & quædam semper quiescant. Secundo addit, falsum quoque esse secundum membrum, scilicet quædam semper moueri, & quædam semper quiescere, vt dicebat Empedocles per litem moueri, & per amicitiam quiescere. Hac sic primo tolleretur motus augmenti, qui est ad determinatam quantitatem, & non in infinitum. Secundo tollitur motus violentus, qui est à quiete mobilis, ad motum violentum. Tertio tollitur generatio, & corruptio, nam generatio dicit ens prius sub quiete (large loquendo de quiete) fuisse, & per generationem moueri, & econtra de corruptione. Quarto tollit omnem motum, siue communiter sumatur, siue proprie, iuxta ea quæ dicta sunt de motu in quinto lib. huius scientiæ. Ergo falsum est quædam ita sub quiete esse, vt nunquam possint moueri, & econuerso. His duobus membris impugnatis tertiū membrum amplexandum esse affirmat scilicet quod quædam moueantur semper, vt corpora cælestia, & quædam nunquam, vt primus motor, qui est omnino immobilis, & quædam aliquando moueri, & aliquando quiescere, vt corpora sublunaria, & ex his concludit dari vnum primum mouens immobile, & vnum primū mobile, semper sub motu, quod infra probabit magis.

Circa supradicta autem primo venit notandum circa tex. 21. quod Arist. non est sibi contrarius, dum in 2. Phys. tex. 71. dixit tria esse negotia Physica, idest (vt aliqui interpretantur) tres sunt scientiæ. Prima, quæ considerat immobilia. Secunda, quæ speculatur semper mota, & tertia quæ intuetur, quæ mouentur, & quiescūt, & in hoc tex. dicit hæc tria ad hanc scientiam pertinere, nam si ista seorsum, & secundum sua propria considerentur, ad tres scientias attinent. At si in ordine ad motum æternum intueantur tantum, ad hunc librum pertinere dicuntur.

Secundo notandum venit circa tex. 22. quod in eo quadrupliciter reprehenditur opinio Zenonis, tollentis motum. Primo, quod locutus sit contra sensum, deprehendentem motum. Secundo quia negat omnes res naturales, quæ in se habent principium motus, & quietis, immo tollit omnes scientias, & opiniones, quæ vel supponunt motum, vt Metaphys. & Mathem. prima vt effectum, per quem deuenit in cognitionem primi motoris, & secunda vt id à quo abstrahit secundum rationem, vel cōsiderat motū, vt scientiæ naturales, vel eo vtuntur, vt Rhectorica, & Dialectica, quæ dirigunt motum corporis in persuadendo, & disputando, & mentis in intelligendo, (nā de motu hic communiter agitur) Tertio, quia euertit totam scientiam naturalem, cum motum esse sit eius principium, sublatis autem principijs tollitur scientia. Et tunc quarto sequitur, quod disputare contra eum est munus vniuersalissimi artificis, scilicet Metaph. quia contra negantes principia Physica, vel Mathematica non est disputandum, nisi ab vniuersalissimo artifice, probante principia omnium scientiarum, scilicet à Metaphysico.

Tertio notandum circa eundem textū, quod hæc opinio negans motū ab his quæ sunt, potest esse vera, & falsa. Vera enim erit primo in Deo, qui est, quod vere est, & est immobilis. Secundo in materia prima, quæ terminatiue est immobilis, idest ingenerabilis. Tertio in abstractis à motu, & materia, vt abstracta sunt, vel secundum rationem, vt Mathematica, vel secundum esse, & rationem, vt Metaphysica, qua consideratione, & locutione vtitur Plato in Parmenide. Quarto in toto vniuerso, secundum totum considerato, quod sic est immobile, nam Arist. infra tex. 52. ait. Manente principio (nimirum Deo) necesse est manere vniuersū, quod pendet ex eo. Falsa vero est primo loquendo de motu in communi, vt supra, & secundo loquendo proprie in naturalibus, vnde legimus quod dum Zeno Eleates negabat motū, Diogenes surgebat, & ambulabat, sic irridendo Zenonem.

Quarto considero circa eundem tex. Arist. non esse sibi contrarium, in eo, dū dicit contra negantes motum non esse disputandum, & tamen hic disputat contra Zenonem negantem motum. Nam verum est, quod contra talē non est disputandum serio, per rationes a priori, & Physicas, at bene ostendendum est ex incidenti, quod hæc opinio est stulta, &

contradicit omnibus scientijs, & sensui. Etenim & si sensus possint quandoque decipi, (contra Empedoclem, Epicurum, & Lucretium tenentes sensus non posse decipi. Est contra Academicos dicentes eos non aliquando, sed semper decipi) tamen manifestum est sensum circa proprium obiectum, vel commune (vt est motus) debite approximatum, & circunstationatum non posse decipi, vt experientia testatur, & nos ostendimus in secundo de Anima.

Quinto notandum venit circa 23. in quo Arist. inuehit contra Heraclitum, ponentem omnia moueri, quod tria de hac opinione enunciat Arist. Primum, quod est similis priori opinioni, quia sicut illa negabat motum ita hæc negat quietem. Natura autem ponitur principium vtriusque. Secundum, quod non loquitur Physice cum tollat vnum de principijs Physicis, scilicet quędam quiescere. Tertium, quod non tamen contradicit Physice tantum, quantum prima, quia motus magis facit ad res naturales, quam quies, quæ est priuatio motus.

Sexto notandum est, quod D. D. varie interpretantur dictum Phil. scilicet quod motus augmenti, & decrementi non sit continuus. Nam Themistius, Simplicius, & Psellus collectiue sumunt motum augmenti, & decrementi, & dicunt hunc motũ non esse continuum, quia & si quod augetur, continue moueatur, dum augetur, tamen dum decrescit, discontinuo motu mouetur, quia non amplius augmento, sed decremento mouetur. Sed hæc expositio non quadrat litteræ, in qua dicitur, quod si hoc verum est, sequeretur, quod si id quod augetur per decem annos, augetur per decem cubitos, quod per quinque augeretur per quinque, & per vnum annum, per vnum cubitum, quia sicut se habet totum ad totum, ita pars ad partem, Hoc autem procedit de toto argumento, & parte argumenti, & non de augumento, & decremento. Secunda expositio est Toleti, & ei non contradicit Simplicius scilicet quod accipiendo totum tempus augmenti quamuis auctum aliquo toto tempore continue augeatur, non tamen semper, quia si homo per 25. annos augetur, esse poterit, quod per annũ continuo augeatur, & deinde per diẽ, vel horã non augeatur, & deinde augeatur. Sed nec hæc expositio cõsonat litteræ. Primo, quia dicit littera, quod sicut si decem homines trahant nauem per decem stadios, non est dicendum quod quinque illorum hominum eam trahant per quinque stadios, ita si mille guttæ aquæ effodiant lapidem perforatum, non est affirmandum, quod quingentæ, afferent illum per medium digitum, quia primæ disponunt ad effusionem, & vltimæ effodiunt, ita dicendum venit, quod illud, quod augetur, non semper augeatur, sed prius disponatur ad augmentum, & deinde augeatur. Secundo, quia sic est considerare motum, & non motum augmenti. Ideo tertia expositio quæ est S.D. stat, scilicet, quod motus augmenti, ita & alterationis non dicitur continuus, quia alimentum prius disponitur ad hoc vt augeat, & post augeat, & ita alterabile prius disponitur ad alterationem, & postea alteratur, & sic procedendo de parte ad partem, quia alteratio simul fieri potest, vt in congelatione paruæ aquæ patet, & quãdoque per partes, vt comperimus in magna aqua congelanda.

Septimo notandum circa illam propositionem proportionalem. Sicut se habet totum ad totum, ita pars, ad partẽ, quod est vera his seruatis. Primum, quod seruetur proportio, & non requiratur æqualitas. Secundo, quod non varietur proportio, vnde non valet decẽ homines per vnum miliare in vna hora ducũt nauem, ergo quinque per mediam horam eam ducunt per medium miliare. Nam nauis decem hominibus comparatur vt totũ toti, & non vt totũ parti, & parti. Tertio, quod inspiciatur semper opus, & non operantes, vnde bene dicimus 500. guttas aquæ perficere medietatẽ fossionis lapidis, per digitum, dato etiam quod istæ disponant, & aliæ 500. efficiant, quia opus fossionis inspicimus, & nõ modum, & totum opus consideramus, vnde non sunt guttæ seorsum sumendæ, sed coniunctim, quia quod vna non efficit, omnes simul, vel aliquæ earum efficere valent.

Octauo notandum circa eundem text. quod opinio ponens omnia in continuo motu, potest esse vera, & falsa. Nam non est omnino despicienda, quia non solum fuit opinio Heracliti, sed eam receperũt noui Academici. Pirronij Dialectici, Megaritij, Eritrici, Sceptici. Fuit sentẽt. Homeri,

meri, Orphei poetæ. Hesiodi, Cratili, & Plotini, Ennead.6. lib.3. cap. 27. immo Arist. eam videtur tenere, cum lib. de longitudine, & breuitate vitæ dicat. Cuncta semper esse in motu, fiunt, & intereunt, vera igitur erit in ordine ad periodum durationis rei, quia dato quod aliqua res corruptibilis vno motu quiescat, tamen si habet determinatum numerum annorum suæ durationis, dum crescit in annis, ad hunc finem properat, iuxta illud adagiũ. Nascentes morimur. Secundo est vera quo ad aliqua accidentia, præcipue in animatis, quoniam ijs continuo subijcimur, vel ab extrinseco, vel in intrinseco iuxta illud 4. Met. Res mutantur secundũ quantum, idest secundum accidentia, seruantur secundum quale, idest secundum essentiam, quæ est inuariabilis, & ideo de rebus corruptibilibus, & variabilibus secundum accidentia datur scientia, quia earum essentia manet inuariabilis. Tertio erit vera in corporibus cælestibus, quæ semper mouentur. Est vero falsa. Primo absolute, quia datur quies in rerum natura. Secundo in terra secundum totum, dato quod possit semper moueri aliquo motu, secundum partes. Tertio quo ad essentias rerum, vt supra, & quarto sumendo hunc motum in particulari, quia ab vno motu potest cessare præcipue locali, & augumenti.

Nono notandum venit circa text. 24. quod Arist. in eo vocat motum omnem aliquo modo ortum, & interitum, quia (ait) per motum fit aliquid, scilicet hoc vel in hoc, hoc autem intelligendum venit de ortu, & interitu late, prout deperditio vniuscuiuscunque dicitur interitus, & acquisitio ortus, quem etiã deprehendi possunt in motu cæli, prout secundum rationem, & partes vnum vbi acquirit, & aliud deperdit.

Decimo notandum venit circa tex. 26. vbi facit hanc consequentiam. Datur opinio falsa, ergo datur motus, quod ideo valet, quia antiqui contra quos disputabat negabant non solum motum propriũ, quod est corporum, sed omnem motum secundum sensum, etiam, & rationem, qua e arguit, quod si datur imaginatio, quæ est motus, & opinio falsa, quæ est transitus de veritate ad falsitatem, qui motus sunt interni, multo magis motus externi corporum dari poterunt.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum motus augmenti sit continuus?

Videtur quod sic, vt arguit Marsilius. 1. de gener. quæst. 14. Primo. Nam causa sufficiens posita in actu, suum producit effectum; Sed potest esse quod animal, per mensem sanum existat, calorem naturalem vigentem, & cibum digerentem eodem modo habeat; Ergo si in aliqua parte mensis augetur animal, in toto continue augmenti poterit.

Secundo arguit Iandunus hic quæst. 7. Motus proprie sumptus distinguitur à motu communiter sumpto, scilicet ab instantanea mutatione, quia motus proprius est continuus, & mutatio instantanea. Sed augumentum connumeratur à Phil. 5. Phys. inter species motus proprie sumpti, distincti contra mutationem. Ergo erit continuus.

Tertio. Idem est dicere motus, & vnus motus, sicut idem est dicere homo, & vnus homo, vt dicitur primo Elencorum. Sed augmentum est motus, ex 5. Phys. tex. 8. Ergo est vnus motus. Idem autẽ est dicere vnus motus, & continuus.

Quarto. Continuum continue acquiritur. Sed augumentum acquiritur continue, vt patet in iuuene crescente vsque ad determinatum quendam numerum annorum. Ergo erit motus continuus.

Quinto. Phil. 6. Physic. tex. 6. ostendit in motu augumenti, & locali non dari primam partem, quod etiam est de mente S. D. ibidem. At hæc est conditio motus continui. Ergo augumentum erit motus continuus.

Pro resolutione huius quæstionis. Primo erunt aliqua adnotanda. Secundo loco conclusio nostra erit probanda. Tertio erunt diluenda argumenta.

Primo ergo explicandi veniunt termini positi in quæstione, qui sunt tres. Primus est motus. Secundus augumenti, & tertius continuus. Motus ergo augumenti in proposito dupliciter sumi potest. Primo vt dicit simplex augumentum, vt fit etiam quando lapis addiditur lapidi, & fit magnus aceruus lapidum, vel linea additur lineæ & fit longior. Secundo vt dicit augumentum rei viuentis, factum per

motum

motum nutritiouis ab intrinseco, & hoc secundo modo sumitur hic. Quo ad secundum terminum, scilicet augmentum, dicimus, bifariã sumi posse. Primo communiter, secundo proprie. Communiter capitur pro omni concurrente ad extensionem maioris quantitatis viuentis, vt sunt motus localis, cibi ad loca digestionis, alteratio eiusdem cibi, corruptio cibi, per quam propriam formam amittit, & formam nutriti acquirit, & pro reparatione deperditi. Secundo vero modo sumitur pro maiori extensione quantitatis, orta ex alimento conuerso in substantiam aliti, & sic capitur hic. Primo enim modo est aggregatio multorum motuũ. Quo ad tertium terminum, scilicet sit continuus sciendum est, quod continuum dicitur duobus modis. Primo simpliciter, & hoc requirit vnitatem temporis, spacij, formæ, & mobilis. Secundo secundum quid, & tale continuum dicetur, quando vnam continuitatem habebit, scilicet vel mobilis, vel temporis, vel formæ, vel spacij, & termini. De continuo non loquitur hoc secundo modo, sed primo, quod proprie dicitur continuum.

Secundo notandum venit, quod de cõtinuitate motus viuentis trifariam loqui possumus. Primo vt continuum idem sonat quod perpetuum, & numquam deficiens, & sic patet motum augmenti non esse perpetuum sed solum circularem, per Arist. infra tex. 54. Secundo vt idem dicit quod non interruptus, per mediam quietem, à primo instanti quo viuens, verbi gratia. Sortes incipit augeri, vsque ad vltimum sui augmenti, vel accipiendo tempus determinatum anni, mensis, diei, vel horæ, quod illo tempore semper creuerit, & nunquam fuerit sub quiete augmenti, & in hoc secundo modo stat intentio nostra. Et hoc quidem per se, nam ratione motus localis, qui est continuus potest auctum continue moueri, vt testatur Arist. 1. de generatione tex. 25. hoc enim conuenit augmento non per se, sed per concomitantiam motus localis.

Tertio ergo videndum est, quam continuitatem possit habere motus augmenti, & quam non. Diximus ergo ad continuitatem simpliciter esse necessariũ, vnitatem mobilis, temporis, & formæ, & termini. Loquendo ergo de continuitate mobilis in augmento, eam nõ negamus, quia id quod augetur secundum substantiam idem semper manet, verbi gratia, Sortes puer, & vir factus. At loquendo de continuitate temporis, siue sumatur totum tempus augmenti, siue secundum aliquam determinatam partem, dicimus hunc motum non esse continuum, quia in toto tempore augmenti, non semper viuens augetur, nec secundum aliquod determinatum tempus, quia mediat quies, ita vt illud tempus non possit correspondere partibus temporis, vt dicit Philos. in tex. Continuitatem autem formæ non retinere augmentum dicimus, quoniam qualibet eius pars instanti mensuretur, & ideo nõ possumus absolute dicere motum augmenti esse continuum, quod & dicimus de motu decrementi.

Quarto tamen notandum, quod cum motus ad quantitatem, qui est motus augmenti, & decrementi sæpe continuus dicatur, ideo dicito hunc motum his modis posse dici continuum. Primo non repugnanter, quia scilicet vt motus est, potest esse continuus, & si non vt talis motus. Secundo ratione mobilis, secundum substantiam considerati, quia semper remanet idem substantialiter. Tertio vt continuum distinguitur contra indiuisibile secundum totum, non vero vt distinguitur contra indiuisibile secundum partem. Nã hæc est differentia inter generationem, & corruptionem, & motum augmenti, quod generatio terminatur ad esse indiuisibile substantialiter, ita vt habeat duplicem simultatem, quia scilicet fit in instanti, vt actio est, & habet terminum indiuisibilem, scilicet formam substantialẽ, & esse substantiale. At motus augmenti dato quod fiat in instanti per additionem vnius partis ad aliam, tamen habet terminum diuisibilem, & fere diuisibiliter acquisitum, quia non est acquisitus totus simul, scilicet quantitas aucta, & extensa, & ideo dicitur motus continuus, non sic generatio, & corruptio. Ideo motus augmenti calescit ex pluribus instantaneis mutationibus quarum vna ordinatur ad alteram, non sic generatio. Hinc quarto modo possumus dicere motum augmenti esse continuum virtualiter, & si non formaliter. Nam in augmento hoc reperimus, quod cum dicat extẽsionem in tempore

pore acquisibilem, quamuis per diuersa eius instantia, habet quod vna pars augmenti ordinetur ad aliam, & sit dispositio sequentis, quia si augmentabile debeat augeri per digitum, dum augetur per quartam partem digiti, hæc quarta pars non dicit vltimũ terminum, vt dicit forma substantialis in generatione, sed dicit ordinem ad secundam partem digitalem, vnde se habet vt eius dispositio, & ita virtualiter retinet naturam, & conditionem continuitatis.

Quo ad secundum ergo ponitur hæc conclusio, motus augmenti non est simpliciter continuus, contra Marsiliũ, Iandunum, ac alios plures modernos. Probatur primo expresso testimonio Arist. hic dicentis, & probantis motum augmenti non esse continuum. Respondent aduersarij, Arist. negare motum esse continuũ, prout affirmabat Heraclitus, scilicet quod omnia semper erant in motu, non vero negat, quod aliquis motus partialis possit esse continuus. Sed contra hanc responsionem aperte stant rationes Arist. prima de guttis lapidem cauantibus, quæ seorsum non dicuntur cauare lapidẽ, sed omnes simul, hoc tamen modo, quod excauatio tota non correspondet huic, vel illi guttæ, sed omnibus, & medietas excauationis, medietati guttarum, patet autem quod medietas dicit aliquam continuatio nem guttarum. Ad hoc idem facit exemplum de arbore erumpente ex lapide, & de trahentibus nauem, prout notauimus in expositione textus.

Secundo. In nullo motu continuo datur prima pars motus. Sed in augmentatione datur prima pars augmenti. Ergo. Maior est Arist. 6. Phys. tex. 49. Minor est Comm. 6. huius comm. 23. & S. D. hic, & clara est, quia prima pars quantitatis acquisita per augmentum, acquiritur in instanti. Nec valet dicere, quod & si in augmento detur prima pars vt dicit formam fluentem, idest quantitatem acquisitam, non tamen in eo datur, vt dicit fluxum. Nam primo fluxus cum sit fluxus formæ fluentis ei correspondet. Secundo, quia cum quantitas acquisita sit permanens, habet primum esse per motum, idest fluxum, vt dicit Phil. infra.

Tertio. Quod non habet conditiones continuitatis motus simpliciter, non potest dici motus continuus simpliciter: Talis est motus augmenti, vt supra ostensum est ergo non erit motus continuus.

Ad primum dicimus ad maiorem, quod est vera eo modo quo effectus est producibilis, modo quantitas non est producibilis continue, & ideo causæ vltra suam conditionem non agunt.

Ad secundum dictum est in quarto notabili. Tertium concludit, quod motus augmenti est vnus, & cõtinuus, non simpliciter, sed secundum quid. Quartum concludit quod motus augmenti duret in tanto tempore, non vero quod continue.

Ad quintum dicitur, quod ibi Philos. loquebatur de motu augmenti, vt tantum dicit motum, non vt dicit talem motum.

QVÆSTIO IX.

Vtrum alteratio sit motus continuus?

Videtur quod sic. Primo. Nam quod distinguitur ab instantanea mutatione, quia instantanee non fit, successiue fieri dicendum est. Sed alteratio distinguitur ab instantanea mutatione, quia nõ fit in instanti. Ergo successiue. Maior est nota. Minor est Philos. 5. Phys. tex. 6.

Secundo. Quod partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem successiue mouetur. Nam si in aliquo instanti quiesceret, non esset partim in termino à quo, & partim in termino ad quem sed esset in termino ad quem. Sed quod alteratur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem, vt exemplificat Philos. 6. Phys. tex. 32. in albo, & fusco. Ergo erit &c.

Tertio. Arguitur ratione Gregorij Ariminensis. 1. sent. dist. 9. quæst. 1. Sit medium in summo dispositum ad suscipiendum lumen, accedat successiue, & ei magis appropinquet lumen, tunc videmus quod successiue fit lucidus, plusquam antea fuerit. At hic motus est alterationis. Ergo talis motus erit continuus.

Quarto. Demus calefactiuum debite approximatum calefactibili, bene disposito ad recipiendã calefactionem in summo, vel vsque ad decem gradus, non videtur maior ratio, quod in primo instanti approximationis in eo producat primum

gradum

gradum caloris, & in secundo non, & sic successiue cũ ponatur calefactibile ad hos gradus dispositum.

Quinto. Alia est ratio formæ intensibilis secundum essentiam suam considerata, & alia secundum quod recipitur in subiecto, quia secundum se dicitur indiuisibilis, sed in subiecto diuisibiliter recepta. Sed quod diuisibiliter recipitur, continue recipitur, vt patet. Ergo.

Sexto. Quando multa ita se habent, quod primum, est immediata dispositio secundi, & secundum tertij, & sic successiue, tunc motus qui est de primo ad secundum, & de secundo ad tertium, necesse est quod sit successiuus. Sed sic se habẽt diuersi gradus formæ intensibilis, inquãtum immediatus & instantaneus est transitus de vno ad aliũ. Ergo hic motus erit successiuus. Minor clara est, & maior etiam patet, quia tunc ibi nulla cadit media quies, cum subiectum in vltima dispositione existens, eam suscipiat in instanti.

Septimo. Sic nullus esset motus continuus nisi localis, quod est contra Aristot. 5. Physic. ponentem tres species motus continui, inter quas est alteratio.

Octauo. Arguitur auctoritatibus S.D. primo. Quia S.D. 6. Phys. tex. 49. habet, quod subiectum potest infinitis modis variari secundum magis album, & minus album, quod est facere motum alterationis continuum. Item secũdo in quinto Phys. lect. 3. dicit, motum alterationis esse continuum, quia distinguitur à mutatione substantiali, quæ est in instanti.

Nono. Alteratio prius est motus, antequam sit talis motus. At vt motus est continua, ergo & vt talis.

Pro resolutione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod alteratio bifariam considerari potest. Primo ratione formæ, ex alteratione acquisitæ, verbi gratia ex motu caliditatis, caliditas ipsa. Secundo ratione subiecti eam suscipientis, secundum esse magis perfectum, & minus perfectum. Primo modo eam hic non consideramus, quia quælibet essentia, secundum se considerata stat in indiuisibili. Secundo ergo modo quæritur, scilicet an suscipiatur à subiecto successiue.

Secundo. Notandum, quod sic dicatur continua stat tripliciter. Primo ad sensum Heracliti, vt dicatur continua, idest perpetua. Secundo ex parte subiecti sic, quod nulla pars eius in instanti alteretur, sed successiue per alteratioẽ partis post partem, & forma partis partis, antequam tota pars alterata reperiatur. Tertio ex parte formæ, taliter quod non sit assignabile tempus in quo alterabile, verbi gratia calefactibile eodem modo se habeat respectu spacij successiue semper, & sine aliqua quiete acquisiti, ita & alterabile semper sit in diuersa alteratione secundum magis, & minus, & in his duobus sensibus posterioribus, iurgium est inter Thomistas, & quosdam alios, dum Thomistæ cum Arist. Comment. & S. D. hic, & 1. sentent. dist. 8. quæst. 3. art. 3. ad tertium, & secundo contra gentes capit. 89. affirmant, alterationem esse motum continuum, alij vero oppositum tenent.

Tertio igitur ad memoriam reuocandum est, id quod etiam notatum fuit in 1. Physic. scilicet, quod in qualitatibus, ac alterationibus datur maximum, & minimum, idest ita minima alteratio, vt ea minorem non possit sustinere subiectum, nisi transeat ad qualitatem contrariã, verbi gratia ita subiectum fiet remisse calidum, quod post illum gradũ caloris remissum, necesse est quod fiat frigidum, & ita dico de magna, quod maior esse non valeat cũ integritate subiecti. Non enim forma intensibilis est infinita, & ideo nec habet partes, nec gradus infinitos, sed determinatos, & inter hos qui sunt maximus, & minimus gradus intensionis formæ reperiuntur plures gradus vnius formæ, & vnius esse numero, sed diuersimode participatæ, & participati. Hi autem gradus medij quandoque dicuntur infiniti in pótentia, & Mathematice, nõ vero Physice.

Quarto igitur notandum, quod vt diximus supra de augumento, ita modo dicimus de alteratione, scilicet quod simpliciter non potest dici motus continuus, quia non habet omnes conditiones continuitatis, secundum quod tamen vocari potest motus continuus. Primo in quantum alterabile sine quiete est sub alteratione, quamuis quandoque sub dispositione ad vlteriorẽ gradum, necesse est enim quod debitis causis datis, sufficientibus, & applicatis fiat continuo alteratio hoc modo, quod dum forma vnum gradum in-

tensionis formæ acquirit, quamuis possit esse sub quiete vlterioris gradus quo ad formam, non vero quo ad dispositionem, quæ censetur eiusdem naturæ cum gradu formæ introducto, & ideo virtualiter etiam alteratio potest sic dici motus continuus, sed & applica alia superius adducta ad argumenta.

Secundo loco principali ponitur hæc conclusio; Alteratio non est motus continuus simpliciter. Probatur primo expressa auctoritate Philos. hic. Nec valet dicere quod loquebatur contra Heraclitum ponentem omnia semper moueri, idest perpetuo, Quoniam & si contra Heraclitum disputet, tamen impugnationes eius contra eum hoc suadent, & deducunt, quod alteratio nō est motus continuus, nec perpetuus, quia congelatio potest fieri in instanti, & etiam per partes.

Secundo. Intensio causata ab alteratione est per additionem gradus ad gradum, sic, quod quilibet gradus in instāti acquiritur. At instans non potest esse immediatum instanti, sed inter duo instantia mediant tempus, & quies. Ergo alteratio quę est intensio formæ per additionem gradus ad gradum non erit motus continuus.

Tertio. Mutatio quæ fit in subiecto iam vltima dispositione existente, fit in instanti, vt patet ex his quæ dicta sunt in septimo. Sed transitus formę de gradu ad gradum per alterationem est de vltima dispositione dispositio, quia secundus gradus est immediata dispositio tertij. Ergo talis motus non erit continuus.

Ad primum dicimus, quod duplex est instantanea mutatio. Prima dicitur tota simul, quia tota forma & totum eius esse vno instanti acquiritur. Secunda dicitur non tota simul, sed partis totius, idest alicuius gradus totius. Prima est mutatio substantialis. Secunda est accidentalis alterationis, & vtraque non est successiua.

Ad secundum notandum, quod esse in termino à quo, & ad quem partim stat dupliciter. Primo in ordine ad totam intensionem, verbi gratia decem graduum, & sic verum est quod alterabile transit de termino à quo, verbi gratia à secundo gradu ad decimum gradū successiue. Secundo in ordine ad singulos gradus in particulari, & sic alterabile in singulis gradibus dicitur esse in termino ad quem tantum, & sic dicitur motus in instanti. Secundo dicitur, quod aliud est dicere aliquam alterationem esse continuam in ordine ad suum contrarium, & aliud in ordine ad seipsam. Primum enim dicit tantum subiectum transire ad intensiorem alterationem, verbi gratia ad caliditatē, sine regressu ad frigiditatem. Secundum vero dicit alterationem non admittere diuersa instantia secundum diuersos suos gradus, vnde primo modo alteratio sine regressu potest dici continua, non autem secundo modo, vt loquimur.

Ad tertium dicitur, quod in illa approximatione intelligitur præcedere dispositio ad illuminationem, & postea lumen, quia nulla forma introducitur in materia, nisi prius sit disposita.

Ad quartum, dicimus, nos concedere actionem continuam agentis sufficientis &c. sed negamus quod agendo continuo traducat formam cum successione, & non per instantia, ad vlteriores gradus.

Ad quintum dicimus, quod forma dicitur diuisibiliter recepta, quia non tota simul recipitur, non vero quod successiue, & non per instantia introducatur, modo explicato.

Ad sextum dicimus, quod est successiuus, vt successiuum apponitur regressui, non vt dicit continuationem proprie.

Ad septimum dicimus, quod solus motus localis simpliciter dicitur continuus, alij vero secundum quid, vt supra, & per hoc ad octauum patet, loquutus est enim S. D. de continuo motu secundum quid.

Ad nonum dicimus, quod species retinet naturam generis, prout tamen ei conuenit, sicut rationale continet animal, prout ei congruit, & ita de ratione motus alterationis, est aliquo modo dicere continuationem, non vero simpliciter. Vel secundo dicitur, quod de ratione motus est dicere continuitatem, vt continuum distinguitur contra id quod dicit totum esse simul, non vero vt dicit alterationem diuisam in dispositionem, & terminum.

CAPVT

CAPVT IV.

LECTIO S. D. 7. & 8.

Mouentium igitur & contra qua mouentur tex. 27.

QVoniam intentio Philos. in hoc 8. principalis est probare, quod detur vnum primum mouens immobile, & vnum primum mobile, ideo propinquius accedendo ad hoc probandum in hoc capitulo tres diuisiones ponit, & vnam propositionem generalem, quam probat in omni motu. Prima ergo diuisio est. Mouentium, & mobilium quædam per se mouent, aut mouentur, & quædam per accidens, idest quia coniunguntur alicui, verbi gratia album coniungitur infirmo, nam infirmus vt infirmus per se sanatur, quod vero sanetur vt albus, per accidens est. Per accidens autem stat dupliciter. Primo vt significat motum per partes, vt Plato dicitur sanari, quia in oculo infirmo sanatur. Secundo vt annuit aliquid alteri coniunctum, vt diximus de albo sano. Secunda diuisio est, quæ per se mouentur, quædam à seipsis mouentur, idest à principio intrinseco, vt animal ab anima, & quædam mouentur ab extrinseco, vt inanimata. Tertia diuisio est, eorum quæ per se mouentur tam à se, quam ab alio, quædam mouentur secundum naturam, idest prout habent in se principium motus, & quædam per violentiam, idest contra eorum naturalem inclinationem. At quod mouetur secundum naturam bifariam considerari potest. Primo secundum totum, verbi gratia animal secundũ totum, & sic semper dicitur moueri secundum naturam, quia habet in se sui motus principium. Secundo secundum partem, & modos motus, & ita motus corporis contra naturam prædominantis erit violentus, vt corpori graui moueri sursum, & secundum naturam prædominantis erit naturalis, vt graui moueri deorsum, & ita omnia quæ mouentur contra inclinationem propriã violenter mouentur, & secũ dum suam inclinationem, & propensionem naturaliter, & hæc omnia explicat in tex. 27.

In tex. vero 28. dicit, non esse difficultatem quod omne quod mouetur ab alio moueatur, in his quæ ab extrinseco, & per violentiam mouentur, sed difficultas est de his quæ per se mouentur, data diuisione in toto moto in duas partes, & ratione vnius dicatur mouere, & ratione alterius moueri, vt patet in naturis, quæ mouentur, & habent in se principiũ mouens, & ita in animali dicendum venit, difficultas ergo est in grauibus, & leuibus.

In tex. ergo 29. & 30. quattuor rationibus ostendit grauia, & leuia ab alio moueri. Prima est. Quæ se mouent, habent in se principium vitæ, scilicet animam. Sed grauia, & leuia vt ignis, & terra non habent in se animam, cum sint inanimata. Ergo non se mouent. Secunda. Quæ se mouent, possunt quiescere ex se, vt patet in animali, quod habet potestatem ambulandi, & quiescendi. Sed grauia, & leuia non habent potestatem dum sunt in motu ex se quiescendi, nam si per impedimentum detinerentur à motu, eo remoto, subito mouerentur. Tertia. Irrationabile est ab animalibus negare diuersos motus, quia habent in se principium motus. Ergo quæ habent in se principium motus diuersis motibus moueri possunt. Sed grauia, & leuia non possunt moueri diuersis motibus, nam ignis tendit tantũ sursum, & non descendit naturaliter deorsum. Ergo non mouentur ex se. Quarta. Nullum continuum potest se mouere. At grauia & leuia sunt continua. Ergo nõ possunt se mouere. Maior ostẽditur, quia actio, & passio est inter ea, quæ se tangũt. Hæc autem discontinua sunt. Minor est nota, & sensu apparet.

In tex. 31. ostendit quod si inanimata à se non mouentur, ab extrinseco ergo mouentur. Vt igitur hoc explicet, prius distinguit principia, & causas, dicit ergo duplex esse mouens, & duplex esse mobile, idest secundum naturam, & præter naturam. Mouens secundum naturam est quod mouet ab intrinseco per principium in se actiuum. Præter naturã quod in se non habet hoc principium actiuum intrinsecum, vt patet in vectis, & proiectis contra eorum naturalem inclinationem sursum. Ita mobile secundum naturam est, quod habet in se principium passiuum, vt possit moueri, vt materia ad for-

Tertio. S. D. & Comm. hic dicunt animam esse principium mouens in animalibus, vt vidimus. Ergo non compositum.

Quarto. Si dicatur quod mouens quod in animatis est generans extrinsecum, & vt quo, sit anima principium intrinsecũ. Obstabit, primo quod animata distinguũtur ab inanimatis leuibus, & grauibus, quod grauia, & leuia mouentur à principio extrinseco, scilicet à generante vt quod, & à propria forma intrinseca vt quo, animata vero ab intrinseco omnino mouentur. Ergo in eis non est petendum aliud principium, quam anima.

Quinto. Secundum doctrinam S. D. vna tantum est anima in composito, quæ est principium motus, mouens, & non mota. Ergo principium mouens in animali non erit nisi anima, & sic non compositum ex anima, & materia. Probatur, quia sic esset & ipsa mota.

Sexto. Neque verũ videtur esse, quod affirmat. S.D. 3. de anima quod in motu progressiuo animalis pars mouens non est anima solum, sed illa pars animati corporis in qua est virtus sensitiua apprehensiua, puta cerebrum. Nam motor debet esse realiter distinctus à moto. Sed ista pars virtus sensitiua apprehensiua nõ est realiter distincta à toto animali, cum in eo claudatur. Ergo falsum est assumptum.

Pro intelligentia huius quæstionis primo notandum venit, quod circa præsentẽ difficultatem sunt duæ opiniones. Prima attribuitur. Auerroi hic, comment. 27. & 2. de Anima, comment. 37. Item Themistio, Simplicio, & Alexãdro, scilicet quod id quod mouet in animali est anima, & id quod mouetur est corpus, animal autem dicitur compositum ex anima, & corpore. Secunda sententia est S.D. tertio de Anima lect. 5. Ferr. hic quæst. 10. Iauelli quæst. 8. Toleti quęst. 4. & aliorum pluriũ, scilicet quod motor animalis est aliquid compositum ex materia, & forma.

Secundo ergo notandum venit, quod vna tantum forma datur in composito, quæ dicitur vna secundum essentiam, sed multiplex secundum virtutem, ac causalitatem, quia ex continentia virtuali inferiorum formarum agit, ac si esset adæquate, & præcise vnaqueque illarum formarum, vnde in animato anima vegetatiua, anima ipsa vegetatiua est quæ dat, nutrire, augeri, & generare. Et ita anima sensitiua dat omnes actiones animæ vegetatiuæ, & vlterius proprias, quæ sunt propriæ animæ sensitiuæ, vt audire, videre, & ita dic de anima intellectiua respectu sensitiuæ, & vegetatiuæ. Ideo esse principium primum motus in animali, animæ conuenit.

Sed tertio notandum est, quòd aliud est esse principium motus in animali, & aliud esse in eo motorem. Esse principium actiuum motus, est esse id quo motor aliquid mouet, sicut anima est quo homo intelligit. Esse vero motorem, est mouere, & agere, vt quod, quare moueri, & mouere conuenit composito, esse vero principium actiuum motus conuenit formæ, & passiuum materiæ. Hinc oritur, quod animata pro principio actiuo motus habeant animam, & pro passiuo materiam, sed pro motore habeant quoddam compositum ex materia & forma, & ita pro mobili in actu exercito. Hoc autẽ mouens compositum, si mouet secundum apprehensionem sensitiuam erit cerebrum, & si secundum appetitum sensitiuum erit cor, & hoc voluit annuere Aristot. in generali, dum dixit animata non esse continua, quia scilicet constant ex partibus ætherogeneis.

Quarto est vlterius notandum, quod duplex est motus naturalis animalis. Primus dicitur progressiuus, & hic sequitur apprehensionem, & appetitum animalis mouentis se de loco ad locum propter apprehensionem alicuius conuenientiæ in vno loco, & non in alio. Secundus dicitur simpliciter naturalis, quia naturaliter inest sine aliqua apprehensione, vel desiderio, vt motus nutritionis, cordis, & similis. Loquendo igitur de primo motu patet, quod illud est mouens, cuius operatio est apprehendere, & appetere, secundum Philosophum autem operationes sensitiuæ animæ, non sunt solum animæ, sed compositi, vt legitur primo de Anima tex. 64. Et ideo pars mouens erit composita. Loquendo vero de motu secundo modo, constat etiam quod erit cor, quod est pars composita, quod tamen cor mouetur ab anima, sicut instrumentum à causa principali. Dum ergo dixit Aristot. text. 28. habere animalia in se quod mouet, & quod mouetur, non

debet intelligi de anima nisi vt quo,& de composito vt quod, vnde motor duplex erit, scilicet quod, & quo, & ita mobile, nam quo erit materia, & quod corpus.

Quinto notandum tamen,non esse inconueniens, quod illud quod per se mouet per aliud moueatur, sicut quod nauta qui nauem mouet,dum eam mouet, à naui moueatur, & ita anima quæ corpus vt quo per se mouet, per corpus ab ea motum moueatur quia in eo est: Composito autem duo attribuuntur. Primum per se, & hoc est quod per se mouetur,quia omne mobile per se est corpus, per Aristot. 6. Physicor. Secundum est quod dicatur mouere, & moueri, & hoc ei conuenit ratione partium, nam respectu animæ mouet,& respectu corporis mouetur, vt quo,& rationis motoris per se mouet,& ratione mobilis, per se mouetur.

Secundo loco ponitur hæc conclusio. Motor vt quo intrinsecus in animali, est quoddam compositum ex materia, & forma. Probatur primo. Actus habet rationem mouentis vt quo, vt de anima testatus est Aristot. secundo de anima. At præter mouens quo datur mouens, vt quod. Hoc autem non potest esse nisi cor compositum ex sua materia, & forma. Ergo &c. Probo minorem. Nam mouens quod subsistit, est ens in actu, distinguitur à moto, & est primum in motu, & immediatum. Hæc autem cordi conueniunt, quod subsistit in corpore, & non inhæret vt accidens,est ens in actu distinctæ complexionis, distincti situs, & motus & figuræ,& est primum, & vltimum in motu.

Secundo. Mouens debet esse discontinuum à moto, per Arist. hic text. 30. At anima non potest dici discontinua à corpore. Si enim dicatur cum Alexandro, & Simplicio quod est discontinua, quia non est quanta, vt est corpus, obstabit, quod hoc conuenit omni formæ, etiam leuiũ & grauium,& tamen Aristot. dicit, hæc esse continua.

Tertio. Motor dicit totum quoddam. At anima dicitur pars. Ergo non poterit dici motor corporis, sed principium motus.

Ad primum ergo dicitur ad maiorem, quod valet de eo cui aliquid primo, & per se conuenit vt tale est perfectum in actu, idest valet de eo cui aliquid conuenit vt quod,& non vt quo, sicut conuenit mouere animæ. Nam corpori non conuenit esse album, nisi per albedinem, & tamen albedo non est illa, quæ dicatur primo alba. Secundum dicitur ad eandem maiorem, quod valet eo modo quo ei aliquid conuenit, & ita quia conuenit animæ primo,& per se,sed vt quo esse principium motus, ideo dicitur principium primum motus vt quo, sed non vt quod, sed hoc erit compositum ex materia, & forma.

Ad secundum negatur sequela, nempe verum est quod illud quod conuenit composito per se primo,conueniat etiã partibus. Nam partes sunt in duplici differentia. Quædam enim dicuntur quantitatiuæ,idest constituentes corpus vt quantũ, & sic in illis verum est, quod illud quod conuenit toti, conuenit etiam partibus, vt si Sol est lucidus,quælibet pars eius integralis erit lucida, [& si totũ cælũ mouetur,quælibet pars eius mouetur. Quædã vero dicuntur partes essentiales, ex quibus constat totum, vt quoddam essentiale,& hæ sunt materia, & forma, & in his falsũ est,quod id quod conuenit toti,conuenit etiã partibus, nam cõposito conuenit moueri vt quod, & non materiæ, nec formæ. Secundo dicitur,quod illud quod conuenit toti, conuenit etiã partibus, sed modo suo, vnde toti conuenit moueri vt quod, quia est ens in actu completo, formæ vero vt quo actiue,& materiæ vt quo passiue, quia talis est natura ipsorum.

Ad tertium dicimus Commen. & S.D. affirmare animam esse principium motus, non vero esse motorem vt quod. Nota autem quod anima in motu non potest dici instrumentũ motus, & non principale principium (vt hic dicit Ferr.) hoc enim videtur pugnare cum Aristot. secundo de anima, vbi dicit eam esse quo sumus, viuimus, & mouemur primo, vnde si cor mouet,in virtute animæ mouet, & non econtra, & ideo dicimus animam esse primum principium motus quo, & cor esse motorem instrumentalem animæ mouentem, vt quod.

Ad quartum dicendum, quod inanimata, & si habeant principium quo mouentur intrinsecum, idest propriam formam cum sua qualitate coniunctam, tamen

tamen habent principium motiuum solum extrinsecum, mouens vt quod, idest generans, animata vero illud habent intrinsecum, idest cor, vel cerebrum.

Ad quintum dictum est, quod anima est principium omnis motus in animali, sed vt quo, & quod non est inconueniens quod moueat, & moueatur secundum diuersas rationes, scilicet quod moueat per se, & moueatur per aliud.

Ad sextum dicendum, sufficere, quod pars mouens distinguatur à mota, non in esse rei, sed in esse mouentis, & moti.

QVÆSTIO XI.

Vtrum grauia, & leuia à seipsis moueantur, & non à generante.

Videtur quod sic. Quod habet in se principium actiuum sui motus, à seipso mouetur, vt patet in viuentibus, sed grauia, & leuia habent in se principium actiuum sui motus, scilicet grauitatem, & leuitatem, vt concedunt S. D. & Comment. Ergo à seipsis mouentur.

Secundo. Generans non mouet nisi mediante generato, vt testat Auerroes tertio cæli, comment. 28. nam generans grauia, & leuia non ea mouet nisi mediante ipsorũ grauitate, & leuitate: sed quod mouet per aliud, non per se mouet. Ergo generans hæc non per se mouet. Ergo mouentur per se à proprijs formis, quia hæ sunt immediatæ.

Tertio Arist. hic tex. 31. comparat corpus habens grauitatem, domini habenti scientiam, & non consideranti. Sed habens scientiam non indiget aliquo extrinseco ad considerandum. Ergo nec graue ad se mouendum. Generans autem extrinsecum est.

Quarto. Effectus in actu, requirit causam in actu. Si ergo graue mouetur deorsum, vel mouetur à remouente prohibēs, aut à centro attrahente, aut à generante, aut à se ipso. Non primum quia remouēs prohibens mouet tantum per accidens. Non secundum, quia dato vacuo in certo adhuc graue ad illud moueretur. Non tertium, quia contingit generans esse corruptum. Ergo à seipso moueretur.

Quinto. Comment. ex mente Aristot. quarto cæli tex. commen. 22. ait, quod lapis mouet se in quantum est grauis in actu. Ergo per grauitatem, & non à generante.

Sexto. Motus ab extrinseco in fine remittitur, idest quia tunc mouens magis abeo distat. Sed motus grauium, & leuiũ in fine intenditur, dum suo loco appropinquant. Ergo eorum motus non erit à generante.

Septimo. Arist. quinto Phys. tex. 89. dicit, quod contrarietas grauium, & leuium est actiua in motu, contrarietas vero duri, & mollis passiua. Ergo grauia, & leuia se mouent actiue.

Octauo. Illud dicitur, habere potentiam actiuam ad motum, qui potest ipsum causare vbique, & semper, remotis tamũ impedientibus, At grauitas in graui semper, & vbique potest causare motum remotis impedimentis, vt patet. Ergo graue, & ita leue mouetur à proprijs formis, & qualitatibus.

Nono. Mouens immediatum, & proximum (de hoc enim controuertitur, an sit gerans) est simul cum moto. At potest contingere quod graue, verbi gratia lapis generetur inferius, & postea in successu temporis proijciatur superius, & ibi stet per aliquod tempus, & tandem remoto impedimento descendet inferius, patet enim tunc mouens non esse simul cum moto, sed multum ab eo distare. Ergo non mouetur à generante.

Decimo. Sicut se habet aqua calefacta dum se reducit ad frigiditatem, ita se habet graue, vel leue dum suæ naturæ relinquitur. Sed aqua seipsa reducit se ad frigiditatem, Ergo & graue, vel leue ad suum locum.

Vndecimo. Natura in naturalibus est principium motus illorum per se, & proprium. At grauia & leuia habent suam naturam formam essentialem, & qualitates quibus mediantibus forma agit, vt forma grauis mediante grauitate. Ergo à se ipsis mouentur, & non ab extrinseco, scilicet à generante, maior est Aristot. 2. Physicor. Minor est nota, & concessa ab omnibus.

Duodecimo. Aliud est disputare à quo generantur grauia, & leuia, & aliud à quo moueantur, nam generans est primum principium, & mouens proximum. Hic autem quærimus an à generante non primo,

primo, nec in generatione, sed immediate, & quo ad motum, moueantur.

Decimotertio. Quilibet actus habet suum immediatum principium sed actus primi, idest esse est principium generans. Ergo non actus secundi i. motus.

Decimoquarto. Dans formam, dat omnia consequentia formam, per formam, sicut dans rationalitatem, dat risibilitatē, per rationalitatem immediate. Ergo generans dans formam graui, vel leui, dat etiam eis vt sint principia immediata motus, & sic generans erit primum eorum principium, & non proximum.

Decimoquinto. Id est immediatū principium motus grauium, & leuium, quod est immediatum principium quietis illorum. Sed forma est immediatum principium quietis terræ in centro, & ignis in sua sphæra. Ergo &c.

Decimosexto. Non minus naturale est igni calefacere, quam sursum moueri. Nec minus naturalis est motus lapidis deorsum, quam sit motus dilationis, & constrictionis cordis, & respirationis. Sed hi motus non dicuntur esse à generante immediate; ergo nec motus grauium, & leuium.

Decimoseptimo. Contrarium non potest dici generans, nec mouens sui contrarij. Sed contingit ex graui generari leue, vt ex lapide, ignis, & ignem tunc sursum tendere. Ergo non potest hic motus dici à generante.

Decimo octauo. Sic generans posset etiam dici principium corruptionis, verbi gratia. Sortes pater genuit Platonem filium, At accidere potest quod Plato cadat ex alto. Ergo tunc dicetur pater eius præcipitare illum ex alto, quod non videtur verum, nec dicendum.

Decimo nono. Omne mouens mouendo mouetur secundum Aristot. 7. huius text.3. Sed dum grauia, & leuia mouentur, non est necessarium quod generans moueatur, cum possit etiam esse corruptum. Ergo.

Vigesimo. Sic generans esset causa omnis motus grauium, & leuium, hoc falsum, quia motus illorum potest esse ad impediendum vacuum; Maior videtur nota, Minor probatur, quia hæc pertinet ad naturam vniuersalem.

Vigesimo primo. Sic esset causa etiam motus argenti viui, cum sit graue; hoc falsum. Probatur. Quia generans mouet ad suum terminum, & quietem. At argentum viuum sua natura non habet quietem.

Vigesimo secundo. Quod ab extrinseco mouetur, aut pellitur, aut trahitur, aut voluitur, aut vehitur, per Arist. 7. huius tex. &c. At grauia, & leuia nullo horum modorum mouentur, cum hi motus sint contra naturam, & motus istorum secundum naturam.

Pro resolutione huius quæstionis, in substantia non admodum difficilis, aliqua primo annotabo, secundo loco nostram conclusionem probabo, tertio faciam satis argumentis.

Primo ergo notandum venit pro explicatione terminorum positorum in titulo quæstionis, quod per grauia & leuia intelligimus omnia corpora continua, idest similarium partium, quæ sunt inanimata, vt expresse ex mente Philos. vt supra deducitur. Secundus terminus est ly moueantur, motu, scilicet naturali, seu secundum naturam. Nam quæ mouentur ab extrinseco sunt in duplici differentia; Quædam enim mouentur ab extrinseco per violentiam, quia mouens in eis non imprimit aliquam formam, qua mediante dicatur ea mouere. Quædam vero mouentur ab externo mouente, sed cum impressione formæ, vel qualitatis naturalis. Primo modo mota, sunt mota contra naturam, vt est lapis proiectus sursum, secundo modo secundum naturam, vt leue sursum, & graue deorsum, & hoc secundo modo quærimus, an grauia, & leuia moueantur à generante imprimente formam, aut moueantur à suis formis à generante impressis. Et aduerte quod addendum est in titulo, An moueantur à generante immediate, & per se, non in generatione ipsorum, quando generantur, sed in motu, quando genita de loco ad locum mouentur. Dixi immediate, quia nullus est qui dubitare recte valeat, quod primo moueantur à generante dante formam, quia dans formam, dat etiam omnia consequentia formam, sed quod in quolibet motu illorum generans immediate cum forma concurrat, hoc controuersum est. Dixi per se, quia elementa (in quibus maxime apparet ratio motus grauium,

& leuium) multipliciter possunt considerari sub motu. Primo enim considerantur vt effectiue mota,& sic dicimus ea moueri à triplici mouente. Primum dicitur vniuersalissimum, & hoc est cælum, quod ea mouet naturaliter, & non per violentiam, quia primus motus est causa aliorum motuum, vt primum in genere motus. Secundũ dicitur particulare quod, idest subsistens, saltem in principio motus, & hoc est generans. Tertium dicitur particulare quo, & hoc est forma grauis, & leuis cum suis proprietatibus grauitatis, & leuitatis. Secundo considerantur, vt finaliter, & quodammodo formaliter mota, & sic moueantur à suis locis naturalibus,ad quæ mouentur,vt ad suas perfectiones, & quietem naturalem. Vnaqueque enim res perficitur in suo loco naturali, in quo conseruatur. Tertio possunt considerari, vt mota per accidens per remotionem impedimenti detinentis ea extra locum suum, dum sunt in actu essentiali, & in potentia tantum accidentali ad eum, & sic dicuntur moueri à remouente prohibens, illico enim quod impedimentum tollitur,subito motus sequitur. Quarto considerantur, vt adiuuata in motu,& sic mouentur à medio, vt in septimo ostendimus. Tertius terminus est ly à generante, per generans autem Iauellus intellexit Cælum, sed male, quoniam cælum est generale, & vniuersale, & remotum generans,de proprio autem, & proximo disputationem facimus. Erit ergo sensus quæstionis. An grauia, & leuia inanimata, & continua moueantur motu naturali,immediate,& per se,à generante non vniuersali,sed proprio,idest ab eo quod vt proprium, & proximum generans concurrit ad effectionem rei, non dum res generatur,& est in potentia essentiali,idest ad esse, sed dum solum est in potentia accidentali, scilicet ad motum, sui loci naturalis.

Secundo notandum venit, quod circa præsentem difficultatem fuerunt plures modi dicendi. Nam Empedocles teste Arist. 2.cæli tex.85. dixit,grauia, & leuia à cælo moueri, quod est verum de motu circulari, non vero de motu. Nam verbi gratia de motu ignis bifariam loqui possumus. Primo, vt ei conuenit secundum suam naturam, & sic se mouet recte sursum, scilicet ad spheram suam. Secundo, vt participat naturam superioris, & vt est in sphæra sua, & sic ei conuenit moueri circulariter.

Secundus modus dicendi fuit Academicorum,cum quibus Zenardus, & Tholomeus conseruiunt, dum elementis animam dant, per quam moueri dicuntur, & dum partes elementi extra suum locũ seu sphæram reperiuntur, dicunt,ad eam rapi ab anima totius elementi. Quæ opinio cum principijs peripateticis non consentiat, omittenda est.

Tertius modus dicendi fuit quorundã dicentium, quod grauia, & leuia per se mouent medium, idest aerem,vel aquam, ipsa autem per accidens, scilicet ad motum medij mouentur. Sed hoc est falsum. Primo, quia omne mobile per se, habet motiorem per se. Grauia, & leuia sunt entia per se mobilia, & secundum naturam per Arist. hic. Ergo habet motorem per se, medium autem mouet per accidens. Secundo. Medium non mouet nisi motum, vnde per aduersarios est causa motus grauium, & leuium per accidens; Sed motum per accidens habet motorem per se. Tertio, quia graue, & leue non mouentur à medio nisi prius moueant medium, vnde restat videndum quomodo se moueant, & se mouendo, moueant medium per se, & moueantur à medio per auxilium.

Quartus modus dicendi fuit Soto, & multorum hic dicentium,quod grauia,& leuia mouentur tantum naturaliter passiue, quia habet in se principium passiuum sui motus, & non actiuum, ita vt secundum hos forma grauium, & leuium non sit principium actiuum motus ipsorum, sed tantum habeant grauia, & leuia quod possint moueri naturaliter à generante. Sed hoc est contra S.D. hic, & in 3. dist. 22.quæst.3.art.2. quæstiuncula prima, & Arist. dicentes,leuitatem, & grauitatem, in grauibus,& leuibus esse principia actiua motus ipsorum. Secundo, quia grauitas, & leuitas sunt naturales potentiæ. Ergo principia actionum: Et quamuis Arist.2. de generatione cap.2. tex. 8. dixerit, grauitatem, & leuitatem non esse formas actiuas,tamen patet, quod ibi negat, eas esse formas actiuas ad producendas alias qualitates similes, sicut possunt

facere

facere primæ qualitates, quoniam calor producit calorem, & frigiditas generat frigiditatem, non tamen negauit quod actiue ad motum non concurrant, vt etiã experientia testatur, vnde maior grauitas velociorem causat motum in graui, & ita maior leuitas in leui.

Quintus igitur modus dicendi (vt minus scitu dignum omittam) fuit Scoti in 2. distinct.2. quæst. 19. Greg. distinct 6. quæst.1.art.3. Mayronis dist. 14. quæst.6. Achilini lib.3.de elementis quæst.2. Iand. hic quæst.12. Alberti de Saxonia quæst 6. Niphi, & Burid.cap.præsenti. Pererij lib. 7.cap.16. Vallesij contro.11.& 42. ad Zenonem, & quorundam aliorum est, quod grauia, & leuia à seipsis moueantur, & non à generante. Vltimus modus dicendi fuit Arist. hic, & 4. de cælo tex.25. & 26. S.D.ibidem, & p.p. quæst.2. artic.3.q.18. artic.1. in 3. dist. 12. quæst.3. art.2. quæstiuncula prima, & 3. contra gentes cap. 102. Capreo. in 2.dist.6. quæst.1. artic.3. Caietan.p.p. vt supra. Ferr. hic & primo contra gentes,cap.5. Alb. Magni hic c.4. tractatu 2. Aegidij. Ruuij hic, quæst.2. Iauelli, & fere omniũ interpretum Arist. scilicet quod mouentur à generante vt quod, quod, à propria vero forma vt quo, mediante potentia grauitatis, & leuitatis.

Tertio ergo notandum venit,quod generans grauia,& leuia ad hoc vt moueantur in sua loca generat etiam ea cum omnibus his quæ sunt necessaria ad illũ motum, quia quodlibet generans est determinatum,vt dicitur secundo Physicor. & ideo vnum vno modo generat, & aliud alio modo,quare viuentia ex determinato semine sunt, & inanimata à determinato generante, dante formam, & consequentia ad illam. Cum ergo in motu horum tria præcipua sint,scilicet generans, forma grauis, vel leuis, cum suis qualitatibus, & corpus graue, vel leue, quod est illud quod mouetur, dicimus quod si graue consideretur in ordine ad generantem, & formam suam, habet proportionem ad istam mobilis ad mouentem, si autem forma consideretur in ordine ad generantem habet rationem moti, idest geniti, si vero consideretur in ordine ad vtrunque,scilicet ad generantem, & mobile graue, vel leue, habet rationem moti, & mouentis, moti vt est producta à generante, & mouentis, quia concurrit cum generante ad motum, vnde generãs se habebit vt mouens quod, & forma vt mouens quo, idest mediante quo generans mouet, sed formæ istæ substantiales mouebunt immediate per potentias, & qualitates proprias, idest per grauitatem, & leuitatem. Nec mihi obijcias,quod sic nec generans, nec forma substantialis grauis, vel leuis mouebit immediate, quia respondetur,quod duplex est immediatio. Prima dicitur suppositi,& ista non est necessaria in toto motu, sed in initio tantum. Secunda dicitur virtutis, quia, scilicet virtus mouentis ducat per totum motum, & sic generans mouet immediate, immo immediatius quam forma, quia quanto virtus est superior, & inde potentior, tanto dicitur immediatior. Nec iterum instes, quod hæc virtus non est nisi formæ agentis per medias qualitates, quia respondetur, quod in productione grauis tria inspicimus. Primum est generans, qui per propriam virtutem generat,& producit leue,vel graue. Secundum est forma, cum suis qualitatibus, & tertium est totum compositum, scilicet graue & leue. In generatione igitur grauis non solum est virtus data graui, vel leui, sed actio generantis, quam dicimus virtualiter durare in toto motu grauium, & leuium, quamuis generans sit corruptum,quia forma non mouet, nisi in virtute illius actionis.

Quinto igitur animaduertendum venit, discrimen esse inter generationem animatorum, & inanimatorum, nam animatorum perfectio stat in operationibus, & motu, vnde his cessantibus in mouente,dicimus illum esse vita priuatum. Perfectio vero inanimatorum grauium, & leuium in quiete posita est, vnde non nisi per violentiam à proprijs locis dimouentur, & dimota non quiescunt, nisi ad sua loca reducantur. Hinc oritur,quod generatio viuentium dicitur perfecta fundamentaliter,sed non terminatiue,quia generans dat eis fundamentum, idest virtutem se perficiendi in suis operationibus ad quos mouentur,pro loco,& tempore. At inanimata à generante consequuntur omnem suam perfectionem,ex vi suę generationis, quia generans dat eis non so-

lum virtutem ad motum, sed etiam terminum, cum ea ex vi generationis ad suum locum moueat, & ideo actiones viuentium non attribuuntur generanti, sicut illi attribuuntur motus grauium, & leuium.

Quo ad secundum principale conclusio est. Grauia, & leuia mouentur, vt quod à generante. Probatur primo expressis verbis Arist. hic dicentis, & quarto de cælo, quod grauia, & leuia non mouent seipsa, sed mouentur à generante.

Respondent Aduersarij dupliciter. Primo, quod Philos. loquitur de motu ad actum essentialem, scilicet ad generationem, & non ad actum accidentalem, scilicet ad terminum motus. Secundo, quod intelligit ab eis negare talem motum ex seipso, scilicet more animalium se mouentium appetitu, & apprehensione. Sed hæ responsiones fugæ sunt. Nam contra primam stat. Primo, quod ibi Arist. loquitur non de generatione, sed de motu ad sensum illius propositionis, quod omne quod mouetur, ab alio mouetur. Quis dubitat quod genitum non habeat generantem? Ad quod propositum esset quod omne quod mouetur, diuiditur in partem mouentem, & motam, quod continuum non potest se mouere, & similia. Secundo totus discursus Aristot. tendit ad probandum quod vnum datur primum mouens immobile. Ergo non disputatur de fieri, & generatione grauium, & leuium, sed de motu ipsorum. Vis enim rationis Arist. in hoc stat. Nec animata, nec inanimata, scilicet grauia, & leuia mouent seipsa, sed ab alio mouentur. Ergo commune quod mouetur, ab alio mouetur, & in mouentibus, & motis non sit processus in infinitum, deueniendum erit ad vnum primum mouens immobile, Contra secundam responsionem stat vis omnium quatuor rationum Aristot. quæ tendit ad ostendendum non modum motus distinctum per apprehensionem, & non, sed à seipso, vel ab alio, Confirmatur, quia Arist. duo dicit de his. Primum quod non moueant seipsa. Secundum quod mouentur ab alio, & exprimit à quo scilicet à generante vide, etiam eundem Arist. tex. 17. 29. 32. & de motu animalium cap. 3.

Secundo. Quod mouet se principaliter, vt quod, viuit; At grauia, & leuia sunt priuata vita. Ergo non se mouent, sed mouentur à generante; Minor est nota, Maior est Arist. hic tex. 29. 1. de Anima tex. 19. lib. 2. de Anima tex. 13. & Platonis decimo de legibus & in Phidro.

Tertio. Quod se mouet principaliter ab intrinseco, diuiditur in partem mouentem, & in partem motam, præter materiam, & formam, vt anima diuiditur præter materiam, & formam in cor, quod mouet, & corpus quod mouetur. At in grauibus, & leuibus non dantur ista. Ergo. Minor nota, quia sunt homogenea. Maior est Arist. tex. 28. & supra a nobis fuit probata, & declarata, idest quæstione præcedenti.

Quarto. Illud quod conuenit alicui ex vi suæ generationis, conuenit ei per generationem. Sed moueri ad loca sua naturalia conuenit grauibus, & leuibus ex vi suæ generationis quia non generantur nisi cum illo motu perpetuo, & inuariabili, ad differentiam animatorum, vt supra ostensum est. Ergo. Maior patet, quia tunc res non est, sed fit. Minor est nota, & adde quod in instanti generationis hoc obtinent.

Quinto. Quando duo ita necessario, & inseparabiliter se consequuntur quod simul in esse ponuntur, dans primum, dat etiam secundum, sicut dans rationale, dat etiam risibile; Sed forma grauis, & leuis simul cum motu ad suum locum producitur. Ergo sicut forma grauis est à generante, ita motus eius ab eodem erit.

Sexto. Actiones sunt suppositorum; Sed motus est actio, ergo generantis, quod est suppositum, & non forma. Minor est Aristot. 3º. Physicor. Maior est eiusdem 1. Metaphys. & 7. Metaphys. vbi dicit formam non posse esse primo, & per se terminum actionis, sed compositum, quod autem est terminus vt quod, est etiam principium vt quod.

Ad primum autem argumentum dicitur, quod maior valet de mouere vt quo, quod concedimus esse formam grauis, cum sua qualitate grauitatis, sed præter principium quo, dicimus esse necessarium principium quod, & hoc esse generans.

Ad secundum dicitur, quod mouere mediante alio stat dupliciter. Primo in eodem genere, & modo, vt quando mo-

uens quod, mouet per aliud moués quod, & tale non dicitur mouere immediate, immeditatione suppositi, nec virtutis, si vtatur solum virtute alterius, non distribuendo illam. Secundo in diuerso genere, & modo, ita vt vnum dicatur mouere vt quod, & aliud vt quo, & sic vtrumque potest suo modo mouere immediate, sicut diximus de generante mouente per formam, & qualitatem, vt est instrumentum formæ.

Ad tertium dicendum, quod similitudo non stat in hoc, quod sicut intelligens per seipsum intelligit, ita graue per seipsum moueatur, sed in hoc stat, quod sicut habens habitum scientiæ statim considerat, nisi aliquid impediat, ita etiam habens grauitatem statim mouetur, nisi aliquid impediat.

Ad quartum dicitur, quod mouetur à generante, neque necessarium est quod mouens, & motum sint simul in toto motu; sed tantum in initio, nam semen agit ad generationem postquam decisum est à generante, etiam si generans sit corruptum. Secundo dicitur, quod & si generans sit corruptum supposito, non tamen virtute, quæ remanet in moto.

Ad quintum dicitur, quod Comm. intendit lapidem se mouere per grauitatẽ, vt per principium quo, minus principale, nam primum quo est forma, quæ concurrit vt instrumentum generantis, & qualitas formæ secundum.

Ad sextum dicitur, quod procedit de motu causato ab intrinseco, sine impressione formæ naturaliter mouentis, qui motus dicitur violentus, noster autem naturalis est, & ideo intenditur in fine.

Ad septimum dicitur, quod illa contrarietas est actiua instrumentaliter, & vt quo, non vt quod.

Ad octauum dicimus, quod maior est vera hoc addito scilicet motu generantis, & non aliter, quia sine eo non habet forma talem virtutem, & potentiã actiuam.

Ad nonum dicimus, quod simul sunt virtute, & hoc sufficit.

Ad decimum dicimus, quod aqua calefacta reducit se ad frigiditatem virtute generantis vt quod, & à propria forma reducitur cum sua qualitate frigiditatis, vt quo.

Ad vndecimum dicimus, quod natura in animatis est principium motus intrinsecum, & vt quo initiatiue, at in animatis est principium intrinsecum, & vt quo terminatiue etiam, hoc autem non potest esse nisi à generante, dante vtrumque simul, vnde inanimata dicuntur moueri à generante speciali modo.

Ad duodecimum dicimus, quod quando actus primus, & secundus inseparabiliter, & in actu exercito se consequuntur, dans primum dat etiam secundum, hoc autem modo se habent esse leuium, & grauium, & motus cæli.

Ad decimum quartum dicimus, generans dare formam, & motum, per formã vt quo, ipso concurrente vt quod.

Ad decimum quintum idem dicimus, scilicet quod generans dat motũ, & quietem vt quod, & forma vt quo, nam si mouet leue, vel graue, illud mouet, vt quiescat in propria sphera.

Ad decimum sextum aliqui negant maiorem, & dicũt disparitatem stare in hoc, quod moueri conuenit graui, vel leui, ex vi suæ generationis, & ex instanti generationis, non sic calefacere. Sed & dicitur secundo, quod illi motus sunt à generante vt quod, & si non vt quo.

Ad decimum septimũ dicendum, quod contrarium formaliter, & virtualiter non potest generare suum contrarium &c. at bene formaliter contrarium, non vero virtualiter, vt quando ex petra generatur ignis, nam tunc actio attribuitur generanti & quo ad esse, & quo ad motum.

Ad decimum octauum dicendũ, quod generãs bifariam considerari potest. Primo vt est talis naturæ, & conditionis, & sic patet non dicitur præcipitare filium, dum ex alto cadit, quia hoc non intendit. Secundo vt est simpliciter generans dans grauitatem, & sic vt dat grauitatem dicitur esse causa præcipitationis filij, sed non vt dixi voluntaria, vel voluntariè, sed naturalis, & extra suam intentionem.

Ad decimum nonum dicitur, quod omne mouens in mouendo mouetur, saltem in principio motus, & sic facit generans. Vel secundo dicas, quod dum grauia, & leuia mouentur vt quo, mouent & generans in ipsis, quia semper mouent, vt eius instrumenta.

Ad vigesimum dicitur, quod motus grauium, & leuium esset etiam à gene-

rante,

rante, vt dispositio à natura vniuersali ad ea mouendum, vt habeant debitum ordinem, & dispositionem in vniuerso.

Ad vigesimum primum dicēdum, quod argentum viuum mouetur, vt quoddam graue ad deorsum, quod autem illud non acquirat permanenter, causa est eius fluxibilitas, humiditas, & figura rotunda. Nam grauitas illud mouet deorsum, sed quia conglobatum est, ideo non potest sistere, & ideo si non quiescit, non est, vt graue non moueātur deorsum, sed quia impeditur ab eis figura rotunda.

Ad vigesimum secundū dicitur, quod procedit de motu ab extrinseco, sine qualitate intrinseca, & forma mouente, habent tamen similitudinem reductiuam ad pulsionem, vt aduertit S. D. septimo huius cap. 2.

DVBIA.

PRo vltimo complemento intelligentiæ supradictorum textuum, quędam dubia remanent soluenda.

Primo ergo dubitatur, in quo sensu sit accipienda illa propositio Arist. in septimo assumpta, & hic repetita. Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Vel enim erit vera de motu Physico, qui corporibus conuenit, vel etiam erit vera de motu Metaphysico, vt est intellectio, volitio, simplex emanatio, vt est creatio, vel etiam fluxus passionum ab essentia. Vel etiam erit vera in motu per accidens, & partiū, & communiter erit vera de omni mobili, vel de hoc; Est enim hoc explicandum, vt recte intelligatur. Immo non videtur vera in nullo genere motus. Nam si propositio Arist. esset vera, esset quia idem potest esse simul in actu, & in potentia. At hoc est falsum in causis ęquiuocis, quia idem potest esse in potentia essentiali, vt est aqua calefacta ad suam frigiditatem, & in actu virtualis, quia, scilicet habet in se suam virtutem reducendi se ad frigiditatem, vnde idem sic potest mouere seipsum, & sic idem erit agens, & patiens, mouens, & motum. Secundo. In viuentibus mouens non distinguitur à mobili, nam si distinguerentur esset per diuersas partes, quarum vna moueat, & aliæ moueantur, vt in animalibus, cor, vel cerebrum, per immissionem spirituum animalium videtur mouēre cæteras partes, hoc autem dato sequitur, quod pars mouens non sit mota, nec etiam à generante, cum Arist. inanimatis tantum attribuat moueri à generante.

Circa intelligentiam huius propositionis pauca dicam, quia in septimo vt facit quæstionem specialem de ea dixi. Notandum est tamen primo, quod de veritate eius duæ sunt opiniones. Prima est Scoti. 1. dist. 3. quæst. 7. & 9. Metaphys. quæst. 14. & ibidem Antonij Andreæ, Greg. in secundo distinct. 6. quæst 1. artic. 13. Iand. hic quæst. 12. & 1. de cælo tex. 28. Hi enim dicunt hanc propositionem non esse omnino veram, neque necessarium esse, quod id quod mouetur, realiter distinguendum sit in partem mouentem, & motam, vnde idem potest mouere seipsum, quare ratio ad probandum primum motorem immobilem, fundata supra hac propositione, infirma est, & debilis.

Altera est sententia sustinens veritatem, & soliditatem huius propositionis, & hanc defendunt S. D. hic, & septimo huius. Aegidius. Quod 3. quæst. 16. cap. 1. dist inct. 3. quæst. 3. Ferr. 1. contra gentes cap. 23. Suarez 1. Metaphysicor. disp. 18. sec. 7. num. 11. Conimb. & Ruuio hic, & est amplexanda, vt satis ab Arist. probata, & vt maxima ad probandam immobilitatem primi motoris assumpta.

Secundo tamen notandum est, quod habet has exceptiones. Prima quod valet in motu Physico corporum compositorum ex duabus partibus, mouente, scilicet & mota, non vero in motis motu Metaphysico proprie, & stricte, nisi vt diximus, quia non est necesse omnem intellectionem, & volitionem esse ab alio motore mouente. Secunda, quod non valet in his, quæ naturali sequela fluunt ab essentia. Tertia quod nec valet de motu partium, quia ne fit processus in infinitum, opus est deuenire ad vnam, quæ non moueatur ab extrinseco, sed seipsam moueat. Vnde verificatur de mouente vt quod, distincto à mobili, & diuiso in partes integrantes, non in essentiales quæ non dicuntur moueri vt quod.

Ad primum autem in contrarium dicitur primo sufficere ad verificandam propositionem Arist. quod idem non sit simul in actu, & in potentia, vnde vt est in potentia

tentia indiget motore ad reducendum se in actu, ideo dum aqua calida fit frigida, mouetur tunc à generante vt quod, & à propria forma, & qualitate, vt diximus supra Sed vide quæ de hac re etiam diximus in nono Metaphys. Secundo dicitur quod idem non potest simul esse in actu, & potētia, sed necesse est vt distinguatur in mobile, & mouens, quando motus est Physicus, de quo loquimur, & supra hac ratione se fundat Phil.

Ad secundum dicimus, quod loquimur de motu perfecto, & rei subsistentis, & completæ, scilicet quod omne quod mouetur, vt completum, ab alio completo, & subsistente ente mouetur, pars autem est ens incompletum, vt diximus.

Secundo dubitatur circa tex.20. in quo Arist. dicit, quod falsum est velle putare animal non ab alio extrinseco moueri. Ergo falsum est quod in tex.20. dicitur, quod à seipso mouetur.

Respondetur quod pro nunc duplex est motus. Primus dicitur appetitiuus, & hoc motu mouetur animal ab extrinseco obiecto appetibili, quia bonum est in rebus. Secundus dicitur localis, idest de loco ad locum, & sic dixit animal mouere seipsum, idest ab intrinseco, & non ab extrinseco, vt mouentur grauia, & leuia.

Tertio dubitatur circa tex. 27. in quo affirmauit Philosoph. animal naturaliter se mouere. Hoc autem videtur falsum, quia quod naturaliter mouetur, necessario mouetur. Animal autem secundum appetitum mouetur, & homo libere. Ergo non naturaliter, & necessario.

Ad hoc respondetur, quod naturale dupliciter sumitur. Primo vt distinguitur contra violentum. Secundo vt distinguitur contra libere, Arist. accepit ly naturaliter, vt idem sonat quod nō violenter, quia motus localis animalis, vt simpliciter dicitur corporis grauis potest aliquo modo dici violentus, dum sursum ducitur, sed vt est motus corporis animati nequaquam, quia anima vt animat, potest mouere naturaliter corpus sursum, deorsum &c. & ad omnem positionem, ad quam est in potentia.

Quarto dubitatur contra text.30. vbi dicitur, continuum non agere in se. Nam aqua est continua, & tamen habet partes magis, & minus calidas, prout sunt proximiores calefacienti, & partes eius calidiores, agunt in minus calidas.

Ad hoc dicitur, quod agere in se stat dupliciter. Primo per alterationem causatam ab extrinseco, & hoc potest etiam continuo conuenire, vt argumentum probat. Secundo per actionem partium distinctarum realiter, quarum vna se habet, vt mouens, & alia vt mota, & sic dictum est hoc conuenire tantum discontinuis.

Quinto. Quæritur, à quo voluntas moueatur ad appetendum finem. Non enim videtur moueri ab auctore naturæ, sicut vt à primo mouente moueutur grauia, & leuia, prout dixit S.D. p.p.q.105. artic.4. & quæst.107. artic.2. & 3. contra gentes cap.89. Caiet. p.2. quæst.9. art.4. Ferr. contra gentes vt supra. Aegidius 2. distinct 25.quæst.5.& cap.9. vnica. Nam instat Scotus in 2. distinct. 25. quæstio vnica. Et Iand. quod non & Conimb.hic. Primo, quod actiones vitales solum sunt à viuente, & non ab extrinseco, vt est motus grauium, & leuium. Et secundo, quia actus volendi, & intelligendi non ordinantur ad obtinendam naturalem subiecti dispositionem, & conseruationem, sicut ad hæc ordinantur motus grauium, & leuium.

Ad hoc dicitur sustinendo sententiam S.D. quod similitudo stat in hoc, quod sicut grauia, & leuia diriguntur in finem necessario, vt necessarium distinguitur contra indifferenter, & naturaliter mota à generante, ita voluntas mouetur ad suū finem necessario specificatiue, & non indifferenter, sicut mouetur ad media, vnde primum argumentum non tangit sensum nostrum, fundatum supra proportione, & non super indentitate. Ad secundum autem dicitur, quod voluntas perficitur in appetitu, & coniunctione cum vltimo fine, sicut etiam perficiuntur grauia, & leuia, dum in suum finem tendunt, & suam sphe-ram attingunt.

CAPVT

CAPVT V.

LECTIO 9. 10. 11. S. D.

Hoc autem dupliciter, enim non propter se ipsum est mouens. tex 33.

Hic incipit Philos. probare minorem assumpti syllogismi, scilicet quod omne quod mouetur, ab alio mouetur, sub hac enim maxima assumpta fuit minor, quod in mouentibus & motis non potest esse processus in infinitum, vnde deueniendum est ad vnum, quod sit omnino immobile. In tex.33. distinguit ergo de duplici mouente. Primum dicitur independens, quia mouet propria virtute. Secundum dicitur dependens, quia mouet ab alio motum, siue per vnum medium, vt dum manus mouet baculum, siue per plura, vt dum baculus mouet lapidem motum à baculo, & à manu, Primum autem mouens dicitur magis mouere quam secundum, quod dupliciter probat. Primo. Qui mouet, non motum, magis mouet quam moues motum. At primum est mouens immotum, verbi gratia homo, secundum vero est mouens motum, verbi gratia manus, vel baculus. Ergo magis mouet primum secundo, idest magis mouer, quod potest sine alio mouere, quam illud quod non mouet, nisi motũ ab alio. Primum mouens potest sine alio mouere, secundum vero nequaquam. Ergo primum magis mouet.

In tex. 34. intendit probare ex iam habitis, & declaratis, quod detur vnum primum mouens, qui ab alio non mouetur, sed si mouetur, à seipso mouetur, & summa rationis in hoc stat. Omne quod mouetur, ab aliquo mouetur. Sed in mouentibus non est processus in infinitum. Ergo deueniendum est ad vnum primum motorem immobilem. Maior ostensa est in septimo, & etiam minor, sed hoc loco magis consolidatur, quia, scilicet si in mouentibus, & motis est processus in infinitum, non datur primum mouens, quia in infinito non est primum, & sic non dabitur vltimum mouens, quia in infinito non datur nec primum, nec vltimum, & quia vltimum non mouet nisi in virtute primi, & sic si non datur nec primum, nec vltimum mouens, non dabitur aliquod mouens, quod falsum cernitur.

In tex.35. repetit eandem rationem, sed alio ordine, quia sicut prima ordinata est ascendendo ad primum motorem, ita hæc ordinata est descendendo ad vltimũ, quia, scilicet mouens mouet aliquid, & aliquo, & ratio sic formatur. In motu non solum sunt motores instrumentales, idest qui concurrunt vt instrumenta, idest, vt mota ab alio, vt baculus à manu, & lapis à baculo, & manu, sed necesse est vlterius aduenire vnum motorem, qui non instrumentaliter, sed seipso moueat. Ergo deueniendum est ad vnum primum motorem. Consequentia clara est, & manifesta. Antecedens probatur, quia motores instrumentales, sunt alicuius per se motoris instrumenta, vnde dato motore instrumentali, vno, vel pluribus, oportet inuenire motorem principalem, mouentem seipsum.

In text. 36. intendit idem alia ratione probare, scilicet per diuisionem, quam prosequitur vsque ad text.40. ratio igitur sit. Si omne mouens mouetur, ita vt non detur vnus motor, qui ab alio non moueatur, aut hoc mouens motum mouetur per accidens, aut per se. Sed quod moueatur per accidens non potest stare. Primo, quia quod est per accidens, non esse potest, quia non est necessarium, & sic possibile erit hunc motorem per accidens non mouere. Quod si ita erit, non erit necessarium semper motum esse, quod supra confutatum fuit. Secundo. In motu tria inueniũtur, scilicet mouens qui mouet, mobile quod mouetur, & medium quod concurrit vt instrumentum, quo mouens mouet. Mobile autem necesse est vt moueatur, quia ponitur moueri. Medium vero necessario mouet, vt quo mouens mouet, & mouetur, vt est motum à mouente, vnde de vtroque participat. Ergo rationabile est quod mouens moueat, & non moueatur, patet, quia ei coniungitur (per suppositum) moueri, per accidens autem separabile est. Tertio hoc probat testimonio Anaxagoræ, ponentis intellectum immixtum, & impassibilem, & primum principium motus, vnde necesse erat cum facere immixtum, quia quod alteri commiscetur, mouetur quodãmodo ad motum eius cui commiscetur.

Neque dicendum est, quod hoc mouens motum moueatur per se. Primo. Nam si est necessarium, quod mouens moueatur, & semper, aut mouebitur eadem specie motus cum mobili, aut diuersa. Sed impossibile est vtrunque. Ergo. Probat minorem quo ad hanc partem, quod non possit moueri eadem specie motus, quia sic deueniendum esset vsque ad speciem specialissimam, & ita verum esset, quod qui docet, quod id quod docet, verbi gratia Geometriam, doceatur, idest Geometria, & si proijcit lapidem de loco ad locum, quod & ipse tunc proijciatur, quod falsum deprehenditur. Secundo probat eandem minorem quo ad aliam partem, scilicet quod non moueatur alia specie motus, verbi gratia si mouet localiter, moueatur secundum augmentum. Nam species motus finitæ sunt. Ergo in eis nō dabitur processus in infinitum, vnde dabitur regressus ad easdem, & sic ibimus in primum inconueniens, quod mouens moueatur, eadem specie motus, qua mouet, & sic docens adiscet, dum docet &c. Sed & maius inconueniens sequitur, quia sic sequitur, quod omne mouens sit mobile, vt ædificator, ædificabile.

In text. 40. postquam Philos. ostendit quod in mobilibus, & mouentibus non est processus in infinitum, sed est status in mouente immobili, vel mouente seipsum, transit dico in tex. 40. ad ostendendum quomodo hoc primum mouens se moueat. Dicit ergo, quod omne per se mobile (vt excludantur quæ mouentur per accidens vt animæ & puncta) & corporeum (vt excludantur pro nunc immaterialia) diuiditur in partem mouentem, & in partem motam, ita vt mouens sit impossibile moueri eo motu quo mouet, nam sic vna pars, verbi gratia forma ferret, & ferreretur, & eadem ratione, alterabit, & alterabitur, docebit, & docebitur, sanabit, & sanabitur, quod conspicue est absurdum. Idem enim non potest esse in actu, & in potentia, quare si mouet vt est in actu, mouebitur vt est in potentia.

In tex. 41. excludit quosdam modos, quos aliqui possunt existimare esse in motu mouentis seipsum. Intendit ergo excludere hunc modum, scilicet quod totū seipsum mouet, quia partes seinuicem mouent, altera, alteram per se, quod facit quatuor rationibus. Prima est. Vbi non datur primum, tollitur motus. At si totum sic moueretur, scilicet quod totum moueret seipsum, quia partes seinuicem mouent, non daretur primum mouens, quia equaliter hæ partes se mouerent, cum vna alteram mouere non dicatur. Secunda. Dato quod vna pars primo moueat, sicut & altera, cum non sit necessarium quod illud quod primo mouet, moueatur ab altero, quia primo mouet. Ergo poterit mouere totum, absque hoc quod ab altera parte moueatur. Dato autem hoc possibili, ad quod nullum sequitur impossibile, sequitur intentum, scilicet quod in eo quod à se mouetur, datur aliquid mouens, & non motum. Tertia est fere similis. Demus quod ista pars primo moueat, vel ergo erit immota, vel seipsam mouebit, nā per accidens est, quod ab alio moueatur. Si est immota, habemus intentum. Si seipsam mouet, & sine ea non est motus, totum non mouebit seipsum, quia vtraq. pars se inuicem mouet, quod est contra suppositum. Quarta. Si partes se inuicem mouerent, idem esset actu, & potentia. Probatur, quia vt mouet est actu, vt mota, in potentia.

In tex. 42. reijcit alium modum dicendi, scilicet quod totum seipsum moueat, quia eius pars, aut aliquæ partes eius seipsas mouent. Hoc sic reprobat. Nam si totum se mouet, aut hoc facit ratione partiū, quia pars aliqua primo se mouet, & inde totum se mouat, vel hoc habet ratione propria quia, scilicet totum se mouet. Si primum, pars illa diceretur primo se mouere, & seorsum posita se mouebit, totum autē amplius non se mouebit, nos autem quærimus modum quo totum se moueat. Si secundum, cum id quod toti conuenit, per accidens conueniat partibus, & quod alicui per accidens conuenit ab eo separari possit sequitur, quod vna pars, vel plures se moueant falsum esse. Secundo. Si totum diceretur se mouere, quia pars se mouet, tunc totum à se, & à parte diceretur moueri, verbi gratia compositum ex anima, & corpore, & à se & ab anima, diceretur moueri. At hoc est falsum, quia vnius motus vnus est per se, & proximus motor.

In tex. 43. incipit ostendere quomodo

partes mouentis seipsum se habeant in motu. Ait ergo quod id quod seipsum mouet, duplici parte per se, & necessario constat. Prima quæ mouet immota, altera quæ mouetur, sed aliud non mouet. Nam duplex est mouens, idest mouens immotum, & mouens motum, & ita duplex est mobile, scilicet mobile tantum, & mobile mouens aliud. Ad motum ergo mouentis seipsum, opus est tantum parte mouente immota, & parte mota non mouente, & si moueat, erit per accidens. Subdit, quod hæ duæ partes, scilicet mouens, & mota se debent tangere, aut saltem vna alteram tactu corporeo, vt se tangunt ambo, neruus mouens, & caro mota, & non tantum vt intelligentia tangit cælum sua virtute, & non tangitur à cælo. Hinc concludit quod cum mobile sit continuum, non aliter dicendum erit se mouere, nisi quia ratione vnius partis mouet, & ratione alterius mouetur.

In tex. vero 44. mouet quandam dubitationem circa premissa, & eam soluit. Dubitatio est, quomodo possit esse verũ, quod in eo quod mouet seipsum detur pars mouens, & pars mota. Nam demus talem magnitudinem puta. A. B. & A. sit pars mouens, & B. pars mota, & A. & B. sint partes diuisibiles, modo diuidatur A. & B. & sumatur magnitudo composita ex parte. A. & ex parte. B. talis magnitudo mouebit seipsam. Ergo. A. B. non erat prima quæ seipsam mouebat. Quod autem illa seipsam moueat patet, quia si B. mota erat, quælibet eius pars erit mota, & similiter de. A. si autem hoc verum est sequitur, quod si pars quæ remanet se moueret, posset iudicari primum mouens se, & non totum. A. B. nam primum se mouens nõ includit aliquid primo se mouens, alioquin esset primum, & non primum, nec debet se per partem primo motam mouere. Respondet autem huic difficultati, negando quod id quod superest se moueat, quia quamuis sit in potentia diuisibilis, tamen hæc potentia Physice non est ad actum reducibilis, cum permanentia totius, sicut animal potest diuidi in duas partes, si tamen in eas diuidatur, nõ mouebitur motu animalis, quia datur minimum in viuentibus. Hinc concludit conclusionem principaliter intentam scilicet quod datur primus motor immobilis, in quem resoluitur id quod dicitur se mouere. Qui primus motor est. Est primus vel absolute, vel in animali, quod ex se mouetur.

Circa supradicta autem quædam digna annotatione hic veniunt obseruanda. Primo ergo notandum venit circa id quod dictum est, in textu, quod primus motor magis mouet, quam secundus, quod hoc bifariam intelligi potest. Primo vt ly magis idem sonat, quod independentius, vniuersalius, & virtuosius, & sic verum est, vnde cęlum, & Sol generant viuentia, non accipiendo virtutem ab eis, & dando illis (vni, & multis) tollendo impedimenta multa, & causando cõcursum multarum causarum. Secundo vt ly magis idem sonat quod immediatius, immediatione suppositi, & proprius, & sic hoc falsum est, quia homo generat hominem immediate, immediatione suppositi, & non sol, & ab homine, homo genitus homo dicitur, & non à sole, vnde in primo sensu loquutus est Philos.

Secundo notandum venit circa tex. 34. in quo dicitur, quod in infinito non datur primum, quod hoc verum est sumendo infinitum per modum infiniti, & vt infinitum est, non vero si sumatur secundum aliquam eius partem, & cõsequenter per modum finiti, vt si in infinito tempore acciperetur dies hodierna, & compararetur ad hesternam, vt ad priorem, & ad sequentem vt ipsi posteriorem. Dicitur autem ibi in mouentibus, & motis non esse processum in infinitum, quod est verum in necessario sub ordinatis vt septimo huius scientiæ diximus.

Tertio notandum circa ea quæ dicit in tex. 35. scilicet quod omne mouens mouet aliquo scilicet seipso, vel alio, quod tunc de motore corporeo mentionem facit, & de eo plura exempla adducit, vt ex notitia eius ascendamus ad motorem, qui non solum mouetur seipso, verum etiam alia seipso mouet immotus. Primum autem absolute inter mouentia mota est cęlum, & primum mouens immotum erit intelligentia, de qua infra ab hoc autem primo quadrupliciter sub eo collocata pendent. Primo quo ad esse, vt tradit Arist. 1. de cælo tex. 100. dum dicit quod à primo omnibus tributum est esse, his quidem clarius, his autem obscurius. Secundo

cundo quo ad conseruationem in quo sen su Auerroes in 41. cap. de substantia orbis affirmauit, quod si cælum quiesceret, mundus totus dissolueretur. Tertio quo ad actionem, & motũ, vt hic probat Arist. & in 1. Meteororum testatur, quod est necesse mortalem orbem superis lationibus esse continuum, vt omnis eius virtus ab illis gubernetur. Quarto quo ad ordinem, & sic dixit Arist. nono Metaphysic. quod nisi darentur separata à materia, non daretur ordo. Quod autem affirmant Peripatetici non producere causam primam effectus distantes nisi per causas me dias, & proximas, intelligunt Theologi, quando prima causa naturaliter agit, & iuxta ordinarium cursum causarum, non vero quando supernaturaliter operari intendit, & secundum quod suæ absolutæ potentiæ placet.

Quarto venit notandum circa id quod dicitur in tex. 36. scilicet, quod ex veris concluditur verum, intellige posterioristice, & si propositiones debite subsumãtur. Et scias etiam vnam esse veritatem, & ex parte veri vnum verum non esse formaliter magis verum quam aliud, quia veritas formaliter consistit in indiuisibili. At materialiter, & ratione subiecti, vnum ens dicitur magis verum alio, idest magis conforme alicui regulę, & mensuræ inuariabili. Ita est vna falsitas, sed plura falsa, magis, & minus, prout magis & minus recedunt à vera regula, vel mensura. Quod dixerim contra Stoicos, asserentes omnia æque esse falsa, & peccata omnia esse æqualia.

Quinto circa textum 37. nota quod ibi Arist. tradit hanc regulam. Datur tertium quod solum mouetur, verbi gratia lapis, datur medium, quod mouet, & mouetur, verbi gratia baculus, qui mouet lapidem, & mouetur à manu. Ergo consentaneum est rationi, quod detur primum, quod solum moueat, & non moueatur, ita vt sit immobile. Circa autem hanc regulam varij sunt modi dicendi. Nam Simplicius eam probabilem censet, sed non necessariam. Auerroes sustinet eam esse necessariam in oppositis positiue, quia si datur vnum illorum in rerum natura, oportet, & reliquum reperiri. Alij iudicant propositionem esse veram ratione medij, quia mediũ debet esse medium inter duo extrema. S. D. idem annuit, quod scilicet si datur medium compositum ex duobus, & reperitur vnum illorum seorsum ab alero, ergo & aliud potest reperiri, & sic ab hoc exordiri dicitur Arist. Alij autem addunt hoc esse necessarium propter perfectionem vniuersi, & necessitatem graduum eius, quia si datur id quod solum mouetur, & id quod mouet, & mouetur, dandum erit etiam mouens tantum, & tanto magis cum hoc faciat ad perfectionem vniuersi, scilicet habere primum mo torem immobilem, idest agentem solum, & non patientem.

Sexto notandum venit circa text. 38. quod aliud est loqui de primo motore mouente seipsum, idest non moto ab alio, & aliud de primo motore omnino immobile. Primum enim potest esse compositum, ex parte mouente, & mota, & consequenter corporeum, & tale erit corpus animatum, ab anima motum. Secundum vero erit incorporeum, & ad hunc vsque modo non peruenit vt supra annuimus, sed ex dictis perueniet.

Septimo notandum est circa text. 39. quod esse ex accidenti, non est idem quod esse per aliud, quia omne per accidens est per aliud, sed non omne per aliud est ex accidenti, seu per accidens, quia omnis effectus est per aliud, idest per causam, & passiones per subiectum, & tamen sunt per se, & non per accidens, vnde ly per aliud idem sonat quod per se, sed non primo.

Octauo notandum venit circa tex. 40. in quo Arist. dixit, idem non potest mouere, & moueri, esse in actu, & in potentia, & addit (quæ necesse est habere motorem vniuocum) per motorem autem vniuocum. S. D. cum Scoto 2. Sententiarum dist. 2. quæst. 9. & Greg. distinct. 6. quæst. 1. intelligunt motorem proprium, distinctum à motore æquiuoco, quia in eo non est absurdum, quod se moueat, & moueatur, vt quod aqua calida reddat se frigidam, elementa se moueant de loco ad locum, mens, sensus, & imaginatiua in se duas actiones producant. Nam per mouentem vniuocum, corporeum motorem intellexit, vnde motores incorporeos, vt mentem &c. æquiuocos motores esse intellexit, & ita etiam corporeos motores, sed simplices, & homogeneos, qui non di-

uiduntur in partem mouentem, & motam realiter, quare oportet vt motor diuidatur realiter à remota; in continuis enim homogeneis non apparet hæc distinctio.

Circa tex. 41. nono loco obseruandum venit, dum Aristot. dicit non esse necessarium, quod motor corporis moueatur, verbi gratia anima ad motum corporis. Hoc quidem non esse necessarium stat dupliciter. Primo absolute, & hoc verũ est, quia ipsa secundum se considerata, non habet moueri, sed mouere, vnde separata agere potest sine corpore. Secundo ex suppositione quod sit in corpore, & sic necessario mouetur ad motum corporis, quia est eius pars, moto autem toto, necessario etiam partes mouentur.

Decimo notandum venit circa text. 42. quod quamuis Eudemus, Auerroes, Themistius, & alij plures modos mouendi se distinguant, tamen sunt ex accidenti, vnde modi per se sunt tantum duo, scilicet quod totum se totum moueat, & quod pars immobilis alteram moueat.

Vndecimo nota circa text. 43. & 44. quod primum se mouens potest esse multiplex. Primum dicitur absolute, & simpliciter primum se mouens, & hoc est suprema sphæra. Secundum dicitur primũ se mouens vt totum subsistens, & hoc est animal. Tertium dicitur primum se mouens inter membra corpus animati, & hoc est cor, quod est illud quod primo viuit, & vltimo moritur. Quartum dicitur primum se mouens instrumentale, & hic est calor, idest spiritus cordis, qui per imaginationem primo excitatur. Quintum dicitur primum mouens, animal instrumentale in motu progressiuo, & tale dicitur pes dexter, qui est ille qui primo mouetur.

D V B I A.

SEd dicta ab Arist. non vacant dubijs, & ideo circa quædam eorum difficultates moueo.

Primo ergo dubitatur contra id quod dicitur in tex. 33. scilicet, quod primum mouet & non mouetur. Contra. Omne agens agendo repatitur, verbi gratia baculus repatitur a manu cum mouente, & modo aliquo contra mouetur. Ergo falsum est, quod detur primum mouens, seu augens, & non motum.

Respondetur, discrimen esse inter moueri, & repati, nam primum dicit aliquã remissione actionis, quando fit cum resistentia mobilis, quod verum est. Secundum vero dicit motum in passionem sine actione, idest moueri, & non mouere, & hoc est quod negamus in primo, dicentes quod mouet, & non mouetur.

Secundo dubitatur contra id quod in eodem textu dicitur, quod quia prima causa potest operari sine secunda, sed nõ econtra. Nam sol, qui est prima causa non potest generare hominem sine homine, quia est secunda causa, nec homo sine manu proijciet lapidem.

Respondet, quod duplex est actio. Prima dicitur communis vtrique causæ, scilicet primæ & secundæ, vt exempla dubij probant. Secunda dicitur propria primæ causæ, vt est illuminare aerem in Sole, vel se mouere de Oriente in Occidentem in cælo, & de hoc dictum est, quod prima causa potest operari, scilicet propria operatione sine secunda, non vero econtra quia homo non generabit hominem sine Sole, & cælo.

Tertio dubitatur circa exemplum allatum ab Arist. text. ad declarandum esse motorem qui seipso mouet, & alio. Nam exemplificauit de vento qui seipso mouet, & per lapidem euellit plantam. Contra enim stat quod ventus non potest dici mouere seipso. Nam quod seipso mouet; primo se mouet. At ventus non primo se mouet, quia hoc est proprium tantum viuentium, ergo exemplum falsum est; Maior, & minor sunt Arist. supra.

Respondet Auerroes, Arist. assumpsisse tale exemplum ad ostendendum aliquẽ motorem seipso, & alio mouere, quoniam sic nobis videtur clarum in vento, non tamen quod ita sit. Sed hoc non placet, quia sic Arist. viros inxpertos deciperet, & non doceret. Respondet igitur, quod primum mouens dupliciter dicitur. Primo simpliciter, & sic duo requirit. Primum quod moueat seipsum, & secundum quod sine medio moueat aliud. Secundum dicitur secundum quid, & hoc tantum dicit mouere aliud sine medio. Argumentum procedit de primo, & exemplũ currit de secundo, vnde sensus Aristot. est, quod

quod ventus potest seipso idest immediate mouere, & mediate, vt dum per lapidem euellit plantam.

Quarto dubitatur circa id quod dicitur in textu 36. scilicet quod illud quod accidit, seu est per accidens caret necessitate, & potest non esse, quod etiam affirmauit primo Physic. textu 28. & 1. Post. Sed contra est primo, quod priuatio est principium per accidens, & tamen necessarium ad generationem. Secundo, quia vna passio de alia prædicatur per accidēs, vt risibilitas de disciplinabili, & tamen in homine necessario coniunguntur. Tertio, quia datur accidens inseparabile, vt est albedo in cigno & nigredo in coruo, & hoc quidam necessarium est.

Respondet primo Alpharabius, quod necessarium est duplex. Primum dicitur necessarium secundum essentiam, & speciem, & huic per accidens coniungitur accidentaliter, & sine eo potest esse, vt coruus secundum essentiam sine nigredine &c. Secundum dicitur necessarium ex suppositione, vt quod vna passio ex alia oriatur, vt quod nigredo fluat ex principijs indiuidualibus coiui, & sic facta tali suppositione non potest abesse. Primo autem modo locutus est Aristot. hic. Et hæc responsio bene intellecta est vera, & Porphiriana, vnde patet ad secundum & tertium, primum vero arguit necessitatē priuationis in fieri, vt ostendimus primo Physicor.

Quinto dubitatur contra id quod dicitur in tex. 37. scilicet tria esse necessaria ad motum, scilicet motor, mobile, & motor motus, idest id quo motor mouet. At hoc videtur falsum in intelligentijs mouentibus orbes, nam in hoc motu solum duo sunt, scilicet motor, & mobile, non vero medium, quod moueat, & moueatur.

Respondetur quod motus bifariā considerari potest. Primo in vniuersali. Secundo in particulari, pro hoc, vel illo motu. Ad primum, tria dictum, est esse necessaria, non quidem in omnibus; melius dicitur, id esse verum in medijs mouentibus, quæ mouent, & mouentur.

Sexto dubitatur circa eundem text. in quo dicitur, quod mobile moueat. Contra instat Macrobius. Mobile est corpus, quod de loco ad locum transit. At tunc mouet aerem, & superficiem, ergo mobile mouet.

Respondetur quod mouere hic sumitur pro applicatione virtutis ad mouendum; modo dum corpus mobile vltimo mouetur, non applicat suam virtutem ad mouendum aerem, vnde ille motus est fere per accidens.

Septimo dubitatur circa id quod pariter affirmatur in eodem tex. Nam in hoc laudat Anaxagoram, dum dixit, mentem solam non esse in illo magno Chaos permistam, sed separatam, vt ei præesset, & dominaretur, & immobilis manens esset principium motus. Huic autem interpretationi obstat, id quod idem Aristot. 3. de Anima tex. 4. dixit de eodem Anaxagora, scilicet ipsum posuisse mentem immixtam, ad hoc vt intelligeret.

Respondetur quod Anaxagoras propter duo posuit mentem immixtam, & separatam vt dicitur 1. de anima text. 5. scilicet ad hoc vt intelligat in intelligentibus, & sit principium motus in materialibus, primum autem hic tacuit, quia non faciebat ad eius propositum.

Octauo dubitatur contra id quod dicit in tex. 38. quod inconueniens est, quod mouens moueatur eadem specie motus qua mouet. Hoc autem videtur falsum, nam manus mouet baculum, & baculus mouet lapidem, & ventus lapides, eadem specie motus.

Respondetur quod hoc non est inconueniens in his quæ media sunt, idest mouent, & mouentur, sed bene in mouentibus principalibus, quæ mouent propria virtute, & in quibus est status.

Nono dubitatur contra id quod in eodem tex. affirmatur, scilicet quod in ordinatis essentialiter non potest dari processus in infinitum. Hoc enim videtur pugnare cum eodem Arist. ponente generationem æternam, & consequenter infinitam, & ideo necesse est, quod indiuidua sint infinita in tempore infinito.

Ad hoc dicitur, quod aliud est dicere, quod in generatione æterna indiuidua sint infinita, & aliud quod sint secundum se ordinata essentialiter, ita vt vnum sine infinitis præcedentibus non agat (de agere enim, & mouere est sermo) primum concedimus, sed non est contra nos, secundum autem est quod negamus.

Decimo

Decimo arguitur contra id quod Arist. dicit tex.41. quod non est inconueniens quod id quod mouetur, per accidens possit mouere se, sed per se, non valet se mouere. Nam respectu vtriusque sequitur idem inconueniens, quod idem respectu eiusdem, erit simul in actu, & in potentia.

Respondetur disparem esse rationem, quia quod est ex accidenti, per aliud est, & ideo non dicit diuersam contradictionem, quæ est per se oppositio eiusdem de eodem, secundum idem, & eodem modo, quod fit in eo quod mouet se, secundum se.

Vndecimo dubitatur contra id quod in tex.44. autumat Arist. scilicet, quod quiescente toto, potest quod superest, idest pars moueri. Hoc enim contradicit eidem Arist. 7. huius tex.2. vbi ait, quod quiescente parte, necesse est totum quiescere.

Respondet Alexander, quod pars bifariam considerari potest. Primo vt coniuncta est toti. Secundo vt est ab eo separata, vt patet in parte abscisa lacertæ, vel plantæ, quæ si quiescant, idest non moueantur, quod superest, idest totum quod remanet, potest se mouere. De parte primo modo locutus est in septimo, & de ea in secundo sensu hic. Sed hæc responsio videtur pari difficultatem, etiam in parte toti coniuncta, quæ potest quiescere toto moto, vt patet in lacerta mouente solum extremam caudam. Sed dicitur, quod Arist. hic considerauit partem vt potest habere rationem totius; & sic se mouere. In septimo vero eam considerauit, vt habet vnionem mouentis, & mobilis, nam sic est impossibile, quod mouens moueat, & mobile non moueatur.

CAPVT VI.

LECTIO.

S. D. 12. & 13.

POstquam Phil. ostendit, quod in mouentibus non est procedere in infinitum, sed est deueniendum ad vnum primum mouens, hic intendit ostendere, quod ponendum est vnum primum mouens incorruptibile, quod non moueatur, nec per se, nec per accidens, vt mouetur anima in corpore animato, ab ea moto. In tex. ergo 45. proponit, quod intendit, sic arguendo. Motus secundum iam dicta est æternus, & habet motorem. Ergo necessarium est quod motus æterni, motor sit æternus, & quod sit immobilis, quia est primus motor, non ab alio motus, quia in mouentibus non est procedere in infinitum.

In textu vero 46. dixit ad rem præsentem non facere, an omnis motor immobilis sit æternus, sed bene ad institutum suum iuuabit manifestare, quod datur vnus primus motor immobilis omnino, ita vt non moueatur (externo motu, non interno vt est intelligere) nec per se, nec per accidens. Hoc probat. Perpetuus motus generabilium, & corruptibilium sub generatione, & corruptione non potest esse ab aliquo mouente particulari, quia hic non semper est, Motus vero generationis, & corruptionis est semper, nec potest esse ab omnibus, nam hi motores erunt infiniti, & non omnes simul; ergo nec possunt simul causare. Ergo deueniendum est ad vnum perpetuum motorem, qui perpetuo moueat, vt causa correspondeat effectui.

In tex. autem 48. ostendit hunc motorem perpetuum esse tantum vnum sic. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene, quia natura abhorret superfluum, & vitat in ordinatũ. Sed æque bene fieri potest, quod detur tantum vnus primus motor perpetuus, ac si darētur mille, & mille motores perpetui. Ergo dicendum est quod tantum sit vnus primus motor perpetuus.

In tex.49. idem probat alia ratione sic. Motus semper est, & continuus, ergo erit tantum vnus primus motor, & vnum primum mobile. Antecedens supponitur ostensum. Consequentia probatur, quia continuus motus, & perpetuus oportet vt sit à continuo, & perpetuo mouente, tales autem non possunt esse motores particulares.

In tex.50. postquam Philos. perpetuitatem primi motoris, ex perpetuitate generationis, & corruptionis animaliũ mouentium seipsa ostendit, modo idem intendit ostendere comparando adinuicem motores immobiles animalium, cum motore primo absolute, & in summa ratio

sic

sic conficitur, elicita non solum ex text. 50. sed etiam 51. Quod aliquo modo ab alio mouetur, non potest dici omnino immobile, & perpetuum. Sed animalia de quibus dictum est supra quod seipsa mouent, ab alio quodammodo mouentur. Ergo cum dandum sit vnum perpetuum mouens, hoc non erunt animalia. Maior est manifesta, minorem probat, quia ista mouentur motu locali, & antequam ad terminum motus localis perueniant, mutantur prius alijs motibus extrinsecis, puta alteratione augmentatione, alimentationis, & excitationis, vlterius in ipsis pars quæ mouet, per accidens mouetur, vnde animal non est omnino immobile.

Et quamuis intelligentiæ inferiores orbes mouentes videantur moueri per accidens, cum suis orbibus, sicut mouetur anima cum corpore, non tamen sic est. Quia anima mouetur, vt pars corporis, & vt illud informans, non sic intelligentia, quæ non est forma, nec pars orbis, vnde dicitur solum moueri non cum alio, sed in alio, quia, scilicet orbis mouetur.

In tex. 53. ostendit mobile quoque esse vnum primum, & vnus primus motus, & ratio est. Quia vnus motor perpetuus, & vniformis, oportet habere vnum mobile sibi vniforme. Tale autem dicetur primum, per quod causat diuersitatem in inferiori.

Circa supradictos autem textus plura veniunt notanda. Notandum est primo, quod Philos. in text. 45. ex motu æterno deducit motorem æternum, sed cum his conditionibus. Prima, quod sit vnus, nam si multiplex esset, & sine dependentia vnius ab altero, non esset primus, cum primus dicat ordinem, & respectum ad sequentes. Secunda, quod sit continue mouens, idest sine intermissione, per quam conditionem excludimus motum animalium, quia eius principium, scilicet anima sicut est principium motus, ita est etiam aliquando principium quietis. Tertia, quod correspõdeat vni mobili adæquate, nam causa adæquata, effectum adæquatũ habet, & ideo cum nullum mobile particulare possit motori vniuersali correspondere adæquate, dicendum venit, quod detur vnus primus motor. Quarta est quod sit immobilis, quæ conditio implicite deducitur. Primo, quia primus motor perpetuo mouens, nõ potest ab alio moueri, si enim est primus motor, non habet à quo moueri possit, & si perpetuo mouet, moueri non poterit, cum idem non possit esset in actu, vt mouens, & in potentia, vt mobile, & esse sub rationibus contrarijs, idest mouere, & moueri in eodem tempore, cum detur semper mouens. Secundo deducitur, quia si est motor æternus, non erit mobilis, quia sic daretur aliquod instans in quo non esset motor.

Secundo notandum venit circa tex. 46. quod omnia quæ sunt, à primo motore dependent. Primo in esse, quia vt dicitur primo de cælo, esse omnibus tributum est à primo, & secundo Metaphys. Nisi essent substantiæ separatæ nihil esset. Secundo in conseruatione, vt habetur secundo de cælo tex. 17. vbi dicitur, quod opus Dei est æternitas, & quod si cælum desineret moueri, cuncta confunderentur. Tertio in operatione, quia primo cessante à motu, omnia alia à motu cessarent, quia secunda mouentia, non mouentur nisi mota à primo. Quare primus motor non solum dicitur causa omnium ordinatorum secundum se, sed etiam ordinatorum ex accidenti, quia omne per accidens, reducitur ad id quod est per se, cum & hæc habeant suam causam.

Tertio notandum venit, quod Arist. in tex. 47. negat numerum infinitum in materialibus, & in immaterialibus, per ea quæ natura sunt includendo etiam immaterialia, quoniam & ipsa sunt subsistentia, & non arte conficta. Nec per hoc S. D. est contrarius sibi dum 2. contra gentes cap. 81. dixit, Aristot. non probare repugnantiam infiniti nisi in materialibus, non vero in immaterialibus, quia loquitur de Arist. hoc probante ex professo, sicut facit in 3. Physicor. non hic, tenet tamen secundum veritatem non posse nec etiam dari potentia Dei ordinaria infinitum in immaterialibus, de qua re diximus satis in tertio.

Quarto notandum est circa tex. 51. & 52. quod anima dicatur moueri per accidens stat dupliciter. Primo vt ly per accidens significat rem motam, & nõ causam motus, nam sic anima dicitur moueri causaliter per se, quia est propria, & per se causa motus, Physici corporis. Secundo vt idem sonat quod per aliud, & ita verum est,

est, quod anima quæ est motrix in animali per se, mouetur per accidens, idest per corpus, quia motis nobis, moueantur quę sunt in nobis, dum pendent à nobis, vt facit anima dum est in corpore. Et hoc modo dicitur crescere extrinsece per corpus, dum corpus crescit, ita dicitur dormire, vigilare, currere, & fiare per aliud, idest per corpus, non quod hæc formaliter redundent in animam, sed quia sequitur pro hoc statu dispositionem corporis, in actionibus coniuncti, quod expressit hic Arist. dum dixit, animam non solum moueri motu locali per accidens, sed etiã alijs motibus.

Quinto notandum venit ex text. 53. quod motores sunt in triplici differentia. Nam vnus est primus motor, alij sunt motores orbium, & alij animalium mortalium. Hi autem distinguuntur. Primo in viuere, & vita, quia primus est perpetuus, & independenter. Motores orbium sunt perpetui, sed dependenter, motores vero mortalium corporum, idest animæ, si eductæ sunt de potentia materiæ, subiectæ sunt interitui, si vero à deforis veniat, vt anima intellectiua, ipsa manet, sed mouere, & viuificare corpus desinit. Secundo differunt, quod primus motor non mouetur vllo modo ab alio, nec per accidens, nec per se; motores vero orbium secundum Auerroem mouentur ab alio, idest à primo motore, non tamen vt partes orbium, sicut mouentur animæ animalium. Vel secundum alios motores orbium dicuntur moueri ab alio, sed non ex accidenti, cum non dependeant ab orbibus, at motores animalium dicuntur moueri ab alio, quia nõ sunt primi motores, & ex accidenti, quia dependent à corpore. Tertio differunt, quia primus motor nullo motu mouetur ab alio, nec vt ab efficiente, nec vt à fine, motores vero orbium per se mouentur, & tantum à primo motore, mouente per modum amati, & desiderati, vt scilicet ei assimilentur, at per modum causæ efficientis à primo motore mouentur quidem, sed & ipsi vt proprij motores mouent. Motores vero animalium mouentur à primo motore, vtroque modo, sed per motores orbium, quia primus motus descendit per inferiores orbes, & eius causalitas. Quarto differunt, quia primus motor, & motores orbium semper mouent, & motu vniformi, & regulari, non sic motores animalium. Quinto differunt, quod primus motor immediatione virtutis, & suppositi dicitur mouere omnia quæ ab alijs motoribus mouentur, at motores orbium immediatione suppositi non mouent nisi suum orbem, & motores mortalium mouent immediatione virtutis in suo ordine, & suppositi in suomet genere.

Sexto notandum venit, quod Arist. dicit mundum esse cõtinuum Deo, per continuum autem duo possumus intelligere. Primum est indiuisibilitas in actu, vt illud dicatur continuum, quod est indiuisum in actu, sed diuisibile in infinitum in potentia, quod continuum dicitur quantitatiuum. Secundum est dependentia, & nexus inter mundum, & Deum, quod dicitur continuum per causalitatem, & dependentiam, & hoc modo dicitur mundus Deo continuus, quo pacto etiam dixit primo Meteororum, oportere mũdum mortalem esse continuum superis lationibus.

Septimo notandum est etiã quod mundus ab Academicis dictus est imago sensibilis, insensibilis Dei, & filius Dei, quia ab alio quam à Deo produci non potuit. Dicitur autem similis Deo. Primo in vnitate, quia Deus est vnus, & mundus est vnus, & si non infinitus, vt est Deus, sed finitus. Secundo in continentia, quia mundus omnia creata continet, vnde hoc vniuersum dicitur quasi omnia in vnum versa, Deus etiam omnia continet, & si mundus contineat quodam ordine superioris, & inferioris, & quibusdam gradibus generabilibus &c. at Deus omnia continet formaliter, quo ad ea quæ simpliciter dicunt perfectionem, & eminenter causaliter, quo ad ea quæ dicunt secundum se imperfectionem, vnde Deus dicitur intelligens formaliter, & lapis eminenter, & causaliter. Tertio vtrique tribuitur conditio sphęræ, & circuli, ideo dicitur Deus sphęra immobilis, & circulus, cuius centrum est vbique, quia in omnibus rebus est per essentiam, præsentiam, & potentiam, cum hoc, quod sicut omnia ab eo sunt effectiue, ita ad eum tendant tanquam ad eorum finem. Quinto in permanentia, quia vterque dicitur permanere, quamuis Deus omnino permansurus sit, mundus vero quo ad substantiam, quo

vero

vero ad multa accidentia nequaquã. Sexto ambo dicuntur esse in se, vnde Arist. hic dicit, Deum manere in se, & ita mundus, quatenus nullo sui generis eget. Septimo dicitur esse in alio. Deus in vniuerso per imensitatem, & mundus dicitur secũdum imaginationem esse in quodam interuallo vacuo re solida, vel melius in seipso, per partes in quibus intelligitur esse, vel in Deo, vt effectus in sua causa. Octauo in perfectione, quia Deus est perfectus omnino, & simpliciter, & mundus in genere creatorum.

Octauo notandum venit circa illã propositionem in tex. 53. assumptam. Si motor est æternus, mobile est æternum, quod talis consequentia non est absolute vera de omni mouente, sed vera est ratione materiæ de qua erat sermo, vnde non inficitur talis consequentia, dicendo non currere, quia anima nostra est motor æternus, & tamen mobile, idest corpus est corruptibile. Nam primo dicimus animã non mouere corpus immediate, sed mediante phantasia, corde, & spiritibus, quæ sunt entia corruptibilia. Secundo, quia anima non dicitur motor corporis æternus, quia non mouet ipsum æternaliter, sed temporaliter, quamuis in se dicatur æterna, idest immortalis. Tertio, quia eius actus non est æternus, & vniformis, quia varia intelligit, & vario modo.

QVÆSTIO XII.

Vtrum necesse sit esse vnum primum ens immobile principium omnium entium.

Videtur quod non. Primo. Nam nihil pertinens ad genus quantitatis ponendum est in eo, quod est ab omni quantitate remotum, vt est primum principium. Sed vnum est de genere quantitatis, cum ponatur principium numeri. Ergo non possumus dicere esse vnum primum ens immobile, principium omnium entium.

Secundo. Ab vno semper eodem modo se habente non potest immediate procedere multitudo entium. Sed à primo principio procedit immediate multitudo entium. Ergo non potest esse vnum primum principium immobile. Maior est Aristot. hic, vbi dicit. Immobile quidem enim eundem semper mouebit, eodem modo, & vnum motum, velut, nihil ipsum mutans, ad id quod mouetur. Minor est nota.

Tertio. Si hoc esset, esset quia non potest dari processus in infinitum in mouentibus motis, quia si daretur non reperiretur primum mouens, & si non esset primum mouens, nec essent secunda mouentia, quoniam hæc mouent mota à primo vt argumentatus est Aristot. Sed hæc ratio fallax est, quia supponit id quod est probandum. Nam si in mouentibus, & motis esset processus in infinitum primum non esset causa secundorum.

Quarto. Articuli fidei demonstrari nõ possunt. Sed esse vnum primum principium visibilium, & inuisibilium continetur in primo articulo fidei. Ergo hoc vt verum, & necessarium, non poterit demonstrari, vt hic facit Arist.

Quinto. Quo magis bona multiplicantur in vniuerso, eo amplius ipsum faciũt perfectum. At esse vnum principium dicit bonum. Ergo esse plura principia dicit plura bona. Ergo melius erit esse plura principia. Quam vnum tantum.

Sexto. Minor mundus idest homo secundum Aristot. hic text. 17. assimilatur maiori mundo. At in minori mundo idest inter homines multi sunt principes absoluti, ergo & in superiori, & ita non erit vnum primum.

Septimo. Si daretur vnum primum principium, aut dominaretur dominio dispotico, aut politico; Si dispotico, tollitur libertas hominum, quia tale dominium est domini in seruos absolute. Si politico, non esset causa, & principium motiuum inuariabile, quia tali dominanti potest fieri resistentia, & inobedientia.

Octauo. Quod affirmatur de motu, affirmandum quoque est de mobili. Sed de motu affirmat Aristot. hic 1. de cælo, & mundo, & 12. Metaphys. eum esse æternum, nec fieri, nec corrumpi, & consequenter non habere causam effectiuam. Ergo nec cælum, nec eorum motores. Minor vt diximus est Arist. Maior probatur, quia motus subiectatur in cælo.

Nono. Ingenitum, & incorruptibile, quæ contra genitum, & corruptibile ponuntur, nullo modo possunt non esse, vt

asserit Arist. primo de cælo tex.120. 122. & 124. Sed entia incorruptibilia sunt ingenita. Ergo non possunt non esse. Ergo horum causa non poterit esse primum principium idest Deus.

Decimo Arist. 2. Metaphys. tex.4. expresse dicit quod prima principia corporum cælestium, quæ sunt intelligentiæ non habent causam. Ergo primum principium horum non erit causa.

Vndecimo. Idem Arist. 5. Metaphys. tex.6. affirmat esse multa necessaria, quæ nullam causam habent. Ergo.

Duodecimo. Substantiæ quæ nullam potentiam passiuã habent sunt suum esse, nec illud habent ab alio per participationem, quia sic esse esset actus & essentia, potentia. Sed substantiæ separatæ nullam in se habent potentiam passiuam secundum Arist. 12. Metaphysicor. tex.30. Ergo &c.

Decimotertio. Aristot.12. diuinorum postquam concludit dari substantiam, sine magnitudine impassibilem, & inalterabilem, mouentem tempore infinito, & infinitæ virtutis, in tex.42. mouet difficultatem, an hæc substantia sit vna, vel plures, & in text.43. determinat esse plures. Sed substantiæ infinitæ virtutis hoc habent, quod vna non dependet ab alia, per eundem. Ergo.

Decimoquarto. Illud quod intrinsece est necessarium, ab alio non habet esse effectiue. At intelligentiæ sunt entia in se intrinsece formaliter in corruptibilia, & necessaria. Ergo non habent esse à primo principio. Minor est Arist.9. Metaphys. tex.21. & 22. & 12. eiusdem tex. 41. 42. & 43. Maior probatur, quia quod ab alio est, & fit, potest non esse.

Decimoquinto. In æternis, & perfectis idem est esse, & posse esse, quia in eis potentia non est distincta ab esse; At si perpetua à Deo sunt effectiue habent potentiam ad esse, & ad non esse. Ergo perpetua non sunt ab alio effectiue. Minor est nota, Maior est Aristot. 9. Metaphys. text. 18.

Decimosexto. Arist.1. Phys. text.54. ex communi Philosophorum sentẽtia deducit ex nihilo nihil fieri, & ideo esse in omni factione supponẽdam aliquam substantiam, quam materiam dicit. Ergo materia est improducta.

Decimoseptimo. Si totus mundus esset à Deo esset per simplicem emanationem, Sed hęc apud Arist. non datur, quia ea data ruit totus processus Philosophi, in hoc 8. facti, ad probandum æternitatem motus. Ergo &c.

Decimo octauo. Dum Aristot. causam effectiuam definit, eam per esse principiũ motus definit, vt patet secundo Phys. & quinto Metaphys. sed æterna non possunt esse producta per motum, quia quæ per motum producuntur non sunt æterna, vt patet ex dictis Philosophi in hoc octauo cap.1. & 2. Ergo primum principium non est causa effectiua totius vniuersi.

Decimonono. Si Deus producere has omnes, illas produceret per aliquan. actionem transeuntem in externam materiam, sed actio transiens non est in Deo formaliter, vt docent Theologi. Ergo &c.

Vigesimo. Quod conuenit alicui per essentiam, non ei conuenit ab alio, vel per aliud. Sed omnibus rebus conuenit esse talis naturæ per essentiam suam, vt quod homo per essentiam sit animal rationale. Ergo &c.

Vigesimo primo. Primum in vnoquoque genere, non est necessarium quod sit causa effectiua omnium eorum quæ sunt in illo genere, nam albedo quæ est primum colorum, non est causa effectiua omnium colorum, sed exemplaris, vel finalis. Ergo nec propter hoc quod Deus est primum principium, potest deduci quod sit principium effectiuum, & efficeerit omnes res.

Quoniam de efficientia mundi, & productione omnium creaturarum supra fuse egimus, ideo non erit hic multum laborandum in ponendis fundamentis, sed illico procedendum est ad probationem notæ conclusionis, omittendo quæ Phil. hic litteraliter dixit, & supra à nobis sunt explicata.

Conclusio igitur affirmatiua est. Datur vnum primum principium immobile. Quod est causa effectiua omnium rerum. Hæc ponitur contra Comment. & asseclas Comment. 41. 12. Metaphys. inter quos est Greg. de Arimino 2. dist. 1. Nam hi dicunt, quod vel loquimur de rebus generationi, & corruptioni subiectis, vel de incorruptibilibus, & sempiternis. Si de primis, concedunt Deum esse causam

sam effectiuam, & finalem omnium illorum. Si de secundis, affirmant eum esse tantum causam finalem, non vero effectiuam. Nos autem cum S.D. p.p. quæst. 44. art. 1. de pot. quæst. 3. art. quinto, secundo, contra gentes cap. 15. cap. 2. dist. 1. quæst. 2. conclus. 4. Caiet. p.p. quæst. 44. artic. 1. Soncinate 12. Metaphys. quæst. 16. Iauello quæst. 28. & omnibus modernis, tenemus Deum de mente Arist. & secundum veritatem esse causam finalem, & effectiuam omnium rerum corruptibilium, & incorruptibilium. Probatur. Ergo primo de mente Arist. Nam primo Politicorum cap. quinto ait, Deum fecisse omnia propter hominem, quod & affirmat secundo Phys. tex. 24. Item 2. Ysth. cap. 23. dicit Dæmones etiam esse opus Dei, & secundo de generatione tex. 59. asserit Deum omnia compleuisse, quibusdam dando æternitatem, & alijs continuam successionem in diuersis indiuiduis, & tex. 51. ait, tot principia in rebus sempiternis requiri, quot sunt in primis, idest in elementis nempe, materiam, formam, & efficiens. Et ad Alexandrum sæpe contestatur omnia esse Dei opera, cælum, terram, animantia, & omnibus vitam dare, regere, ac gubernare omnia, ac conseruare.

Secundo probatur ex octauo Phys. tex. 15. vbi reprehendens Democritum, & Empedoclem, opinantes nulli rei sempiternæ esse assignandam aliquam causam subdit. Quod autem in omnibus non recte, etenim trigonum semper habet duobus rectis æquales angulos, sed tamen ex perpetuitate huiusmodi altera causa. Patet ergo quod sempiternorum, idest corporum cælestium, & substantiarum separata facit aliquam causam.

Sed commentistæ tripliciter respondent. Primo quod ibi Arist. loquitur piternis complexis, idest propositionibus sempiternæ veritatis, non vero de incomplexis subsistentibus, vt sunt intelligentiæ. Secundo quod dato quod loqueretur de incomplexis, verificaretur non de causa effectiua, sed de finali. Tertio quod dato quod etiam loquatur de habente causam effectiuam, non tamen sequitur, quod de intelligentijs loquatur, sed de successiuis, vt est motus, & tempus. Sed contra primam responsionem stat. Primo, quod ibi loquitur expresse Aristot. contra Democritum de motu æterno, hic autem nō est quid complexum, sed incomplexum. Secundo, quia necessitas complexorum dependet ab existentia subiecti, & prædicati, quæ secundum se, & vt in rerum natura existunt sunt incomplexa, vnde ad primam radicem pergendum est. Contra secundam est primo, quod pro subiecta materia concludendum est ibi Arist. loqui de causa effectiua, quia propositiones ex quibus deducitur conclusio eam inferūt, per modum causæ efficientis, & non finalis. Secundo, quia habere tres in trigono, de quo ibi exemplificat Arist. nō prouenit ex causa finali, sed effectiua. Tertio, quia quæ habent causam finalem, habent etiam causam effectiuam. Nam definitio finis id explicat. Finis enim dicitur id cuius gratia aliquid fit effectiue. Contra tertiam responsionem est exemplum de triangulo, qui est res permanens, vnde si verificatur in successiuis, non redditur falsa in permanentibus.

Tertio principaliter ex Arist. 2. Metaph. tex. 4. sic scribit. Vnumquodque vero maxime ipsum aliorum dicitur, secundum quod & in alijs inest vniuocatio, vt puta ignis calidissimus, etenim est causa alijs sic caloris, quare est verissimum, quod posterioribus causa est, vt sint vera. At per eundem Arist. 12. Meth. tex. 37. Deus est maxime ens, & verum. Ergo Deus est causa omnium effectuum.

Respondent aduersarij, Deum esse maxime ens, & verum, sed non effectiue. Sed contra primo stat exemplum de primo calido, quod sicut primum calidū est causa omnium calidorum, ita & Deus omnium entium. Primum autem calidum est causa effectiua omnium calidorum. Secundo, quia si dicatur Deus causa finalis, erit & effectiua, vt supra. Tertio, quia si Deus est causa conseruatiua omnium, ergo & effectiua, quia ad eundem pertinent esse, & conseruare.

Quarto principaliter, ex eodem text. elicitur tale argumentum. Quod est tale per essentiam, est causa effectiua omnium aliorum, quæ sunt talia per participationem, vt calidum per essentiam, omnium participantium caliditatem. Sed Deus dicitur ens per essentiā, & bonus per essentiam &c. Ergo erit causa effectiua omniū aliorū, quæ sunt talia per participationē.

Quinto. Omne necessarium, aut est necessarium ex se, aut ex alio; sed Deus non est necessarium ex alio, ergo ex se. At Deus distinguitur ab omni alio, quod non est Deus. Ergo ista erunt necessaria ab alio. Maior est Arist. 5. diuinorum tex. 6. Respondet Ariminensis, Arist. loqui de necessario complexo, idest de propositionibus necessarijs, quæ sunt demonstrabiles conclusiones. At contra eum stant verba sequentia Arist. quæ sunt ista. Quare primum, & proprie necessarium quidem simplex, & communiter illa verba exponuntur de prima causa.

Sexto 12. Metaphys. cap. 2. docet Deum esse omnium causam, & principium, & tex. 38. ab eo dependere cælum, & naturam. Quæ verba si Auerroistæ voluerint exponere de causa finali, obstabit verbũ principij, & causæ, & dependentiæ nomen, & quia quæ habent causam finalẽ, habent etiam causam effectiuam. Et insuper, quod idem Arist. tex. 52. facit Deum causam ordinis vniuersi effectiuam, quod autem est causa passionis, est etiam causa subiecti, quia mutuo se consequuntur. Si igitur ordo vniuersi est passio vniuersi, & efficitur à Deo, ergo Deus erit quoque causa vniuersi.

Septimo. Vel intelligentiæ (de quibus est principalis difficultas) habent esse à se, vel à Deo. Si à Deo, habemus intentum. Si dicatur à se, ad quid referuntur ad Deum, vt ad causam finalem, vt dicunt contrarij. Nam ordinari in Deum, est in esse, motu, & conseruatione dependere à Deo, nec esse propter se. Sed propter Deum.

Octauo. Vel omnes intelligentiæ sunt æque perfectæ, vel non. Si primum, ergo nulla est subordinatio inter eas, & consequenter tollitur ordo mouentium, & mobilium, superiorum, & inferiorum, conceditur confusio possibilis inter eas, immo dissolutio totius vniuersi, si non concordarent ad inuicem. Si secundum, idest si non sunt æque perfectæ, & distinguuntur per esse magis perfectum, & minus perfectum, necesse erit, vt minus perfectæ dependeant in esse, in quo stat propria perfectio naturæ à primo perfecto, & summo omnium duce, Deo ipso.

Nono, per Arist. tertio Phys. Si daretur corpus infinitum hoc non esset nisi vnum quia contineret eminenter omnem perfectionem corporum At Deus est infinitum ens, cõtinens omnium entium perfectiones, vt dicitur hic tex. 62. Ergo non est nisi vnum. Cum ergo dentur plura entia, ab isto vno dependere, dicendum erit.

Ad primum dicimus, quod currit de vno de genere quantitatis, nos autem dicimus Deum esse vnum vnitate formali, & transcendentali.

Ad secundum dicitur, quod minor procedit de mouente de necessitate naturæ, Deus autem est primum mouens liberũ. Vel secundo dicito, quod concludit eum operari necessario, & eodem modo, ex suppositione, non absolute, vt docuimus supra. Tertio dicitur, quod multitudo prouenit immediate ab hoc vno, vt in causa, quia elegit cælum, vt agat ad plura.

Ad tertium diximus supra, nos negare posse esse processum in infinitum in mouentibus, quia secunda mouentia non mouent nisi mota à prima, vnde concludimus dari primum, & non supponimus, quia datur motus.

Ad quartum dicimus, quod articuli fidei non possunt à priori, & demonstratione potissima probari, sed bene à posteriori ostendi, & ex principijs naturalibus conuinci, apud eos qui ea concedunt. Secundo dicitur, cum S.D. p.p. quæst. 2. art. 2. quod Deum esse, est quoddam præambulum ad articulos fidei, præambula autem lumine naturali possunt probari. Sed adde, quod ponitur inter articulos, vt facit ipsum omnipotentem, creatorem &c. ad hoc vt sicut per rationem naturalem de hoc habemus aliquam euidentiam abstractiuam, non intuitiuam, ita per fidem de hoc habeamus omnimodam adhæsionem, & teneamus firmissimam sententiam.

Ad quintum dicendum, quòd maior valet quando illa bona sunt finita, & possibilia, modo Deus est infinitum bonum, & multa infinita bona esse non possunt, nec expedit, nec possibile esse plura prima principia.

Ad sextum primo dicitur, quòd inter homines vnus principatur, qui vices Dei in terris obtinet, idest summus Pontifex. Secundo dicitur, quod homo est similis maiori mundo quo ad hoc, quod anima in eo regit omnes potentias inferiores, sicut

primum principium omnia inferiora. Tertio dicitur, quod alia est ratio de homine, & alia de primo principio mouente, &c. Nam homines naturali ordine vniuersi non sunt adinuicē subordinati, sicut sunt omnia entia Deo.

Ad septimum dicimus, Deum dominari dominio dispotico, cui non licet resistere, nec possibile est, sicut manus nō potest resistere animæ eam volenti mouere. Sed per hoc non tollitur libertas quo ad potentiam liberam, & actum eius liberum, (& si tolli possit, & impediri quo ad executionem) nam quamuis dominium eius absolutum sit per independentiam, tamē participat de politico quo ad actiones, quia agit in omnibus causis secūdum eorum naturam, & conditionem, ita vt in liberis operetur libere, & in necessarijs necessario.

Ad octauum dicimus, Arist. negare motum fieri, &c. cum nouitate essendi, non sine nouitate essendi, vt supra est dictum.

Ad nonum dicendum, quod incorruptibilia dicuntur ingenita omnino per naturalem transmutationem, & motum, materiam supponentem, non vero quod non sint genita, & producta, per simplicem emanationem.

Ad decimumprimo dicitur, quod duo de intelligentijs ibi dicit Arist. Primum, quòd sunt principia, & causæ motuum cælestium. Secundum, quòd in eis non est processus in infinitum, vnde venitur ad primum independens, & causa aliorum. Dum ergo dixit intelligentias non habere causam, eas primo modo considerauit, idest, vt causæ sunt cælestium motuū, non dicuntur effectus, sed causæ, at secundo modo non negat immo affirmat ens dependere à primo principio. Alij dicunt, quod ibi accipitur plurale pro singulari, & sit sensus, quod primum principiū non habet causam, sed est causa omnium. Hoc autem sæpe Arist. fecit, dum de intelligentijs loquitur, vt patet 12. Met. tex. 30. & alibi, agit enim de eis, vt de vno genere tertio alij dicunt ibi non esse de causa absolute sermonem, sed de non habere causam ad esse in aliquo tempore, & in alio non, vnde est sensus. Intelligentiæ non habent causam, vt aliquando sint, & aliquando nō, sed ipsæ per motum sunt causæ, vt inferiora aliquando sint, & aliquando non sint. Alij dicunt, quod intelligitur quo ad motum. s. non habent causam, vt sint mobilia, sed ipsæ sunt causæ motiuæ. Alij dicunt, hoc non esse intelligendum positiue pro omnibus intelligentijs, sed non repugnanter pro aliquo superiori. s. pro Deo, qui nullo modo habet causam, prout etiam dixit idem Arist. 7. Met. tex. 41. quod in separatis à materiā, quòd quid est, idem est cum eo cuius est, hoc est natura, & suppositum, quod tamen nō est absolute verum, nisi in Deo ipso.

Ad vndecimum dicitur sicut ad decimum. sumit enim ibi plurale, pro singulari, & loquitur non repugnanter stando in primo, idest Deo.

Ad duodecimum dicitur ad minorem, quòd valet non repugnanter, idest, pro primo, idest Deo, qui est actus purus. Secundo dicitur, quòd duplex est potentia passiua. Prima dicitur propria, & est potentia materiæ. Secunda cōmuniter pront essentia esse comparata habet rationē potentiæ. Primam negat in omnibus separatis à materia. Secundam vero in solo Deo, qui est actus simplicissimus.

Ad decimumtertium dicendum, quod Aristot. in tex. 43. determinat plures esse substantias immateriales, sempiternas, & impassibiles, non vero quod plures, qui sint, sint infinitæ virtutis intensiue, hoc enim voluit esse intelligēdum tantum de prima cum posuerit vnam tantum infinitam virtutem in infinito principio, omnia alia regentem, & mouentem, & est responsio Caietan. in quæst. de infinitate primi motoris, & Ferrar. 1. contra gentes cap. 20.

Ad decimumquartum negatur minor de causa extrinseca, vt est Deus. Secundo dicitur ad probationem, quod illud quod ab alio fit posse non esse, potest dupliciter intelligi. Primo effectiue, idest potest non produci, & hoc verum est, vnde dicimus Deum libere omnia creasse. Secundo esse, & non esse ab intrinseco, quia. s. habet esse corruptibile, & hoc negamus cum Arist. in intelligentijs differentibus per hoc à corruptibilibus, quod eorum esse non est in potentia ab intrinseco ad non esse, vt est esse corruptibilium.

Ad decimumquintum dictum est sæpe, quòd ex nihilo nihil fit per generationē, non vero per simplicem emanationem,

&

& quod valet de agente particulari, & finitæ virtutis, non vero de vniuersali infinitæ virtutis, qui potuit omnia creare ex nihilo.

Ad decimumsextum diximus etiam supra quod rationes Arist. sunt efficaces ad contradicendũ antiquis, ponentibus mundum factum ex chaos, vel aliqua materia, non vero absolute, quia non concludunt contra creationem.

Ad decimumoctauum dicimus primo, quod illa definitio causæ per motum agentis est definitio causæ particularis, nõ vniuersalis. Secundo dicitur, quod potentia actiua dicitur principium transmutandi non solum Physicæ, sed etiam Metaphysicæ, & sic intellexit Aristot. quamuis per motum, vt per rem nobis notiorem diffinitionem explicuerit. Tertio dicitur, quod ibi non diffiniuit potentiam actiuam absolute, vnde 9. diuinorum dixit, potentiam esse ampliores ambitus, quam potentia agens per motum.

Ad decimumnonum dicendum, quod actio transiens bifariam cõsiderari potest. Primo formaliter quo ad id quod dicit ad extra, & in subiecto, in quo ponitur terminatiue, & sic non dicitur esse in Deo, quia actio Dei est æterna, infinita, & diuina substantia. Secundo causaliter, & effectiue, idest, vt habet causam, & sic ponitur in Deo, vt efficit creaturas, & dicitur creatio passiua.

Ad vigesimum dicitur, quod ly per essentiam duo significare potest. Primo idẽ quod indepẽdenter. Secundo idem, quod intrinsece. Primo modo esse Deo conuenit solum per essentiam. Secundo autem modo omnibus rebus creatis, in quo sensu procedit argumentum.

Ad vigesimumprimum dicitur, quod quamuis illa maxima possit verificari, etiam de causa exemplari, & finali, tamen necesse est, quod etiã verificetur in causa effectiua, & si hoc est verum, maxime in prima, quæ includit omnem causalitatem, propter infinitam suam perfectionẽ.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum motores corporum cælestium moueantur per accidens.

Videtur quod sic. Omne quod est in eo, quod per se mouetur, per accidens mouetur. Sed motores corporum cælestium sunt in ipsis corporibus cælestibus, alioquin c[illegible]um non diceretur mouere seipsum. Ergo mouentur per accidens.

Secundo. Secundum Arist. aut motor orbis inferioris vnitur orbi ab eo moto, vt forma vnitur materiæ, aut sicut motor vnitur mobili, toti mobili suam virtutem applicando. At vtroque modo est moueri per accidens, vt dicit hic Philos. tex. 52. Ergo mouetur per accidens.

Tertio. Arist. hic posuit discrimen inter primum motorem absolute, & motores orbium, quod primus absolute non mouetur, nec per se, nec per accidens, inferiores vero vtique. Ergo, &c.

Quarto. Omne per participationem reducitur ad illud quod est tale per essentiam, Sed omnia mobilia, & mouentia inferiora mouent, & mouentur per participationem. Ergo intelligentiæ mouent, & mouentur per essentiam.

Quinto. Intelligentiæ magis vniuntur cælo quam anima nobis, vt dicitur secundo cæli, comment. tertio. A anima nostra propter vnionem quam habet cum corpore ad eius motum mouetur per accidens. Ergo, & intelligentia ad motum orbis.

Sexto. Quod ita est hic, quod non alibi modo, & deinde alibi, & non hic mouetur totaliter, vt patet. Sed Angeli quandoque sunt in vno loco, & quandoque in alio, vt docent scripturæ, patres, & eorum actio. Ergo per se mouentur.

Septimo. Si motores orbium dicerentur moueri per accidens, per hoc solum quod motus eorum recipitur in orbe, non vero quod in eis aliquo modo recipiatur, sequeretur, quod sicut vnus talis motor, sic dicitur mobilis per accidens, ita etiam possit dici sphæricus, lucidus, & quantus, quia omnia ista insunt orbibus quibus appropriantur. Sed hoc est falsum. Ergo motores orbium non dicentur moueri per accidens denominatione extrinseca, sed intrinseca.

Octauo. Si motores orbium dicerentur solum moueri per accidens, quia mobilia quibus applicantur dicuntur moueri. Ergo & primus motor dicetur moueri per accidens, quia primo mobili applicatur. Sed hoc negat Philos. in primo motore.

Ergo

Ergo negandum est etiam in inferioribus, & sic dicuntur alio modo moueri, quia, scilicet mouentur ad motum ipsorum.

Pro resolutione huius quæstionis. Primo considerandum venit, quod multis modis possimus imaginari motorem orbis, cælo vniri, & sic ipsum mouere. Primo enim possumus imaginari ipsum vniri ei, vt anima cæli. Secundo, vt forma dans esse, & non vitam. Tertio vt motor vnitur mobili. Primum pro nunc exclusum esse volumus, nam infra ostendemus cælum non esse animatum anima informante. Secundum vero nec potest stare, tum quia forma dans esse est pars eius cui dat esse, at intelligentia, est totum subsistens. Item talis forma defatigatur in mouendo, non sic intelligentia &c. Intelligitur ergo tertio modo tantum.

Secundo ergo notandum venit, quod etiam multipliciter possumus imaginari substantiam separatam mouere cælum. Primo de loco ad locum. Secundo circa totum sic, quod totum cælum non mutet locum, quia circulariter mouetur in eodem loco, sed solum dicatur mutare locũ secundum partes, quia quandoque pars orientalis secundum se, erit in meridie, vel occidente, hoc autem bifariam accidere potest. Primo quasi intrinsece, idest non deferendo partem motam, vt si imaginemur intelligentiam esse applicatam parti orientali, & ita mouere illam, vt quando illa est in oriente, & intelligentia sit in oriente, & quãdo in meridie in meridie, & sic discurrendo. Secundo quasi extrinsece, considerando Angelum stare immobilem in aliquo loco, verbi gratia in oriente, vel in connexo cæli, & sic mouere cæli partem, post partem, sicut figulus immotus stando, rotam mouet. Primo modo non intelligimus intelligentiam totum cælum mouere deferendo illud de loco ad locum secũdum totum, cum constet cælum secundum totum non mutare locum. Quare etiam dato quod vniretur ei vt forma non diceretur in rigore moueri per accidens, quia quod sic mouetur, mouetur ad motum mobilis, per se localiter transeuntis secundum se, de loco ad locum, secundum totum, vnde, &c. vnde anima intellectiua nõ dicitur moueri per accidens in homine, nisi homo secundum totum mutet locum, non vero si tantum manum, vel pedem moueat, quia non intelligitur proprie, & in rigore formam moueri secundum accidens, nisi suum adæquatum subiectum mutet locum. Secundo ergo modo dicitur intelligentia moueri, scilicet mouendo cælum circa locum. Mouendo ergo sic cælum, dicimus eam esse applicatã immobiliter vni parti, ita vt semper stet ei coniuncta, deferendo eam de oriente ad meridiem, occidentem, imum cæli, & iterum ad orientem eam reducendo, sic enim moueretur per accidens ad motum partis, quia pars, & intelligentia haberent vnionem mobilis, & mouentis, & ita sicut pars mutaret locum, ita & motor. Dicendum igitur erit, quod intelligentia mouet cælum sicut figulus rotam, figulus autem non rotatur cum rota, & ideo denominatione intrinseca non dicitur moueri per accidens, sed tantum denominatione extrinseca, idest quia quod mouetur ab Angelo, idest cælum mutat locum per accidens, idest, secundum diuersas suas partes.

Ideo quarto notandum est, quod cum Angelus non vniatur cælo secundum esse, sed tantum secundum applicationem virtutis, quia scilicet applicat suam virtutem cælo, quod mouet, ideo non est necesse, quod Angelus moueatur, sed tantum, quod virtus eius moueat. Bifariam autem possumus considerare Angelum suam virtutem applicare cælo. Primo toti cælo, ita vt in toto agat. Secundo vni parti, per quam totum moueat, non vni tantum præcise, sed indiffinite, scilicet quod semper vnam contactu virtutis tangat. Primo modo mouendo, nullo modo dicitur moueri, quia intelligitur totum cælum correspondere sibi, vt rota sphæra eius actiuitatis, Angelus autem non dicitur aliquo modo moueri dum intra sphæram suę actiuitatis aliquid operatur, quãuis diuersum, verbi gratia in vna parte incendat, in alia frigefaciat. At secundo modo mouendo non dicitur quidem secundum se moueri, quia ipse non mouetur, sed mouet tangendo virtute, & non comitando motum supposito, tamen magis quã primo modo potest dici moueri, quia. s. dicit ordinem sic ad partes quæ secundum diuersa vbi dicuntur mutare locum, sed hæc est denominatio extrinseca.

Quo

Quo ad secundum principale ponitur hæc conclusio. Intelligentia mouens orbem, non mouetur per accidens, ad motum orbis. Probatur primo. Tunc mouens mouetur, quando tangit secundum suam substantiam motum, vt patet in anima respectu corporis. At intelligentia non tangit orbem secundum suam substantiam, quia non est ei applicata, vt ostendimus. Ergo ad motum orbis non mouetur per accidens.

Secundo. Quod est mobile per accidēs reducitur ad illud quod ad mobile per se, quia quod est per accidens, reducitur ad id quod est per se, per Arist. 2. Physicor. Sed intelligentia nullo modo reducitur vt eius pars ad mobile per se, sicut facit anima nostra ad motū corporis, Ergo &c.

Tertio. Probatur authoritate Arist. 12. Metaphys. tex. 4. & hic tex. 43. vbi vocat eas immobiles, & infatigabiles.

Ad primum negatur minor de esse in cælo, vt forma dans esse, vel dans mutationem cælo. Quod autem cælum dicatur mouere seipsum, dupliciter potest intelligi. Primo ab intrinseco, & actiue, & hoc est falsum. Secundo ab extrinseco actiue, & passiue ab intrinseco, scilicet quod habet potentiam mobilitatis, & hoc est verum, vnde verius dicitur esse primum mobile, quam primum mouens.

Ad secundum negatur minor, quando illa vnio est mouentis ab extrinseco, scilicet non suscipientis motum, sed tantum dantis, & sic ab extrinseco, & improprie motor orbis planetæ potest dici moueri per accidens.

Ad tertium Alexander videtur distinguere, quod moueri per accidens stat dupliciter. Primo ab alio, quia scilicet sunt in orbibus ab alio motis, vt orbes planetarum mouentur à motore primi cæli, mouente moto diurno 24. horarum. Secundo motu ab ipsis motoribus causato, sicut anima causat motum corporis, & ad motum eius mouetur. Secundo modo dicit Arist. negare eos moueri per accidens, primo autem modo concedere, ad differentiam primi motoris, quia nullo mouetur. At Simplicius negat Aristot. ipsos moueri per accidens, & tantum concedere quod moueantur ab alio potest autem motor orbis inferioris moueri ab alio, & non moueri per accidens, quia non mutat locum sicut mutat corpus motum ab anima, & hæc responsio conformior est textui, & dictis superioribus.

Ad quartū dicimus ad maiorem, quod valet quando vna forma, vel vna ratio apta nata est duobus conuenire, vni per essentiam, alteri per participationem, nō autem valet in disparatis, vnde mouere per essentiam conuenit primo motori, & per participationem motoribus planetarum, non vero moueri, quia est prædicatum disparatum.

Ad quintum dicitur, quod intelligentia magis vniatur orbi, quam anima corpori, potest dupliciter intelligi. Primo, vt ly magis idem sonat, quod immobilius. Secundo vt significat idem quod intimius. Primum est verum, quia illa non suscipit contrarium dissolutiuum, sicut facit vnio animæ cum corpore. Secundum est falsum, quia anima dat esse corpori, non motor orbi.

Ad sextum dicimus, quod valet de Angelis non applicatis orbibus, de quibus est disputatio. p.p. quæst. 53. de his enim non est hic locutus Aristot. isti enim mouentur per se localiter, quia non sunt immensi, & habent sphæram determinatam suæ actiuitatis.

Ad septimum. Primo dicitur, esse disparem rationem, quia motus nō est prædicatum repugnans intelligentiæ, sicut sunt prædicata dicta, quæ quantitati conueniunt. Secundo dicitur, quod motus causatur ab intelligentia in orbibus, non autem figura, &c. sed hæc sunt à dante esse.

Ad octauum dicendum, quod moueri per accidens ab extrinseco conuenit intelligentijs, & non primo motori, quia hæc etiam mouentur ab alio, idest à primo motore, & quia virtus earum recipitur in suo orbe tantum, vnde habet appropriationem, non sic motiua virtus primi motoris, & ne cogitemus ipsum ab alio moueri, non dicimus, ipsum aliquo modo moueri per accidens.

DVBIA.

SVnt etiam multa dubia de his, quæ dicta sunt supra Philos. vnde ad maiorem explicationem.

Dubitatur. Primo circa tex. 48. vbi dicitur,

citur, necessarium esse ponere vnum mouens immobile propter perpetuitatem generationis. Contra. Quælibet generatio habet suam causam, vt generatio hominis hominem. Ergo non est quærenda alia causa.

Ad hoc dicitur, quod præter causam secundam, & immediatam danda est causa prima, quæ sit causa perpetuitatis, nam hoc, & illud agens non sunt causæ perpetuæ generationis, sed temporalis. Ergo danda est causa vna prima perpetua, quæ causet perpetuitatem.

Secundo dubitatur. Circa eundem tex. vbi dicitur, quod vnum est primum principium. Ergo deducitur omnia alia sua natura sunt eius effectus. At hoc est falsum, quia ratio causalitatis quibusdam conuenit per se.

Respondetur de facili, hoc esse verum in suo ordine, non vero in ordine ad primum principium, vnde eis conuenit non per se primo. Commentistæ tamen responderent, quorundam esse causam effectiuam, & quorundam primum principium per modum finis.

Tertio dubitatur circa text. 49. vbi ex motu æterno primi cæli, ostendit motorem æternum. At hoc est contra id quod diximus in initio huius libri, scilicet quod Arist. demonstrat æternitatem de motu in communi, non de primo motu.

Respondetur, quod in initio octaui demonstrauit æternitatem de motu in communi, hic autem illam ostendit subiectari in primo mobili, quod est causa omnis motus, & ideo vtrumque stat. Est enim hic motus primum Analogatum in motu.

Quarto dubitatur. Circa text. 52. vbi dicitur, primum principium non moueri, nec per se, nec per accidens. Contra. Aut dicitur primo, quod primus motor non mouetur, nec per se, nec per accidens, quia secundum suam substantiam est indiuisibilis. Aut secundo, quia non vnitur primo mobili secundum esse. Aut tertio, quia primum mobile non mutat locum. Si primum, hoc etiam conuenit animæ, quæ est indiuisibilis, vnde dicitur tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, & tamen mouetur per accidens. Si secundum, hoc etiam conuenit intelligentijs mouentibus orbes planetarum. Si tertium, hoc idem conuenit ex supradictis secundis motoribus, & est commune omni corpori circulari moto circa locum. Ergo hoc non est singulare in primo motore.

Ad hoc dicitur, quod primus motor dicitur omnino immobilis vt supra diximus, quia à nullo mouetur, vnde quod dicitur omnino immobile duo obtinet. Primum iure suæ naturæ, quia est primus motor omnino mouens, à nullo motus, & hoc ei conuenit secundum se. Secundum iure eius quod mouet, quia est primum mobile, vno motu tantum mobile, idest motu diurno. Nam motores orbium & si mouent suos orbes motu proprio, qui est ab occidente in orientem, mouentur tamen cum suis orbibus, vel moueri possunt saltem, & sic non repugnat eis motus per accidens. At primum mobile mouetur tantum motu diurno, & à nullo mouetur, vnde eius motor non habet quod cum eo, aliquo modo moueatur, & ideo non dicitur moueri, nec per se, nec per accidens, qua de re in hoc apparet eius excellentia, & eminentia.

CAPVT VII.

LECTIO

S. D. 14. 15. 16. 17. 18.

At vero aliud faciendi ut principium tex. 54.

POstquam ostendit Philos. quod primum mouens est immobile, & primus motus perpetuus, hic in tex. 54. incipit ostendere quis sit primus motus, & quale primum mobile. Dicit ergo quod motus quo primus motor mouet, debet esse primus, continuus, & perpetuus, & ideo videndum venit, an sit motus continuus, & primus, & quis sit.

In textu autem 55. incipiendo indagare quis nam sit primus motus, ponit hanc conclusionem. Motus localis est omnium primus. Hanc multipliciter probat primo sic. Tres sunt species motus (vt dictum est in quinto) scilicet augmentum, & decrementum, alteratio, & motus localis. Sed augmentum præcedit alteratio, & motus localis alteratione, ergo motus localis est omnium primus. Minore probat

primo quoad hanc partem, scilicet quod alteratio precedit augmentum, quia augmentatio fit ex dissimili in principio, idest ex cibis diuersis secundum substantiam ab alito in principio, similibus vero in fine nutritionis, quando calor naturalis alterauit cibos, & illos conuertit in substantiam aliti, quod non fit nisi per alterationem. Quod vero loci mutatio precedat alterationem probat, quia quod modo alteratur, prius non alterabatur, quia ab alterante distabat, modo vero alteratur, quia ei appropinquauit, at appropinquatio fit nisi per mutationem loci. In eodem quoque textu eandem conclusionem secunda ratione sic probat. Secundum antiquos rarum, & densum sunt principia, rerum, pro quanto faciunt congregationem, & disgregationem praecedentium partium. At congregatio, & disgregatio non fit nisi cum mutatione loci, vt partes distantes congregentur, & cinitae disgregentur, & separentur. Nec augmentum fit sine acquisitione partium, & decrementum sine deperditione, que important mutationem loci, ergo motus localis erit prior alteratione, & augmento. In textu 56 57. 58. & 59. idem persuadet alijs rationibus supposito, quod prius tripliciter dicatur. Primo per independentiam, quia potest esse sine alio, vt animal sine homine. Secundo per prioritatem temporis, vt Adam fuit prius Abraam. Tertio secundum perfectionem, vt substantia sic dicitur prior accidente, idest perfectior. Ratio igitur tertia est. Ille motus dicendus est prior, qui alios praecedit natura, idest per independentiam, tempore, & perfectione. Talis est motus localis. Ergo est prior alijs motibus. Maior est clara, ex distinctione prioris. Minor probatur de prioritate naturae. Primo. Motus magis continuus, natura est prior minus continuo. Motus localis est magis cōtinuus alijs motibus. Ergo erit eis prior natura. Maiorem probat, quia motus recipit continuitatem spatij, & temporis, & haec recipit motus localis, non vero alij motus, vt infra ostendetur. Quarto hoc idem probat, que ratio etiam facit ad probandum motum localem esse alijs priorē per independentiam sic. Ille motus per independentiam est prior, qui sine alijs esse potest, alij vero non sine ipso. Sed motus localis potest esse sine motu alterationis, & augmenti, vt patet in corporibus caelestibus, qui solum mouentur motu locali, motus vero alterationis, & augmenti non possunt esse sine motu locali caelorum, quia eo non existente, non essent alij motus. Ergo est prior. Quinto idem sic probat. Is motus prior est, qui solis corporibus perpetuis inest. Talis est motus localis, qui inest corporibus caelestibus perpetuis. Ergo motus localis erit prior, & tempore, ad hoc enim facit hoc argumentum. Notat autem Philos. quod motus localis dicatur primus stat dupliciter. Primo in hoc indiuiduo, & hoc est falsum; quia prius eius materia per praeuias dispositiones alteratur, fit, & augetur, antequam motu locali moueatur. Secundo absolute, & sic motus localis est primus, & non dicitur genitus, sed prima causa generationis. Sexto idem probat, sed de prioritate perfectionis tripliciter. Primo ratione subiecti, quia nihil mouetur motu locali nisi sit perfectum, quasi plantae, conchae, spongiae, & alia quae instrumentis motiuis carent, sint imperfecta. Secundo ratione mutationis, quia motus augmenti, & decrementi mutat sic motum cum acquisitione, vel deperditione, vel substantiae, vel eorum, quae substantiae insunt, at motus localis non mutat substantiam, quia est ad locum existentem extra substantiam. Tertio ratione principij motus, quia, scilicet id quod seipsum mouet, maximè se mouet, secundum motum localem, & sic motus localis dicitur primus.

In textu 61. inquirit, qui nam motus localis sit primus, & dicit illum esse, qui est cōtinuus, & perpetuus, vnde talis erit motus circularis, quia preter illum nullus alius motus potest esse perpetuus.

In textu ergo 62. probat praeter motū localem, nullum alium motum posse esse perpetuo continuum. Hoc sic probat. Nullus motus qui fit de contrario in contrarium potest esse perpetuo continuus. At omnis motus praeter circularē est de contrario in contrarium. Ergo nullus motus praeter circularē poterit esse perpetuus. Maiorem iudicio meo ostendit, quia cum omnis motus habeat terminum, oportet vt quandoque dicat subiectum sub termino, verbi gratia, album sub albedine, antequam

tequam transeat ad nigredinem, quies autem est in tempore, & sic tempus intercedit in motu de contrario in contrarium. Minorem declarat, quia mutatio est inter ens, & non ens, alteratio inter contrarias qualitates, augmentum, & diminutio inter perfectam, & imperfectam quantitatem viuentium, qui sunt motus inter contraria, seu inter opposita, vt contrarietatem extendamus ad quamcunque oppositionem. Sed quoniam contra supradictam rationem possunt esse tres obiectiones, ideo eas soluit. Prima est, quod aliquis posset dicere, quod generatio, & corruptio non sunt cōtrariæ, & ideo possunt simul esse. Respondet, quod sunt oppositæ, sed nec opposita possunt esse simul. Secunda est, quod videtur falsum, mobile debere quiescere in termino à quo, quia tunc non est, quia quod generatur, non est. Respondet, quod ibi est, vt in termino à quo, qui fuit motus ad quem præcedentis motus, & quod sufficit, quod ibi aliquando quiescerit sub opposito. Tertia est, quoniam dictum est motus esse contrarios, & postea dictum est, vnum incipere à quiete contraria, sic enim videtur vnum habere duo contraria. Respondet, sufficere quod motus opponat alteri motui, & quieti, de qua re dictum est in 5.

In textu 64. probat nullum motum localem præter circularem posse esse perpetuum sic: Omnis motus localis, aut est rectus, aut circularis, aut mixtus ex vtroque, vt qui fit per chordam, & arcum. Sed nec rectus, nec mixtus possunt esse continuo perpetui. Ergo erit solus circularis. Maior patet ex sufficienti diuisione. Minorem probat derecto. Nam motus rectus, vel est simplex, idest de contrario in contrarium, vel reflexus, vt ab A, in B, & à B, in A, idest motus conuersus. At omnes hi motus sunt contrarij inter se, quia se impediunt, & motus contrarij, vt dictum est, non possunt esse continui. Ergo. Secundo hoc probat in textu 65. sic. Illi motus non sunt continui, inter quos mediat quies. At inter motum rectum, & reflexum (de quo videtur dubitatio) mediat quies, etiam in circulo. Ergo non sunt continui. Maior est nota. Minorem probat. Primo, quia experimur mobilia in his reflexionibus retardari. Secundo ratione. Quia scilicet habent principiū, & finem, & consequenter non sunt continui.

In tex. 66. mouet dubium, & soluit dicendo, & ostendendo, quod punctum in medio, cum non sit actu non potest dicere, nec importare quietem, bene in principio, & in fine motus, & in summa dubium, quod valde obscurum est, resoluitur dicendo, discrimen esse dum mobile est in medio motus, & in terminis, quia in medio motus est actus eius, vt existentis in potentia, cum cōtinua tendentia ad terminum, & ideo tunc non intelligitur quiescere, at in terminis vtique, quia tunc intelligitur motus terminatus in actu, & ideo cessare motum, & hoc prosequitur Phil. tex. 67. & 68.

In tex. 69. ostendit, quod in tempore constituendum est quoddam instans medium, habens rationem finis, ratione prioris, & rationem principij, ratione posterioris, & hoc quia res, quæ generatur per corruptionem præcedentium dispositionum acquirit primum sui esse, quod est principium sequentis esse, & proprietatum. Hoc autem instans, quod est finis præteriti, & principium futuri re vnum est, & duplex ratione. Prosequitur ostendendo tempus non componi ex instantibus, & motum simplicem, & reflexum nō esse motus cōtinuos, quod parum refert, & notum est in littera, & tu vide.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrum motus localis sit prior alijs motibus, ac mutationibus.

Videtur quod non. Primo. Generatio præstantior est motu locali. Ergo motus localis non est prior. Sequela nota. Antecedens probatur. Motus accipit speciem à termino. At terminus generationis est substantia, & motus localis vbi, quod est accidens. Substantia autem nobilior, ac prior est accidente, vt dicitur 7. Metaphys.

Secundo. Cui magis conuenit ratio motus, illud tale dicitur perfectior motus. Sed alijs motibus à locali conuenit magis ratio, idest diffinitio motus, scilicet esse actum existentis in potentia, quia alij motus sunt in potentia ad aliquod intrinsecum, & mobile secundum locum so-

lum ad extrinsecum, scilicet ad locum. Ergo non est prior alijs motibus.

Tertio. Quæ sunt propria prædicamento, dicuntur etiam priora perfectione, &c. Sed augmentum est de prædicamento quantitatis, & alteratio est de prædicamento qualitatis. Quantitas autem, & qualitas sunt prædicamenta priora prædicamento vbi. Ergo & motus augmenti, & decrementi, & alterationis erunt priores motu locali.

Quarto. Quæ sunt priora secundum originem, seu generationem sunt posteriora secundum perfectionem, per Arist. At motus localis est prior generatione, & tempore alijs motibus, vt dicitur hic. Ergo non perfectione.

Quinto. Motus ordinatur ad quietem, vt ad suam perfectionem, vt dicitur septimo huius. Sed motus localis primus non ordinatur ad quietem, sed ad perpetuitatem circulationis. Ergo necesse est, quod sit imperfectus.

Sexto. De eodem ad idem procedere, & redire, videtur quid vanum, & inane; vnde propter hoc tollitur circulus in demonstrationibus. At motus localis primus, idest cæli de eodem procedit, & redit ad idem. Ergo vanus est.

Septimo. Illuminatio est actus nobilissimi corporis, scilicet Solis. At illuminatio est alteratio. Ergo alteratio est præstantior motu locali.

Octauo. Si motus localis esset perfectior alijs motibus, propterea esset, quia est mensura eorum, vt dicitur in textu. Hoc est falsum, quia mēsura est minima, circulatio vero est maxima. Mensura est eiusdem generis, & motus localis circularis non. Ergo &c.

Pro resolutione huius quæstionis. Primo notandum venit; quod (vt vidimus in textu) tres prioritates attribuit Arist. motui locali supra alios motus. Prima est prioritas naturæ secundum independentiam, quia motus localis potest esse sine alijs motibus, alij vero sine eo nequaquā, scilicet, nec alteratio, nec augmentum. Hæc autem ratio currit. Primo. Supposito, quod alteratio, & augmentum non possint esse continua, & perpetua, vt apparet in his inferioribus, subiectis continuis mutationibus diuersis, & contrarijs. Secundo. Quod quæ alterantur, & augentur, moueantur localiter, vel actiue, vel passiue, vt dum combustiuum appropinquat combustibili, & ipsum comburit. Ita enim non esset, nisi motus localis præcederet alterationem .s. motus combustiui ad combustibile. Tertio, quod omnis alteratio supponit motum localem loquendo de alteratione communiter, sic perfectiua, vel corruptiua, nam illuminatio, quæ fit per accessum solis aerem perficit, & non corrumpit. Secunda prioritas motui locali data est temporis, quia est perpetuus, non alij. Hoc autem primo intelligitur, non in eodem indiuiduo, quia prius indiuiduum augetur, & alteratur, antequam motu locali perfecto moueatur, vt intelligitur absolute, & simpliciter, & in alio, nam sic enim est, dato quod motus localis circularis cæli, sit causa omnium aliorum motuum, vt dicit Philos. in textu. Sic enim deducendum venit, quod motus localis sit prior tempore alijs motibus. Sed secundo hoc intelligitur, quoad coexistentiam, data æternitate mundi, & motu generationis (sic enim necesse est semper accipere motum alterationis, generationis, augmenti, & decrementi) Sed quoad non repugnantiam, quia non repugnat primo motui, vt primus motus est, quod sit sine alijs, alijs vero repugnat, quod sint sine causa. Tertia prioritas dicitur perfectionis, quia sic motus localis posterior est generatione, & de hoc dicemus ad argumenta.

Secundo notandum venit, quod nobilitas motus localis in multis deprehenditur. Primo in motore, quia primus motus localis est à primo motore. Secundo in mobili primo, quod localiter mouetur, & est nobilissimum corpus, remotum à corruptione, & alteratione, & est instrumentum Dei ad generationem viuentium. Tertio in conditionibus suis, ac circumstantijs. Nam primo in supremo corpore collocatur, & subiectatur quanto autem aliqua sunt superiora, tanto magis sunt nobiliora, vt dicitur secundo cæli. Secundo est motus perpetuus, vniformis, & velocissimus. Tertio est circularis, figura autem circularis perfectissima est, quia ei nihil addi, vel ab ea detrahi potest, cum careat principio, & fine.

Ad primum ergo argumentum in oppositum

positum Iauellus hic, Ioannes Gandauensis, & Ferrariensis concedunt generationem præstare motui locali. Primo, quia terminus motus, qui est esse, præstat vbi, quod est accidens, & dicit relationem secundum S.D.5. Metaph. cap. ad aliquid, & in tract. de relatione. Secundo, quia substantia præualet cuilibet accidenti. Sed hæc responsio certe Philos. contradicit text.58.59.& 60.& de ortu, & interitu tex.51. vbi expresse dicit, motum localem præstare etiam generationi. Primo, quia in eodem indiuiduo est generatione posterior, quæ autem sunt posteriora generatione, priora sunt perfectione. Secundo, quia per motum localem nihil ipsius mobilis deperditur, sicut in alijs motibus. Tertio, quia habet maximam vnitatem, regularitatem, &c. Ideo dicendum venit, Primo, quod motus localis bifariam considerari potest. Primo vt excludit esse, quod est terminus generationis. Secundo, vt ipsum includit, & perficit, quia ei addit bene esse, nam bene genitum non vltimo perficitur, nisi sursum moueatur. Primo modo est ignobilior generatione, sed sic hic non consideratur, sed secundo modo, quo iure excellit ipsam. Secundo dicitur, quod generatio, & motus localis bifariam inspici possunt. Primo, vt sunt motus. Secundo vt producunt suos terminos. Si secundo modo ex opposito considerentur generatio, & motus localis, generatio præualet, vt argumenta probant. At si primo modo, præualet motus localis, quia generatio est actus omnino existentis in potentia, motus localis vero solum ad vbi, vnde magis retinet de natura motus, qui est de positiuo, ad positiuum. A termino autem dicitur motus trahere suam denominationem, & specificationem, non nobilitatem absolute, sed & hoc valet comparando tres species motus ad suos terminos, & non generationem absolute, & simpliciter, & si possit accommodari per extensionem.

Ad secundum argumentum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod esse magis in potentia non arguit maiorem præstantiam motus, vt motus est, aliter sic generatio esset proprijssimus, & perfectissimus motus, sed ratio motus stat in hoc, quod sit actus existentis in actu, cum potentia ad terminum; nam quod minus erit in potentia ad terminum, erit perfectior motus, quia magis participabit de positiuo, & magis recedet à motu communiter dicto. Hoc autem habet motus localis, vt dicit Philosophus in textu.

Ad tertium dicimus similiter ad maiorem, quod esse prius prædicto potest arguere prioritatem naturæ, & perfectionis secundum esse, at nos loquimur de prioritate secundum motum, & in ratione causæ, & effectus independentis, & dependentis, & dicimus motum localem esse priorem causalitate, quia causat alios motus, nec ab eis dependet, vt diximus.

Ad quartum dicendum, quod motus localis bifariam considerari potest. Primo respectu vnius, & eiusdem, & sic dicitur posterior alijs motibus, vt diximus. Secundo respectu sui primi subiecti, scilicet primi orbis, & sic dicitur prior illis, & causa illorum.

Ad quintum. Primo dicimus, quod maior valet de motis motu recto, & extra locum suum constitutis, non vero de cælo, quod mouetur motu circulari, & non exit locum suum. Secundo dicitur, quod quies est perfectio motus, eo modo, quo ipsum terminat, quies autem motum cæli non terminat, nisi per successionem vnius partis post aliam, & sic mouetur.

Ad sextum. Primo dicitur, quod circulus vt circulus est inanis, sed quando per diuersas circulationes causat diuersa, est necessarius, & ita facit motus circularis cæli, vt tradit Ani. Secundo dicitur, quod valet de eadem circulatione ex beneplacito circulantis, non vero quando hoc prouenit ex dispositione ordinis vniuersi, vt est motus in orbem cæli, ad distinguendum tempora, dies, & annos, & ad causandam varietatem in rebus inferioribus.

Ad septimum dicitur, quod illuminatio causatur à motu cæli, & sic vt effectus eius est eo posterior.

Ad octauum dicitur, quod circulatio sit maxima stat dupliciter. Primo duratione, & hoc verum est. Secundo velocitate, & vniformitate, & sic est minima, & sic mensurat omnes alios motus, qui dicuntur velociores, vel non.

lum motus varij, possent fieri sine media quiete, quia non esset necessarius regressus. Tertio loquendo de continuitate motus proprie quo ad omnia ea, quæ eum faciunt continuum, nam non sola continuitas temporis sufficit, vt diximus 5. Physic. Quarto loquendo de quiete non vt dicit cessationem motus cuiuscunque, sed talis motus, hoc enim est quod pensandum venit. Nam non negamus mobile sub motibus contrarijs semper moueri, hoc, vel illo motu, sed affirmamus, quod dum de motu contrario ad contrarium transit, quiescit. Hoc igitur sic intelligo, quod dum mobile ad terminum ad quem peruenit, dicatur esse in quiete, non sumendo quietem pro cessatione motus, sed pro cessatione talis motus. Si enim habet terminum motus talis, in eo tali motu non mouetur, quia nullum mobile in termino mouetur. At quia terminus ad quem primi motus incipit esse in reflexione terminus à quo noui motus, ideo intelligitur mobile prius fuisse sub quiete, vnde hæc quies potius est naturæ, quam temporis pensato mobili tantum, quæ tamen sufficit ad veram discōtinuitatem motus, quia mobile in reflexione non intelligitur amplius esse sub priori forma, fluente, quam motus dicit.

Ad primum ergo patet, quod mobile dicitur illico descendere, sed non eodem motu, quia non est sub eadem ratione sub fluxu. Et ita dicitur ad secundum, & tertium.

LECTIO

S. D. 19. & 20.

CAPVT VIII.

Qui autem in circulari erit vnus, &c.
Tex. 75.

POstquam Philos. ostendit motum rectum, & reflexum non esse motus contrarios, & perpetuos, intendit modo ostendere motum circularem esse continuum, & perpetuum, quod primo sic probat. Illud est possibile, ad quod nullum sequitur impossibile. At nullum sequitur impossibile ponendo motum circularem perpetuo continuum. Ergo erit perpetuo continuus. Maior est nota. Minor probatur ex destructione dicti superius. Nam dictum est, quod motus rectus, & reflexus non possunt esse perpetuo continui, quia sic sequeretur, quod tunc duo motus contrarij essent vnus, & idem motus. Hoc autem non sequitur in motu circulari, quia in motu circulari non est oppositio, cum oppositio sit secundum lineã rectam. Secundo. Motus reflexus ideo dictus est discontinuus, quia per idem spacium regreditur ad idem pũctum. At hoc non saluatur in motu circulari, quia ipse regreditur per aliud spacium. Ergo &c.

In textu 74. concludit, quod alterationes, & motus augmenti, & decrementi, quando etiam sunt motus reflexi, non possunt esse perpetuo continui, quia sunt per idem medium, vel media, vt ab albo in nigrum, & econtra.

In textu 75. incipit probare motum circularem esse primum dupliciter. Primo sic. Ille motus est prior, qui est simplicior, & perfectior. At motus circularis est simplicior, & perfectior, inter alios motus circulares, (nam supra probatum est motum localem esse alijs priorem.) Ergo erit prior, idest primus. Maior patet, quia simplex est prior cōposito, & simplicior. Minorem probat. Motus localis rectus, vel est simplex, idest absque reflexione, aut est reflexus. Si rectus, motus circularis est eo perfectior, quia in infinitum potest protrahi, & sic semper esse, non sic motus rectus; si reflexus, cum sit compositus, cum bis transeat ad idem spacium, & circularis sit simplicior, erit etiã prior. Secundo sic. Motus perpetuus est prior motu non perpetuo. At solus motus circularis est perpetuus, non vero rectus, quia ad punctum terminatur, nec etiam reflexus, quia ante reflexionem in eo cadit quies, vt supra probatum est. Ergo erit prior.

In textu 76. incipit idem probare, scilicet motum circularem esse continuum, & perpetuum, sed non per proprias rationes (vt supra probauit.) sed per communes, & Logicas, & hoc tripliciter. Primo sic. Omnis motus, qui nunquam est in principio, & fine est continuus, & prior; sed solus motus circularis est eiusmodi. Ergo solus motus circularis est cōtinuus, & prior. Maior patet. Minor probatur, quia

Ad primum autem in oppositum dicitur, quod talis motus erit mixtus, quia dum mouetur per directum super centrū ab eo minus distat dum erit in medio, quā in fine lineæ. Et ita ad secundum dicitur, quod mouebitur motu recto, at conuenit aeri. Ad tertium dicitur, quod motus pensatur ex principalibus sphæris, in quibus sunt planetæ, & eccentrici, hæ autem semper eodem modo mouentur circa centrum.

Tertio dubitatur, An corpora simplicia vno tantum motu moueantur. Videtur enim quod non. Primo, quia in aqua maris conspicitur duplex motus, scilicet fluxus, & refluxus, ascensus, & descensus. Secundo. Item sphæræ primo mobili inferiores duplici motu mouentur, scilicet raptus, & proprio. In oppositum tamen stat Arist. 1. cæli, cap. 2. & hic elicitiue, & patet, quia naturaliter sibi determinat suam sphæram, & motū localem (de hoc enim loquimur, & non de motibus alterationis, vel augmenti, & decrementi) vnde ad argumenta dicitur, quod corpora motu locali mota bifariam considerari possunt. Primo secundum se, & sic per se naturaliter vendicant sibi vnum tantum motum, quare sic aqua vt grauis extra suam sphæram deorsum tendit, & orbes planetarum ab Occidente in Orientem mouentur. Secundo vt habent naturalem connexionem cum corporibus superioribus, & sic mare mouetur motu fluxus, & refluxus, & orbis planetæ simul con primo mobili, ab Oriente in Occidentem.

Quarto dubitatur. An motus circularis naturaliter cælo conueniat. Videtur enim quod non. Primo. Natura abhorret infinitum, per Arist. 1. de generat. cap. 5. & quarto Physic. cap. 4. At motus circularis per reiterationem est infinitus, vt hic dicitur. Ergo non poterit esse naturalis. Secundo. Locus naturalis conseruat mobile ad ipsum, vt patet in quolibet elemento, in sua sphæra constituto. Sed cælum quod circulariter mouetur, & incorruptibile est, non habet ab aliquo conseruari nisi à solo Deo. Tertio. Quia mobile quiescit, & non mouetur in suo loco naturali, cælum autem mouetur circulariter circa centrum, & non quiescit. Quarto. Quia motus naturalis non est liber. Motus autem cæli est ab intelligentia, quæ libere mouet. Quinto. Natura definit, & determinat ad vnum. At motus orbium planetarum duplici motu mouentur, vt diximus. Sexto. Natura operatur propter finem per Arist. 2. Physic cap. 8. At motus circularis cæli non est propter aliquē finem, quia à sua constitutione cælum est perfectum. Septimo. Sic ei naturaliter etiam conueniret quies, quia natura est principium motus, & quietis, vt dicitur 2. Physic. cap. 1. At cælum naturaliter non potest quiescere. Ergo nec naturaliter mouetur.

Pro resolutione huius difficultatis notandum est, quod Scotus in 4. dist. 48. q. 2. & in 2. distinct. 2. quæst. 6 cum Auicenna lib. 9. suæ Metaphys. cap. 2. Durando in 2. dist. 14. quæst. 2. & Ricardo quæst. 6. voluerunt, quod cæli non moueantur circulariter, nec naturaliter, nec violenter, sed præter naturam, vnde præter potentiam naturalem, & violentam constituerunt aliam potentiam, quam appellauerunt neutram, qua cælos moueri dixerunt. Rationes horum relatæ sunt. In contrarium stat S.D. 3. contra Gentes, cap. 23. cum Ferrariensi. Capreolus in 2. distinct. 9. quæst. 1. artic. 3. Soncinas 12. Metaphys. quæst. 12. D. Bonauentura in 2. distinct. 14. art. 3. Aegidius eadem distinct. Porphyrius (teste Simplicio) 2. Physic. tex. 3. Philopponus, Simplicius, & Auerroes. Hi enim omnes cum multis alijs motum circularē cæli dixerunt esse naturalem, & est expressa sententia Arist. hic. Sed sciendum venit, quod cum in cælo sit materia eius, forma eius propria, & intelligentia, materia, & forma cęli comparatæ intelligentiæ dicuntur esse principium passiuū motus, & intelligentia effectiuum, at forma cæli, eius materiæ comparata dicitur eius principium formale, & aptitudinaliter effectiuum, quia reddit materiam cæli aptam ad motum naturalem circularem, & hoc est, quod docuit S.D. in 4. distinct. 48. quæst. 2. art. 2. & 3. contra Gentes, cap. 23. cum Ferrariensi, & Soncinate 12. Meth. quæst. 36. Probatur ergo quod motus cæli circularis sit naturalis. Primo. Nam quælibet res ad suam perfectionem, & sub sua perfectione reperitur naturaliter. At moueri circulariter est perfectio motus cæli, vnde propter hos hic dicitur moueri motu perfectissimo. Ergo naturaliter.

raliter. Secundo. Omne corpus Physicum naturaliter mouetur, actiue, vel passiue, vt docuit Arist.2.Physic.cap.1. At cælum est corpus Physicum. Ergo mouetur naturaliter. Tertio. Sicut terræ naturaliter vt corpori graui conuenit deorsum tendere, ita cælo circulariter moueri, per Arist. 1. de cælo, cap. 2. At terræ conuenit moueri deorsum naturaliter. Ergo & cælo moueri circulariter.

Ad argumēta ergo aduersariorum dicitur ad primum, ad maiorem, quod procedit de infinito indeterminato, non vero de determinato, quod dicitur infinitum per reiterationem, vt est motus cæli. Ad secundum dicitur ad maiorem, quod locus conseruat mobile ad ipsum, eo modo, quo ad ipsum mouetur, si recto motu recte, & si circulariter, circulariter, & ita perfectio cæli est moueri motu circulari, non acquisita de nouo, sed conseruata ab antiquo. Ad tertium dicitur ad maiorem, quod valet quando quies dicit perfectionem, non vero quando motus eam præfefert, vti facit motus circularis in cælo, quia de eius ratione non est quiescere, sed moueri circa centrum circulariter. Ad quartum dicitur motum cæli esse naturalem ex parte principij passiui, idest cæli moti, & liberum ex parte principij effectiui motus, scilicet intelligentiæ. Sed & dicito, quod ex parte eius, est naturalis in ratione mouentis, & mobilis, quia intelligentia mouet cælum maxima connaturalitate, & si non dicatur eius forma naturalis Ad quintum dicimus, quod motus orbium proprij sunt determinati ad vnum, & vt participant, & connectuntur cum primo mobili possunt habere alium motum scilicet raptus. Ad sextum dicitur, quod motus cæli non est ad finem aliquem intrinsecum, scilicet ad acquisitionem alicuius perfectionis non habitæ, sed est ad finem generationis, prædestinatorum, vt tradit S.D. de pot. art.5. & in 4. distinct.48. quæst.2. artic.2. & est ad assimilandum diuinæ bonitati quæ se inferioribus communicat, sicut & cælum suos influxus impartiendo, qui faciunt ad generationem, & periodum rerum sublunarium. Ad septimum dicitur, quod cælum bifariam considerari potest. Primo, vt est à Deo dispositum ad generationem viuentium, & sic non potest naturaliter quiescere, quia ad hoc habet motorem. Secundo, vt corpus est, & sic poterit quiescere remota intelligentia, vt fiet post diem iudicij. Vide S.D. in 4. distinct.48. quæst.2. art.2.

Quinto dubitatur, An motui circulari alius motus possit esse contrarius. Videtur enim quod sic. Nam hic tex.64. afferit Arist. motus factos in circulo ad partes oppositas esse contrarios, & se impedire. Et tex.73. dicit, motum factum per semicirculum ab A. in B. non posse continuari cum motu reflexo à B. in A. quia hi motus sunt contrarij.

In contrarium tamen est Aristot.1. de cælo, cap.4. quod probat. Primo. Vnum vni est contrarium. At motus rectus sursum contrariatur motui recto deorsum, ergo non motui circulari, & sic non habebit contrarium. Nota autem quod hic de contrarietate proprie directa (de qua maior valet) loquitur Philos. nam communi oppositione, & diuersitate vnū potest pluribus esse contrarium, vt auaritia, & prodigalitas contrariantur liberalitati, & virtuti, quæ stat in medio, opponuntur extrema, quæ sunt vitiosa. Secundo probat, quod nec motui circulari alius motus circularis aduersatur. Nam motus contrarij poscunt terminos contrarios. At in motu circulari non dantur termini contrarij, cum sit de eodem puncto, ad idem punctum. Argumenta ergo procedunt de contrarietate sumpta communiter.

CAPVT IX.

LECTIO S.D. 21. 22. & 23.

POstquam Philos. egit de qualitate primi motus, modo intendit agere de qualitate primi mouentis. Ait ergo in tex. 78. quod sicut supra dictum est, primum mouēs esse immobile, ita nunc dicendum venit, & demonstrandum ipsum esse indiuisibile, & omni magnitudine, & corporea mole carere. Antequam autem hoc probet, præmittit quasdā propositiones. Prima quarum est. Nullum finitum potest mouere tempore infinito. Probatur. Tria sunt necessaria ad motum. s. mobile, mouens, & tempus. Ad hoc ergo, quod motus sit infinitus, vel necessarium est, quod tria supradicta sint infinita, vel finita,

ta, vel quædam finita, & quędam infinita. Primum non potest esse, quia non datur corpus mobile infinitum, ex tertio huius. Nec secũdum, quia tempus est infinitum ex 4. & 8. huius. Ergo tertium. At nullũ mouens corporeum potest mouere tempore infinito. Nam denotetur virtus corporei motoris mouens per A. Mobile finitum per B. Tempus infinitum per C. Modo accipiatur virtus minor A, sub decuplo, tunc mouebit solum partem sub decuplam mobilis per A, quia mobile, & mouens proportionantur. Moueat igitur virtus minor A, suum mobile in decennio, cum virtus A, sit decies ea maior, mouebit spacio centum annorum. At hoc spacium est finitum. Ergo non mouebit tempore infinito. Et quia vlterius procedendum est ad habendum intentum, scilicet deueniendum est ad probandum, quod virtus infinita non possit esse in magnitudine finita. Ideo in textu 79. hoc probat in substantia sic. Motus non potest fieri in instanti. At sic fieret, si virtus infinita esset in magnitudine finita. Ergo in ea non potest dari. Maior est nota ex 3. Phys. Minor probatur. Quanto virtus mouens est fortior, tanto minuitur tempus, in quo mobile mouet, vnde virtus in duobus gradibus mouebit, verbi gratia in duabus horis, & virtus, vt quatuor in vna hora, quia quanto virtus crescit, tanto tempus motus minuitur. Ergo data virtute infinita, si finita virtus mouet in tempore, infinita mouebit in instanti, quia ab ea distat in infinitum.

In textu vero 80. & 81. ostendit, quod nec in magnitudine infinita sit virtus finita. Supponit autem quod quanto maior est magnitudo in tali specie, quod etiam sit maior virtus in ea, vt in maiori igne maior virtus calefactiua, quam in minori. Tota autẽ vis ostensionis in hoc consistit. Quod si in mole infinita non esset virtus infinita, idem mobile, eadem velocitate moueretur à virtute finita, & infinita, & hoc, quia damus idem mobile moueri aliquo determinato spatio tempo ris, nam sic virtus potest augeri, & deuenire ad mouendum, vt facit virtus infinita. Inde concludit motores orbium non posse esse virtutes materiatas, sed indiuiduas, materiæ expertes, quæ ideo semper poterunt mouere, quia non sunt iunctæ materiæ, quæ est potentia cõtradictionis.

De textu 82. litigant DD. circa intentionem Aristot. in eo textu, cum parum cũ superioribus videatur cohærere. Nam aliqui dixerũt hunc textum per errorem hic fuisse insertum. Alij dicunt in hoc textu posuisse dubitationem de proiectis, quæ mouentur, proijciente quiescente, ne crederemus ita etiam se habere primum motorem, scilicet, quod quamuis alia ab eo dicantur mota, ipse tamen moueat, & quiescat. Sed hæc positio nõ subsistit, quia proijciens, dum proicit, mouetur, non sic primus motor. Simplicius vero autumat, quod cum principale fundamentum immobilitatis primi motoris sit, quod in mouentibus & motis est deuenire ad vnum primum motorem immobilem, & proiecta in motu à seipsis moueri videantur, & nõ à primo motore, ideo hoc erat explicandum. Sed hæc etiam expositio non quadrat, quia hanc difficultatem supra sustulit, dum dixit, ea moueri à proijciente. Remanet ergo interpretatio S. D. amplexanda, scilicet, quod postquam Aristot. ostendit potentiam infinitam non posse esse in magnitudine finita, nec potentia finita possit mouere tẽpore infinito, hic intendat probare vnitatem primi motoris, quod facit ostendendo, propter diuersitatem motorum deficere vnitatem, & continuitatem motus. Dubitat ergo de proiectis, an postquam proiecta sunt, à proijciente adhuc moueantur, vel à seipsis, nullo ea mouente. Dicit autem quosdam dixisse moueri à proijciente per aerem, quia s. mouet aerem, & aer proiecta. Sed hanc dicit esse futilem responsionem, quia cum aer sit inanimatus, remanet adhuc dubium à quo moueatur, dum non tangitur ab impellente, nam impellente quiescente, aer quoque quiescere deberet. Respondet ergo, quod proijciens dum proijcit proiectum simul mouet aliquam partem aeris sibi immediatam, & illa aliam sibi immediatam vsque in finem motus, in quo cum semper deficiat vis impellentis, ideo motus proiectorum deficit, & remittitur in fine, cũ autem diuersæ sint partes aeris mouẽtis, ideo ille motus non dicitur cõtinuus, sed consequenter se habens, quæ motio dicitur Antiperistasis, hoc est contra resistentia, sed non vere, quia in Antiperistasi da

tur vnum mouens, & aliud motum, at in hoc motu plura sunt mouentia.

In textu 83. postquam ostendit nõ esse motum vnum, qui est à pluribus mouentibus, probat ideo primum motum esse vnum. Hoc autem elicitiue sic probat. Vnus motus est ab vno motore. At datur vnus motus, vt patet ex superioribus. Ergo datur etiam vnus motor. Secundo. Motor, qui semper eodẽ modo mouet, oportet quod sit primus immobilis. Talis est intelligentia mouens cælum. Ergo est primus motor. Minorem relinquit vt notã. Maiorem probat, quia primus motor regulariter mouet, & semper eodẽ modo, quod non esset, si defatigaretur in mouendo, vt faciunt motores in magnitudine existentes, vnde eorum motus in fine retardantur.

In textu 84. tradit vbi sit primus motor. Nam aliqui voluerunt eum stare in medio vniuersi. At Arist. docet eum esse in circulo. Probatur. Sedes debet correspondere conditioni locali. At locatum, idest primus motor est vniuersi principium. Ergo erit in ea parte cæli, quæ habet rationem principij. At non centrum, sed circumferentia habet rationem principij, quia ibi velocior est motus. Ergo erit in circumferentia.

In textu 85. mouet dubitationem, an motor non primus, qui est immobilis, sed qui est secundus, scilicet corpus, & virtus in corpore valeant mouere motu continuo, non autem consequenter ordinato, vt est pulsio. Respondet negatiue, scilicet non posse moueri motu continuo, quia talis motus vel est pulsio, idest proiectio, vel tractio, vel ex his mixtus. Hi autem motus non sunt continui, sed solum consequenter dispositi.

In textu 86. concludit tandem primum motorem non posse esse in magnitudine. Nam vel esset infinita, vel finita. Non infinita, quia non datur, ex declaratis in tertio. Non finita, quia vis materiata non potest mouere tempore infinito, & omnia sunt clara.

Circa supradicta autem plura essent notanda, & plura dubitanda, sed generaliter dicitur, quod rationes Arist. in textu 75. &c. fundantur in hoc, quod motor in materia existens mouendo defatigatur, & debilitatur, vnde non semper eodem modo mouet, primus autem motor semper eodem modo mouet, & sine labore, ideo non potest esse in magnitudine, seu in materia. Esset autem hic disputandum, quomodo Deus sit vbique, & an primus motor, idest Deus sit virtutis infinitæ intensiue, & extensiue, at primam quæstionem habebis p.p. quæst. 8. S. D. & secundam. q. 25. ibi videbis; cætera nota sunt. Ad hanc tamen partem plura facient, quæ de vniuerso Philosophico disputaturi sumus, & à Lectoribus Philosophiæ post octo Libros Physicorum tradenda erunt discipulis, ne inscij, ac ieiuni maneant iocundarum Quæstionum, & magis necessariarum his nostris temporibus. In hoc enim nostro vniuerso necessariores, ac iocundiores quæstiones Librorum de Cælo, & Mundo, de generatione, & corruptione, de meteorologicis impressionibus, & de paruis naturalibus colligemus, vt tandem (quoad præcipua) totum Aristotelicæ doctrinæ studium Philosophicum videamur amplexati. Laus Deo, eiusque Matri, & Sanctis omnibus.

FINIS.

Corrigente Adm. R. P. Magistro F. Io. Pietro Astorio.